



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>







600091892Z









**INSTRUCTIO PRACTICA
CONFESSARII**

IN

COMPENDIUM REDACTA

A

D^o. FRANCISCO XAV. ZENNER,

**EPISCOPO SABBATANO, ARCHIEPISCOPI VIENNENSIS VICARIO GENERALI
ET CAPITULI ECCLESIAE METROPOLITANAE VIENN. PRAEPOSITO.**

EDITIO SEXTA

REVISA ET AUCTA.


IN SUBSIDIUM MISSIONUM ORIENTALIUM.

VIENNAE,

TYPIS ET SUMTIBUS CONGREGATIONIS MECHITHARISTICAE.

MDCCLVII.

110. b. 342.



**PATRI MISERICORDIARUM,
DEO TOTIUS CONSOLATIONIS,**

QUI TENERRIME NOS AMAT ET FILIOS VOCAT;

SALVATORI GENERIS HUMANI,

JESU CHRISTO,

FILIO DEI UNIGENITO INCARNATO,

QUI VENIT QUAERERE ET SALVUM FACERE, QUOD PERIERAT

ET PROPITIATIO FACTUS PRO PECCATIS NOSTRIS,

MORTE SUA VERAM NOBIS DONAVIT VITAM,

SUMMO SACERDOTI,

QUI AJEBAT PARALYTICO: CONFIDE, FILI,

REMITTUNTUR TIBI PECCATA TUA,

QUI MARIAE PECCATRICI DIMISIT PECCATA MULTA,

QUONIAM DILEXIT MULTUM,

**QUI PETRUM NEGATIONE TRINA LAPSUM GRATIOSE RESPICIENS
AD AGNITIONEM PECCATI ET LACRIMAS POENITENTIAE PERMOVIT**

QUI LATRONI IN CRUCE POENITENTI PARADISI GAUDIA PROMISIT,

PASTORI BONO,

QUI COGNOSCIT OVES SUAS, ET ERRABUNDAS REDUCIT AD GREGEM,

QUI ANIMAM SUAM DAT PRO OVIBUS SUIS,

SAMARITANO HOSPITALI,

QUI VINUM CHARITATIS, OLEUM MISERICORDIAE

NOSTRIS INFUNDIT VULNERIBUS,

SUSCITATORI MORTUORUM;

DOMINO, VIVIFICANTI SPIRITUI,

QUI FIDA CHRISTI PECTORA SUPERNA REPLET GRATIA:

BENEDICTIO, ET HONOR ET GLORIA

IN SAECULA SAECULORUM

AMEN.

P r a e f a t i o .

Quanti faciendum sit munus confessarii, nemo non intelliget, qui perpenderit, quod sacerdotes confessionibus audiendis deputati, iudices Dei ipsius nomine constituentur, idque tanta auctoritate, ut, quae in terris recte decreverint et sanxerint, in coelis rata et firma habeantur, proindeque ora ipsorum sint veluti sacra quaedam stillicidia, per quae pax e coelis in homines bonae voluntatis effluat, vocesque eorundem se habeant instar tubarum Magni Josue, quae illius virtute mysticae Hierichuntis, id est iniquitatis, muros subruant. Confessarius enim ignorantes docet, errantes in viam revocat, moerentes consolatur, dubitantibus bene consulit, pro periclitantibus de salute efficaciter Deum deprecatur, dirae servituti mancipatos redimit, nudos stola gratiae cooperit, egenos et languidos cibo potuque spirituali reficit.

Ne vero confessarius tanto muneri rite obeundo sua ex culpa desit, neve, dum aliorum saluti prodesse, satagit, obesse fors deprehendatur, plurimum interest, ut dotibus ad hoc munus, sacerrimum quippe et saluberrimum, digne valideque sustinendum necessariis bene instructus existat. Quamobrem Ecclesia Catholica, perpetuo sui capitis et Domini Jesu Christi suffulta adjutorio, et Spiritus sancti cura peculiari ducta,

*

nullo non tempore magno studio id egit, ut Sacramentum Poenitentiae sancte administraretur et a profanatione praeservaretur, non a poenitentibus solum, qui grande negotium aeternae salutis suae detestanda cum vecordia tractant, sed etiam a Sacerdotibus indoctis aut officii negligentibus inferri solita. Quis enim ignorat, quantam Ecclesia in Concilio Tridentino Sacramenti Poenitentiae curam gesserit, ut confessarii istud misericordiae Sacramentum, ad reconciliationem peccatorum divina clementia praeparatum, eisdem redderent re ipsa salutare, seseque praestarent fideles dispensatores mysteriorum Dei? Neque tam facile est, prout vulgo creditur, aliorum conscientiae arbitrum agere, sed valde arduum, ita quidem, ut ministerium hoc sine praevia instructione, sive regularum in sacro tribunali servandarum cognitione, et illas variis poenitentium infirmitatibus adplicandi arte vix feliciter cedere possit. Morbis corporis peritus medicus, morbis animae peritus medetur confessarius. Utriusque est obligatio, ad munus obeundum instructum accedere, non vero curando debitam notitiam capere, ne, priusquam addiscatur, quod sciendum est, ab illa mors corporis, ab hoc animae proeuretur.

Non diffiteor, plurima super hoc puncto virorum in re poenitentiarum versatissimorum et eruditum opera jam prestare, quibus gravissimum confessarii munus solide non minus, quam utiliter exponitur. Verum quoniam hi libri partim mole sua multum laboris exigunt, partim etiam nova quaedam desiderant; brevitati studens ac genium aevi nostri considerans, doctrinas pro confessionibus excipiendis scitu necessarias, quae sententiis in sacris literis, in scriptis sanctorum Patrum,

in elucubrationibus praeclarorum scriptorum contentis innituntur, in Eneiridii formam, usui quotidiano confessariorum magis accommodatam, quam volumina magna esse solent, redigendo et in lucem edendo, operae pretium me facturum putavi. Concinnatus est liber praecipuis ad formandos in seminario adolescentes ecclesiasticos, ut, qui recentes muneri confessionali applicantur, doctrinas pro confessionibus audiendis plerasque in hac instructione reperirent, modumque easdem in praxi applicandi indigitatum haberent.

Tantum autem abest, ut aliquid, quod exercitatos confessarios in munere suo rectius obeundo juvare possit, afferre cogitem, ut potius, quae confessario tyroni, qui instructionis est cupidus non minus ac indigus, usui esse possint, in compendium redegerim; quos enim experientia magistra docuit, eorum ego malo audire praecepta, quam nova superaddere. „Nec praerogativam mihi met scientiae, si hoc meis consacerdotibus charitatis intuitu praerogem, vindicabo, . . . sed potius cum haec ad illos loqui audeo, simul cum illis, quae loquor, audiam.“ *) Quid, quod in eis non tam meum, quam aucthorum probatissimorum sensum retulerim, quorum ex operibus multa et praeclara desumst, et suo loco deposui. Nihilominus tamen plura, quod rerum exponendarum copiam attinet, in hoc libro deesse fateor; ast memineris, quaeso, Lector benevole! me non nisi compendium tradere voluisse in usum juniorum sacerdotum, quibus studium non deest, nec ingenium. Et ut ego opinor, praeclare quoque de Ecclesia, Religione et proximis merentur ii, qui, licet non semper perfecta et

*) S. Ambr. libr. de Sacerd. dign. c. 1.

VIII

omnibus numeris absolutissima praestant, tamen pro ingeniorum suorum modulo ea proferre et in lucem edere, quanta possunt, diligentia satagunt, ex quibus in Christi gregem aliquid utilitatis redundare posse in Domino confidunt. Quid, num idcirco recte deseruerit Ecclesiastes concionandi munus, quod aureum illud eloquentiae flumen, sanctum inquam Chrysostomum, dicendi gratia et copia superare nequeat aut aequare? Neque palma, quam Virgilio inter poëtas tribuimus, caeteros a lyra tractanda deterrere praesumimus. Neque etiam, quia cum Cicerone tanta facundiae copia et ornatu dicere non valeamus, nec cum Pericle fulgurare et tonare, nec cum Demosthene pari splendore et ornatu verborum sententiarumque eloqui, continuo nobis obmutescendum erit. Nam, ut ille ait, „et in secundis et in tertiis consistere, quando non datur contingere summa etiam res est minime poenitenda.“ Quare, si quae displicebunt in hac mea tenui opella, animum, quo divinae gloriae et salutis animarum rationem, ceu suscepti laboris finem, propositam habui, respicias velim; si vero alicubi fors a recto tramite deviasse acciderit, corrige secundum mentem *Ecclesiae catholicae, cui stabo semper et acquiescam.*

Quamvis jam nihil remoretur, quominus dictis finem imponam, christianae tamen in te, Lector amice! charitati deesse mihi viderer, si quod operi quidem sparsim inserere non praetermisi, ast in praefatione, quasi in fronte libri, ut a nemine non advertatur, ob rei gravitatem collocari meretur, iterum iterumque tibi consulere negligerem. Est autem illud, ne nostri interioris hominis curam propriaeque perfectionis studium oscitanter deseramus, ut potius, dum aliorum conscien-

tias purgare et mundare intendimus, propriae puritatem et munditiam per frequentem Poenitentiae Sacramenti usum solerti curare studio satagamus, ne fors dicatur nobis: „Medice, cura te ipsum!“¹⁾ et illud Apostoli nobis exprobetur: „In quo judicas alterum, te ipsum condemnas.“²⁾ Quid namque absonum magis atque a communi hominum sensu abhorrens, quam, ut, qui ex divino instituto in aliis veterum delictorum purgationem inducere debent, ipsi forte occulto suarum culparum inquinamento sordeant; aut qui in aliorum animis divinae charitatis ignem excitare jubentur, ipsi glacie pejus proprio torpore congelent? Nonne sacrilegum foret, corde impuro labiisque pollutis divinam dispensare gratiam? Nos sacerdotes sumus, sancta tractantes, adeoque sancti simus oportet, sicut Ille sanctus est, cujus in terra vicarii sumus. „Munda sit manus, quae diluere aliorum sordes curat.“³⁾ *Purgari* prius oportet sacerdotem, deinde *purgare*; ad Deum *adduci*, et dein alios *adducere*; *sanctificari*, et postea *sanctificare*; *lucem fieri*, et demum alios *illuminare*.“⁴⁾ Qui non ardet, non incendit. Lingua amoris ei, qui non amat, barbara est et peregrina.

Non diffiteor equidem, Sacramentum gratiam ex opere operato producere, ac Dei omnipotentiam nullis arctatam esse limitibus, nec quacunque ministrorum improbitate impediri, quominus in quoscunque libuerit, divitias suae bonitatis effundat: verum quamvis id locum habere negari nullatenus queat, dabunt tamen poenas gravissimas ministri, qui, quantum in se est, divinae operationi non cooperantur, ne dicam, obicem ponunt,

¹⁾ Luc. IV. 23. — ²⁾ Rom. II. 1. — ³⁾ S. Greg. Libr. Past. P. I. c. 9.

⁴⁾ S. Greg. Naz. Orat. 2.

et Deum quodam modo cogunt sapientissimas a se statutas leges antevertere. Quare qui aliis a sacris esse, Deo auctore, constituuntur, prius in se uberiora sancti Spiritus attrahant necesse est chrismata, quae in reliquos deinceps transfundant, largioribusque virtutum emolumentis ditescant, quatenus ex eorum plenitudine poenitentes participant. Quem in finem, ut verbis Benedicti XIV. utar, „plurimum proderit, si, qui curam animarum gerunt et ad poenitentium confessiones excipiendas destinati sunt, per aliquot dies spiritualibus exercitiis quotannis vacent. In eo quippe pio recessu renovabuntur spiritu mentis suae, et induentur virtute ex alto ad ea impensius alaeriusque peragenda, quae suarum partium sunt, pro divini numinis gloria et spirituali proximorum utilitate et salute.“¹⁾)

Utinam haec interioris hominis cura, hoc propriae perfectionis studium nos omnes, quibus divina remittendi et retinendi peccata data est potestas, occupet totos! Utinam sublimior morum sanctimonia, quae deceat Christi ministros et dispensatores mysteriorum Dei, exornet cunctos! Tunc illud futurum sperare licebit, ut ad munus confessarii digne valideque obeundum eruditi, divinae misericordiae Sacramentum rite administremus, atque *Dei Patris*, cujus imago in hominibus foedata renovatur, *Dei Filii*, cujus oves tanto pretio emtae post miseram perditionem reducuntur et *Spiritus Sancti*, cujus templa diruta et polluta reparantur et reconciliantur in salutem hominum fideles inveniamur cooperatorum, reddendae apud iudicem rationis tempore.

¹⁾ Epist. encycl. 3. Decembr. 1740.

Conspectus dicendorum.

Introductio.

	Pag.
§. 1. P oenitentia	1
§. 2. Poenitentiae Sacramentum	3
§. 3. Poenitentiae Sacramenti usus necessarius	5
§. 4. Poenitentiae minister	6
§. 5. Poenitentiae effectus	7
§. 6. Instituti Poenitentiae emolumenta insignia	8
§. 7. Necessitas et utilitas instructionis ad frugiferam Poenitentiae administrationem	11
§. 8. Libri, qui de re poenitentiaria tractant	12
§. 9. Divisio materiae	13

P a r s I.

De requisitis in confessario necessariis.

§. 10. Divisio	15
--------------------------	----

C a p u t I.

De animi dotibus atque virtutibus in confessario necessariis.

§. 11. Animi dotes et virtutes	15
§. 12. Necessitas debitae scientiae	16
§. 13. Materia scientiae	18
§. 14. Media acquirendi scientiam necessariam	19
§. 15. Rectum maturumque iudicium	22
§. 16. Prudentia multa	23
§. 17. Media acquirendae prudentiae	24
§. 18. Verus animarum zelus	26
§. 19. Conditiones veri animarum zell	27
§. 20. Sanctimonia vitae	30
§. 21. Orationis studium	33
§. 22. Sacrae meditationis studium	34
§. 23. Ratio meditandi	36
§. 24. Materia meditationis	37
§. 25. Reliqua adjuncta	38
§. 26. Devitatio vitiorum in munere sacri tribunalis obviorum	39

XII

	Pag.
§. 27. Internum animi frigus et ignavia	40
§. 28. Vanitas	42
§. 29. Imbecillis hominum timor	43
§. 30. Partium studium	44
§. 31. Lucri studium	46
§. 32. Inconsiderantia	47
§. 33. Alta iudicii proprii opinio et fastus	48
§. 34. Laxitas et rigor	49
§. 35. Animi demissio et anxietas	51

C a p u t II.

De Approbatione et jurisdictione ad confessiones ex- cipiendas necessaria.

§. 36. Approbatio et Jurisdictio	51
§. 37. Jurisdictionis internae discrimina seu divisio	53
§. 38. Necessitas	—
§. 39. Approbationis et jurisdictionis collatio	55
§. 40. Jurisdictionis restrictio	57
§. 41. " " a) ratione loci et temporis	—
§. 42. " " b) ratione personarum	58
§. 43. Casus practici	60
§. 44. " " c) ratione peccatorum Reservatio casuum conscientiae	—
§. 45. Finis reservationum	61
§. 46. Conditiones casuum reservatorum	62
§. 47. Casus summo Pontifici reservati	66
§. 48. Jurisdictio, quantum ad casus summo Pontifici reservatos	69
§. 49. Casus Episcopis reservati	71
§. 50. Casus in Archidioecesi Viennensi reservati	72
I. Homicidium voluntarium	—
II. Sodomia	73
III. Perduellionis crimen	74
IV. Incendiarii crimen	—
V. Perjurium solemniter emissum	75
§. 51. Casus regularium Superioribus reservati	76
§. 52. De Jurisdictione, quantum ad casus reservatos	77
§. 53. Jurisdictio confessariorum tempore Jubilaei	80
§. 54. De Jurisdictione in articulo mortis	82

C a p u t III.

De sigillo confessionis sacramentalis.

§. 55. Sigillum sacramentale	83
§. 56. Confessarii fides in sigillo confessionis servando	84
§. 57. Obligatio aliorum in servando silentio	85
§. 58. Materia sigillo sacramentali subjecta	—
§. 59. Absoluta sigilli sacramentalis integritas	87
§. 60. Casus practici	88

§. 61. Regulae prudentiae, si quid manifestare poenitens ipse sacerdoti permiserit	89
§. 62. Violatio sigilli sacramentalis	91
§. 63. Casus practici	—
§. 64. Modus servandi sigillum sacramentale	95
§. 65. Usus cognitionis ex confessione haustae	—

P a r s II.

De principiis in administratione Sacramenti Poenitentiae observandis.

S e c t i o I.

De principiis generalibus in administratione Sacramenti Poenitentiae observandis.

§. 66. Ordo dicendorum	99
----------------------------------	----

C a p u t I.

De principiis generalibus circa confessionem observandis.

§. 67. Divisio	100
--------------------------	-----

A r t i c u l u s I.

De poenitentium confessione excipienda.

§. 68. Obligatio confessarii <i>specificam</i> excipiendi confessionem	—
§. 69. Obligatio confessarii exigendi confessionem <i>integram</i>	102
§. 70. De peccatis venialibus, et de jamjam expiatis quantum ad confessionis integritatem	104
§. 71. De peccatis dubiis	105
§. 72. Diligentia in examine conscientiae	106
§. 73. Obstacula integritatem confessionis impediencia	107
§. 74. Causae ab integritate confessionis certe excusantes	110
§. 75. Casus practicus	111
§. 76. Causae ab integritate confessionis non excusantes	112
§. 77. Causae confessionem irritantes	114
§. 78. Partitio confessionis	—
§. 79. Confessionis forma externa	115
§. 80. Confessio per literas aut internuntium	116
§. 81. Confessio per interpretem	117
§. 82. Modus excipiendi confessiones	—
§. 83. Locus et tempus excipiendae confessionis	120

A r t i c u l u s II.

De poenitentibus interrogandis sive examinandis.

§. 84. Jus et obligatio confessarii poenitentes examinandi	121
§. 85. Materia quaestionum	122

XIV

	Pag.
§. 86. Quaestiones de peccatis a poenitente probabiliter commissis	123
§. 87. De specie peccatorum	124
§. 88. De numero peccatorum	125
§. 89. De circumstantiis peccatorum	126
§. 90. De peccatis omissionis et muneris sive status	129
§. 91. Quaestiones de morali poenitentis caractere	130
§. 92. Quaestiones de dispositione poenitentis	131
§. 93. Quaestiones de veritatibus religiosis	133
§. 94. Conclusio quaestionum	—
§. 95. Materia quaestionum vitanda	134
§. 96. Modus interrogandi. — Conditiones quaestionum	136
§. 97. Prudentia in interrogando	138

Articulus III.

De poenitentibus instruendis et admonendis.

§. 98. Obligatio confessarii poenitentes instruendi	141
§. 99. Instructionis delineatio	142
§. 100. A. Instructio quoad rectam officiorum et veritatum religiosarum cognitionem	—
§. 101. Regulae practicae	143
§. 102. Quoad cognitionem sui ipsius	146
§. 103. Quoad agnitionem peccatorum	147
§. 104. Continuatio	148
§. 105. Quoad agnitionem obligationum ex peccato prodeuntium	—
§. 106. Quoad ipsam curationem animi morbis adhibendam	149
§. 107. Continuatio	151
§. 108. Correptiones in finem emendationis	154
§. 109. Monita pro confessario	155
§. 110. B. Institutio ad perfectionem christianam	157
§. 111. Regulae practicae in ducendis ad studium perfectionis poenitentibus	158
§. 112. Materia et fons instructionum et admonitionum	161
§. 113. Indoles earundem	162
§. 114. C. De dubiis solvendis ac consiliis dandis	166
§. 115. Casus practici	—

Caput II.

De principiis generalibus circa contritionem observandis.

§. 116. Contritio	168
§. 117. Divisio	169
§. 118. Qualis contritio Sacramento Poenitentiae necessaria	170
§. 119. Obligatio confessarii circa poenitentium contritionem	172
§. 120. Observationes circa poenitentium contritionem	174
§. 121. Verae contritionis signa	175
§. 122. Signa defectum verae contritionis indicantia	177
§. 123. Rationes et motiva contritionis	178
§. 124. Eorundem delectus	180
§. 125. Continuatio	181

	Pag.
§. 126. Modus ea proponendi	182
§. 127. Monitum generale	183
§. 128. Boni propositi indoles	184
§. 129. Eiusdem eversio	185

C a p u t III.

De principiis generalibus circa satisfactionem observandis.

A r t i c u l u s I.

De satisfactione imponenda.

§. 130. Satisfactionis notio et necessitas	187
§. 131. Satisfactionis ad Poenitentiae Sacramentum ratio	188
§. 132. Satisfactionis finis et conditio duplex	—
§. 133. Satisfactionis praestandae media	189
§. 134. Satisfactionis effectus	190
§. 135. Confessarii eandem imponendi jus et obligatio	191
§. 136. Satisfactionis imponendae indoles	—
§. 137. Congruentia satisfactionis cum peccatorum natura interna et relatione externa	192
§. 138. Continuatio	193
§. 139. Congruentia satisfactionis cum peccatorum gravitate	194
§. 140. Continuatio	195
§. 141. Conditiones ad obtinendas indulgentias	197
§. 142. Congruentia satisfactionis cum indole poenitentis interna	199
§. 143. Congruentia satisfactionis cum conditione poenitentis ex- terna	200
§. 144. Congruentia satisfactionis cum bona fama aliisque officiis poenitentis	201
§. 145. Modus satisfactionem poenitentibus imponendi	202
§. 146. Satisfactionis commutatio	205
§. 147. Tempus peragenda satisfactionis sacramentalis	206
§. 148. Modus agendi poenitentiam in veteri Ecclesia	208
§. 149. Canones poenitentiales	210

A r t i c u l u s II.

De satisfactionis operibus.

§. 150. A. Satisfactionis opera generalia	215
§. 151. I. Oratio. 1) Precatio striete talis	216
§. 152. Regulae in injungenda precatione observandae	217
§. 153. Oratio dominica	219
§. 154. 2) Cultus Dei communis	224
§. 155. 3) Devotio erga beatam Virginem Mariam	225
§. 156. 4) Devotio erga angelum custodem sanctosque patronos	226
§. 157. 5) Lectio spiritualis	227
§. 158. 6) Frequens conscientiae examen	229
§. 159. 7) Actus contritionis de peccatis commissis	231

XVI

	Pag.
§. 160. 8) Actus virtutis	232
§. 161. 9) Frequentior Sacramentorum usus	233
§. 162. a) Sacramenti Poenitentiae	—
§. 163. b) SS. Eucharistiae sive Communionis	236
§. 164. Regulae in determinanda sacrae Communionis frequentia	239
§. 165. Objectionis solutio	243
§. 166. Dilatio sacrae Communionis	244
§. 167. Communio spiritualis	245
§. 168. 10) Frequens Dei praesentis memoria	246
§. 169. 11) Piae adspirationes	247
§. 170. 12) Matura veritatum religiosarum perpensio et applicatio ad animum emendandum	248
§. 171. 13) Meditatio	249
§. 172. 14) Exercitia spiritalia	251
§. 173. II. Jejunium	252
§. 174. 1) Jejunium stricte tale, sive abstinencia cibi potusque	253
§. 175. 2) Evitatio socialium conventuum et oblectationum	254
§. 176. 3) Abbreviatio somni	255
§. 177. 4) Voluntaria molestorum laborum susceptio	256
§. 178. 5) Mortificatio	—
§. 179. III. Eleemosyna	259
§. 180. B. Satisfactionis opera specialia	260
§. 181. Contra superbiam et vanam gloriam	261
§. 182. Contra avaritiam	264
§. 183. Contra duritiem et immisericordem animum in pauperes	266
§. 184. Contra peccata impudicitiae	267
§. 185. Continuatio	269
§. 186. Continuatio	271
§. 187. Continuatio	273
§. 188. Contra odium et invidiam	274
§. 189. Contra suspiciones et judicia temeraria	276
§. 190. Contra linguae peccata	279
§. 191. Contra gulam et ebrietatem	281
§. 192. Contra iram	283
§. 193. Contra consuetudinem blasphemandi, et indiscrete jurandi	285
§. 194. Contra acediam	286
§. 195. Contra peccatum desperationis	288
§. 196. Contra peccatum praesumptionis	289

C a p u t IV.

De principiis generalibus circa absolutionem observandis.

§. 197. Confessarius iudex peccatorum a Christo constitutus	291
§. 198. Canon universalis et objectivus in usu potestatis sacramentalis	292

A. De absolutione danda.

§. 199. Absolutionis forma absoluta	293
§. 200. Absolutionis forma conditionata	—
§. 201. Sententia contraria	295

B. De absolutione non danda.

	Pag.
§. 202. a) Dilatio	297
§. 203. Continuatio	299
§. 204. b) Denegatio	301
§. 205. Regulae practicae	302
§. 206. Media inter rigorem et laxitatem via	303
§. 207. Absolutionis sacramentalis forma et sensus	305
§. 208. Modus agendi in absolutione danda	307
§. 209. Quaestiones practicae hanc materiam spectantes	—
§. 210. Modus agendi in absolutione differenda	308
§. 211. Modus agendi in absolutione deneganda	311

S e c t i o II.

*De principiis specialibus in administratione sacramenti
Poenitentiae observandis.*

§. 212. Conspectus	312
------------------------------	-----

C a p u t I.

*De principiis specialibus ratione habita status poenitentium
interni.*

A. Pro varia mentis indole.

§. 213. Eruditi	313
§. 214. Fidem negantes, et in ea nutantes	315
§. 215. Adulti in religione ignorantes	317
§. 216. Inculti et plebeji	318
§. 217. Hebetes	319

B. Pro varia voluntatis indole.

§. 218. Levia ac venialia confitentes peccata	—
§. 219. Personae devotae in perfectione christiana proficere cupientes	322
§. 220. Eas dirigendi modus	323
§. 221. Continuatio	326
§. 222. Regula vitae devotae	327
§. 223. Personae ad speciem devotae	333
§. 224. Tepescentes	335
§. 225. In periculo lapsus constituti	336
§. 226. Neolapsi	337
§. 227. Malitiae peccata confitentes	—
§. 228. Peccata occasione nata confitentes. — Notio et divisio occasionis peccati	339
§. 229. Assertiones circa occasiones peccandi tollendas evitandasve	341
§. 230. Agendi ratio confessarii cum iis, qui sunt in occasione	342
§. 231. proxima peccandi	342
§. 232. Monita pro confessario	345

XVIII

	Pag.
§. 232. Casus practici	346
§. 233. Peccata ex consuetudine nata confitentes	347
§. 234. Conversio flagitii assuetorum	348
§. 235. Causae, cur perfecta conversio tarde et laboriose fieri soleat	350
§. 236. Corollarium practicum inde resultans	352
§. 237. Consuetudinarios tractandi modus	353
§. 238. Continuatio	355
§. 239. Casus practici	357
§. 240. Relapsi ex infirmitate	358
§. 241. Neoconversi	360

C. Pro varia peculiarium animi affectionum iudole.

§. 242. Melancholici	362
§. 243. Phlegmatici	363
§. 244. Sanguinei	—
§. 245. Choleric	364
§. 246. Poenitentes tristitia et moerori affecti	—
§. 247. Ob varia vitae infortunia contristati	366
§. 248. Ob desolationes internas contristati	368
§. 249. Regulae in desolatione tenendae	370
§. 250. Ob tentationes varias contristati	371
§. 251. Modus tentationibus resistendi	373
§. 252. Continuatio	375
§. 253. Monita post tentationem	376
§. 254. Poenitentes desiderii inordinati inquietudine agitati	377
§. 255. Poenitentes scrupulosi et pusilli animi	378
§. 256. Criteria animi scrupulosi	379
§. 257. Causae	380
§. 258. Regulae generales in tractandis scrupulosis	381
§. 259. Monita specialia in tractandis scrupulosis	383
§. 260. Mira et insolita confitentes	389
§. 261. Criteria ad discernendas visiones	390
§. 262. Criteria ad ecstases discernendas naturales et supernaturales	392
§. 263. Monita S. Philippi Neri	393
§. 264. Cura eorum, qui per visiones delusi sunt	395

C a p u t II.

De principis specialibus ratione habita poenitentium status externi.

§. 265. Parvuli et pueri. Momentum confessionis parvulorum et puerorum	396
§. 266. Aetas	397
§. 267. Agendi ratio cum parvulis et pueris	398
§. 268. Continuatio	400
§. 269. Confessio puerorum ad primam sacram Communionem ac- cedentium	402
§. 270. Adolescentes et juvenes	403
§. 271. Senes	407
§. 272. Feminae	—
§. 273. Virgines	408
§. 274. Viduae	409
§. 275. Moniales	410

	Pag.
§. 276. Monita generalia pro perfectione monialium	412
§. 277. Clerici sacris Ordinibus initiandi	414
§. 278. Sacerdotes	417
§. 279. Continuatio	420
§. 280. Sponsi	422
§. 281. De Sponsalibus	424
§. 282. Matrimonium mixtum inituri	429
§. 283. Conjuges	430
§. 284. Continuatio	431
§. 285. Continuatio	432
§. 286. Matrimonii impedimento implietti	433
§. 287. Modus agendi occurrente impedimento dirimente	434
§. 288. Continuatio	436
§. 289. De dispensatione super impedimentis	—
§. 290. De sanatione matrimonii in radice	438
§. 291. De dubio circa matrimonii valorem	440
§. 292. De matrimonio putativo	441
§. 293. De impedimentis impediens	—
§. 294. De prohibitionibus civilibus	442
§. 295. De separatione a thoro et mensa	—
§. 296. Parentes	445
§. 297. De culpa parentum in peccatis filiorum	446
§. 298. Parentes illegitimarum prolium	448
§. 299. Nobiles	449
§. 300. Magistratus et iudices	451
§. 301. Milites	452
§. 302. Opifices et mercatores	453
§. 303. Heri seu Domini	—
§. 304. Famulantes	454
§. 305. Divites	455
§. 306. Pauperes	—
§. 307. Surdastris, muti, surdo-muti	456
§. 308. Infirmi Momentum et gravitas confessionis infirmorum	457
§. 309. Modus disponendi infirmos ad confessionem	459
§. 310. Modus agendi in ipsa confessione excipienda	460
§. 311. De restitutione ab infirmis praestanda	462
§. 312. De tentationibus, quibus impeti solent infirmi	463
§. 313. De virtutibus, quibus exercendi sunt infirmi	464
§. 314. De Eucharistia et Unctione infirmorum	465
§. 315. De testamento ab infirmis condendo	467
§. 316. Infirmi et moribundi parvuli	—
§. 317. De Benedictione Apostolica, vulgo sic dicta General-Ab- solution	468
§. 318. Modus agendi, dum infirmus ad ultimam luctam accedit, et postquam obiit	469

C a p u t III.

De principiis specialibus, ratione habita specialium relationum poenitentium et peccatorum.

§. 319. Poenitentes confessario ignotam linguam loquentes	470
§. 320. Ad fidem catholicam conversi	—

	Pag.
§. 321. Homines facinorosi carceribus mancipati	472
§. 322. Rei capite damnati	473
§. 323. Continuatio	476
§. 324. Continuatio	477
§. 325. Peccata, quae nova officia pariunt, confitentes	478
§. 326. Ad restitutionem obligati	—
§. 327. Fundamentum restitutionis	480
§. 328. Cooperantes ad injustam laesionem	482
§. 329. Ordo restitutionis inter plures ad injustam laesionem coo- perantes	484
§. 330. Reliqua restitutionis adjuncta	—
§. 331. Continuatio	487
§. 332. Causae a restitutione excusantes	488
§. 333. De compensatione occulta	489
§. 334. Casus practici	490
§. 335. Compensatio injustae laesionis	494
§. 336. Continuatio	495
§. 337. Continuatio	496
§. 338. Casus practici	497
§. 339. Manifestationis Officio innodati	500
§. 340. De sollicitatione ad turpia	—
§. 341. Casibus reservatis innexi	504
§. 342. Censura irretiti	—
§. 343. Voto ligati	506
§. 344. De voto simplici castitatis	508
§. 345. Casus practici	510
§. 346. De confessione generali. Necessitas et utilitas confessionis generalis	512
§. 347. Modus agendi confessarii in confessionibus generalibus excipiendis	514
§. 348. Continuatio	515
§. 349. Agenda administrato Poenitentiae Sacramento	517
§. 350. Epilogus ad Lectores, Sacerdotes et Confessarios juniores	518

A p p e n d i x I.

De Matrimonio	521
-------------------------	-----

A p p e n d i x II.

De Facultatibus Episcopis a Sacra Sede Apostolica concedi solitis.

A. Facultates sic dictae quinquennales a Sacra Congregatione de propaganda fide dari solitae	536
B. Facultates a Sacra poenitentiaria dari solitae	538

Introductio.

Poenitentia.

§. 1. **F**ilius Patris unigenitus, Jesus Christus, Dominus et Deus noster, venit in hunc mundum, ut omnes, qui credunt in Eum, non pereant, sed habeant vitam aeternam. Copiosam enim nobis paravit redemptionem, pro peccatoribus moriens, ipse Justus pro injustis. Et quotquot sacro baptismatis fonte abluti sunt, reapse a peccatis suis liberati sanctificantur ceu filii Dei in spe vitae aeternae. Ast quam infelices heu! excidimus visceribus dilectionis divinae, de novo peccando et peccata cumulando! Neque hos miseros iterum iterumque lapsos benignitas et humanitas Salvatoris dimittit inanes spe veniae, sed ad suae misericordiae thesauros nunquam non invitat dicens: „Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos” ¹⁾. Accedimus Eum laborantes et peccatis onerati, et reficimur in secunda post naufragium tabula, in *Sacramento Poenitentiae*. Ipse est, qui *Poenitentiam* operatur in nobis et nos per Ipsum. „Sine me nihil potestis facere” ²⁾. Huic autem Sacramento Novae Legis fundamento est et intime nexa ejusdem nominis *virtus* moralis, videlicet *poenitentia*, quae cognitionem erroris pristini et mutationem propositi, nec non dolorem animi et facti ipsius punitionem complectitur. Quem poenitentiae, qua virtutis, significatum et usus loquendi sacer, et omnium saeculorum consensus probant. Unde legimus: „Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et fletu, et in planctu. Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra” ³⁾. „Idcirco ipse me reprehendo et ago poenitentiam in favilla et cinere” ⁴⁾. „Si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cinere et cilicio poenitentiam egissent” ⁵⁾. „Quae secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur” ⁶⁾. Quae poenitentia si cinerem, cilicium, terroresque et gemitus involvit, cum resipiscentia etiam acre commissi peccati odium ejusque vindictam importat. Quod Ecclesiae Patres non minus clare ac frequenter exprimunt. Ex. gr. S. Augustinus ait: „Non sufficit ad poenitentiam mores in melius mutare, et a factis malis recedere, verum etiam de his, quae facta sunt, satisfiat Deo per poenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis” ⁷⁾. Et alio loco: „Nihil agit, quem veraciter poenitet, nisi ut id, quod mali fecerit, impunitum esse non sinat” ⁸⁾. Et S. Gregorius M.: „Admonendi sunt, qui admissa dese-

¹⁾ Matth. XI. 28. — ²⁾ Joan. XV. 5. — ³⁾ Joël. II. 12. 13. — ⁴⁾ Job. XLII. 6. —
⁵⁾ Luc. X. 13. — ⁶⁾ II. Cor. VII. 10. — ⁷⁾ Serm. 351. n. 12. — ⁸⁾ Epist. 153.

runt, nec tamen plangunt, ne jam relaxatas aestiment culpas, quas etsi agendo non multiplicant, nullis tamen flotibus mundant. Neque enim scriptor, si a descriptione cessaverit, quia alia non addidit, etiam illa, quae scripserat, delevit: et simili modo nec qui contumelias irrogat, si solummodo tacuerit, satisfecit: cum profecto necesse sit, ut verba praemissae superbiae verbis subjunctae humilitatis impugnet: nec debitor absolutus est, qui alia non multiplicat, nisi et illa, quae ligaverat, solvat. Ita et, cum Deo delinquimus, nequaquam satisfacimus, si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates quoque, quas dileximus, e contrario appositis lamentis insequemur¹⁾. Lactantius vero omnia, quae ad poenitentiae notionem pertinere diximus, paucis ita complectitur: „Nec tamen deficiat aliquis, ut de se ipso desperet, si — ad injustitiae viam lapsus est; potest enim reduci et liberari, si eum poeniteat actorum, et ad meliora conversus satisfaciat Deo²⁾).

Atque hoc modo per poenitentiam Deo reconciliati sunt homines³⁾, antequam Christus aeterna Dei consilia de salvandis peccatoribus plene patefaceret, atque eum in finem Ecclesiam suo sanguine mundatam institueret. Postquam vero in N. T. Apostolis suis potestatem tradidit remittendi retinendique peccata, ex divina institutione in Poenitentia suas etiam partes habet ministerium ecclesiasticum, ita quidem, ut peculiare exinde prodeat Sacramentum, quod a superius descripta *virtute* differt ut totum a parte, aut homo integer anima et corpore constans differt ab anima.

Poenitentiae Sacramentum.

§. 2. Est autem Poenitentia Novi Testamenti Sacramentum, a Christo Domino institutum, quo per juridicam sacerdotis absolutionem, homini contrito, confesso et satisfacere parato peccata post baptismum commissa remittuntur.

I. Divina ejus institutio argumentis omni exceptione majoribus nititur. Ipse salvator optimus ex divina sua potestate paralytico⁴⁾, mulieri peccatrici in civitate⁵⁾, et latroni in cruce⁶⁾ peccata remisit, et Pharisaeis hanc potestatem utpote mere divinam Ipsi negantibus dixit: „Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius, dicere: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: Surge, et ambula? Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surrexit, et abiit in domum suam⁷⁾. Itaque Ipse potestatem remittendi peccata exercuit. Hanc vero eandem suam potestatem dedit et Apostolis, cum a mortuis excitatus insufflavit eos, dicens: „Sicut misi me Pater, et ego mitto vos. — — Accipite

¹⁾ Libr. Past. P. III. Admonit. 31. — ²⁾ Institut. Libr. 4. — ³⁾ Ezech. XVIII. 21, II. Reg. XII. 13. 14. — ⁴⁾ Matth. IX. — ⁵⁾ Luc. VII. — ⁶⁾ Luc. XXXIII, 43. — ⁷⁾ Matth. IX. 4. — 7.

Spiritum sanctum, quorum remisieritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt" ¹⁾). — Cum divinus Religionis nostrae Author et Ecclesiae Fundator Apostolis eorumque in officio successoribus concesserit potestatem peccata remittendi et retinendi peccatoribus in Ecclesia sua, simul significavit, mentem suam et ordinationem esse, ut non indiscriminatim peccatoribus omnibus peccata remittant, neque caeco modo agant, sed praevia causae seu peccatorum et status peccatoris cognitione, qua de ipsius dignitate vel indignitate pro obtinenda peccatorum remissione judicare possint, eamque iis solum, quos vere dignos judicaverint, concedant, reliquis vero denegent. Atqui hanc cognitionem habere nequeunt, nisi peccator peccata sua ipsis sacerdotibus confiteatur, manifestetque ipsis cordis sui statum et dispositionem: ergo Christus Dominus concedendo Apostolis eorumque in officio successoribus potestatem remittendi et retinendi peccata, ordinavit praecepitque tum *actionem*, qua peccator peccata sua exponat ostendatque, se vere contritum esse ac resipiscere et satisfacere paratum; adeoque rite dispositum ac dignum, cui peccata remittantur et restituatur amissa Dei gratia et amicitia; tum *actionem*, qua sacerdos ceu minister visibilis Ecclesiae visibilis peccatorem confessum et poenitentem forma sensibili, nimirum absolutione verbis declarata, a peccatis absolvat eumque cum Deo reconciliet. Omnia igitur, quae ad Sacramenti rationem requiruntur, his continentur. Primo quidem requiritur ad Sacramentum, ut gratiae habeat promissionem divinam sibi conjunctam; sed hoc ex ipso textu est manifestum. 2^o, ut fuerit a Christo Domino institutum; hoc quoque verba ipsa luce clarius demonstrant. 3^o, ut sit signum externum; sed et hoc verba Christi, ut exposuimus, necessario efficiunt. — Ita quidem Ecclesia Christi rem intellexit omni aevo ipsoque usu perpetuo frequentavit, ut peccata post baptismum commissa non aliter remitteret, quam per exterius sacerdotum ministerium, quorum divinam desuper concessam potestatem semper agnovit. Singillatim traditionis divinae testimonia enumerare supersedemus, quoniam nostri instituti ratio fusiorem demonstrationem haud postulat ²⁾). Sufficit, quod S. Synodus Trid. contra novos errores sancivit, vestigia Ecclesiae antiquae sequens: „Quoniam Deus dives in misericordia cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitae remedium contulit, qui sese postea in peccati servitute et daemonis potestatem tradidissent: Sacramentum videlicet Poenitentiae, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur" ³⁾).

¹⁾ Joan. XX. 22. 23. — ²⁾ Vide: Theolog. dogm. Cl. Theob. Lienhard. Tom. III. P. 299. Argentorati 1821. — Instit. theolog. Cl. Leopoldi Liebermann Tom. V. — Praelect. theolog. Cl. Joannis Perone Tom. VI. — Katholische Dogmatik von Heinrich Klee. III. Bd. S. 223. Mainz 1835. — Theolog. dogm. cathol. Cl. Dris. Joannis Schwetz. Vol. III. Viennae 1854. — ³⁾ Sess. XIV. cap. 1.

Et Canone III., ne verba illa Joannis totius consolationis alienum in sensum trahantur, ut fiebat saeculo XVI., praecavebat: „Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum sanctum, — non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in Sacramento Poenitentiae sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti ad auctoritatem praedicandi Evangelium, anathema sit.”

Potestatem ligandi et solvendi Christus jam antea Petro, et omnibus praesente Petro Apostolis promisit: „Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo“¹⁾. Claves potestatem designant. Claves itaque Regni coelorum potestatem significant spirituales, — imprimis eam, qua regnum coelorum vel *aperitur*, vel *clauditur*, (namque aperiendo maxime atque claudendo claves serviunt) — ac proinde potestatem remittendi vel retinendi peccata. „Nonne sunt istae in Ecclesia claves, ubi peccata quotidie dimittuntur?“²⁾ Quo non negamus, illa verba adhuc patere latius et ad regimen Ecclesiae universum pertinere, sive non jurisdictionem solum quoad interna, sed etiam quoad externa (quatenus haec posterior spiritualis est naturae) vocabulis illis denotari.

Qui verba Christi Joan. cap. XX. ad sensum improprium detorquent, maxime errant. Sensum enim proprium et literalem exigunt: a) Hermeneutica lex prima, ex qua, sine necessitate a sensu literali recedere nefas est. b) Circumstantiae — resurrectio nempe et insufflatio, — quae multo augustiorem, quam improprium sensum praesumere jubent. Neque etiam illud mysterio caret, quod Christus Joan. XX. Spiritum sanctum dederit per insufflationem; hoc enim indicat, eum datum esse ad usum remittendi peccata, qui est proprie Spiritus sancti effectus, quemadmodum Spiritus sanctus in die Pentecostes ad praedicandum Evangelium sub specie linguarum datus est. c) Dein energia loquentis summi legislatoris Apostolos ita mittentis, uti missus ipse a Patre fuerat; hi itaque memores, Christum vere peccata remisisse, non poterant non cogitare, cum ea verba audirent, vera dimittendorum peccatorum potestate a Christo se ornari.

Haec autem remissio peccatorum, quae per Sacramentum Poenitentiae confertur, longe differt ab illa, quae in Baptismate obtinet. Potestas remittendi peccata per Poenitentiam exercenda venit in Ecclesia et in membra Ecclesiae; at vero membra Ecclesiae non sunt, nisi qui Baptismum jam acceperunt. Pariter potestas verbis Christi apud S. Joannem l. c. collata, exercetur per *actum judicalem*: secus in Baptismate, quod omnibus qui sincere Christianam religionem amplecti cupiunt, administrari debet³⁾. Sancti Patres reconciliationem, quae fit per Poenitentiam, aperte distinguunt a Baptismo. Ita S. Augustinus de homicidii peccato sic habet: „Si a Catechumeno factum est, Baptismate abluitur; et si a baptizato, Poenitentia et reconciliatione sanatur“⁴⁾. Sentiunt hoc multi ex adversariis, et quidem accuratioris notae interpretes. Quare contendunt, eam potestatem solis Apostolis fuisse concessam, et cum iis exspirasse. Sed in hoc denuo errant; nam haec potestas data est velut connexa cum Ecclesia. Ergo sicut Ecclesia usque ad consummationem saeculi perduratura est, ita et illa potestas perdurare debet. Unde et videmus, eam in Ecclesia etiam post aevum Apostolorum usque ad nostra tempora semper fuisse agnitam atque exercitam, et etiam nunc agnoscere et exercere. —

¹⁾ Matth. XVI. 19. XVIII. 18. — ²⁾ S. Aug. serm. 149 Cfr. S. Hilar. in Matth. comm. c. 18., S. Chrys. de Sacerd. libr. 3. c. 4. — ³⁾ Conc. Trid. Sess. XIV. cap. 2. can. 2. — ⁴⁾ Libr. 2. de Adulterinis conjugis c. 16. c. 17.

II. Insigne hoc divinae misericordiae Sacramentum ratio indigentis hominum adprime accommodatum, quin imo necessarium agnoscit. Concupiscentia enim atque ad vitia proclivitas in baptizatis etiam remanet, unde proh dolor! saepius accidit, ut renati Baptismo, roborati Confirmatione et nutriti SS. Eucharistia delinquant nihilominus, et morbum quandoque gravem, vel ipsam mortem animae incurrant; quemadmodum circa corporis valetudinem plane similia haud raro cernimus. Jam vero Baptismus repeti non potest. Unicum ergo superest in Sacramento Poenitentiae remedium, quo aegri animabus sanari, vel spiritualiter mortui ad vitam spiritus suscitari, sive vere poenitentes denuo Deo reconciliari possunt. Quod autem haec peccatorum reconciliatio post Baptismum perficienda ope *Sacramenti externi* fieri debeat, vel exinde patet, a) quia non nisi hoc modo de facta reconciliatioe persuasi, et consolatione animi sustentati, idonei aptique reddimur, quo possimus bono animo salutem nostram operari ac reliquorum Sacramentorum participes fieri. Atque hac ratione Ecclesia ex fine a Sanctissimo Salvatore ipsi praefixo indigentis generis humani undequaque satisfacit. b) Quemadmodum spiritualis in Baptismo regeneratio visibili Sacramento exhibetur et efficitur, ita non minus decet ac congruit, ut reconciliatio ob peccata post Baptismum commissa necessaria pariter modo concreto et objectivo, in momento aliquo determinato actuque externo exhibeatur et exhibendo efficiatur. c) Nec deerant in V. Testamento peculiaria reconciliationis ob immunditias et peccata, quorum contagione sese contaminaverant Israëlitaë, media piaculæ externa et visibilia: cur itaque in Nova Lege medium, non sit externum et visibile, quo non externe tantum, sed et interne vereque sacramentaliter purgentur et sanctificentur fideles? d) Denique assertio illorum, qui potestatem remittendi peccata in Sacramento Poenitentiae ab Ecclesiae ministris exercendam negant, ad ultimum huc redit, quasi Deus homines dispensatores gratiae suae constituere haud valeat; quo fit, ut non solum Sacramenta omnia, verum etiam omnis religio et revelatio divinitus data pariter negentur ¹⁾.

Poenitentiae Sacramenti usus necessarius.

§. 3. Quae cum certissime constant, omnibus vere poenitentibus necessarium est, divinae huic ordinationi sese prono animo submittere. Ad quid enim Ecclesiae datae fuissent claves, si regnum coelorum, quod peccatori obseratum est, posset sine his clavibus aperiri? Ad quid dictum fuisset Apostolis: „Quaecunque solveritis etc.” ²⁾, et iterum: „Quorum remiseritis peccata etc.” ³⁾, si nulla esset ad hanc potestatem recurrendi necessitas? Ad quid tribunal

¹⁾ Klee's katholische Dogmatik. S. 233. Bossuet's Auslegung der Lehre der katholischen Kirche. — ²⁾ Matth. XVIII. 18. — ³⁾ Joan. XX. 22. 23.

erectum fuisset a Christo et instituti iudices, si liberum esset declinare iudicium? Hinc praeclare S. Augustinus: „Agite,” inquit, „poenitentiam, qualis agitur in Ecclesia. Nemo sibi dicat: Occulte ago, apud Deum ago. Ergo sine causa claves datae sunt Ecclesiae. Frustramus Evangelium Dei, frustramus verba Christi” ¹⁾. Id enim inprimis in hoc argumento notandum est, non solvendi tantum, sed et ligandi, non remittendi tantum, sed et retinendi potestatem esse datam; ast vana prorsus esset haec potestas, si peccatori aliae paterent ad reconciliationem viae. Constans semper Ecclesiae doctrina fuit, Poenitentiam iis, qui post Baptismum lapsi sunt, ita necessariam esse, ut Baptismum nondum regeneratis ²⁾. Ut enim concontracta navi unum vitae servandae perfrugium reliquum est, si forte tabulam aliquam de naufragio licet arripere, ita post amissam Baptismi innocentiam, nisi quis ad poenitentiae tabulam confugiat, sine dubio de ejus salute desperandum est ³⁾.

Dum vero hujus Sacramenti necessitatem adstruimus, defendimus illud necessarium ad salutem ita, ut *in re* suscipiatur, ubi facultas suscipiendi est, aut *in voto*, si in re ipsa haberi nequit; quandoquidem contritio perfecta in nova Lege non justificat peccatorem, nisi in quantum continet in se votum Sacramenti ⁴⁾.

Poenitentiae minister.

§. 4. Cum potestas clavium *solis* Apostolis et eorum in Sacramentum *successoribus* concessa sit, ut manifeste patet ex supra dictis, haec autem potestas per hoc ipsum Sacramentum Poenitentiae exerceatur, soli quoque sacerdotes a Christo instituti sunt Sacramenti Poenitentiae ministri. Haec est doctrina Patrum et conciliorum; in hoc consentiunt ecclesiae omnes, Graeci cum Latinis, et cum Occidente totus Oriens, quamvis in sectas divisus innumeras, ita ut nunquam auditum fuerit in Ecclesia, alios quam sacerdotes potestatem habere remittendi et retinendi peccata. Sic Magnus ille Basilius in dialogo, qui Regulae Monachorum inscribitur, per Rufinum synchronon D. Hieronymi verso, iis peccata necessario vult aperiri, *quibus dispensatio Mysteriorum commissa est*, i. e., ut sibi interpres est, sacerdotibus. Huic sententiae subscribit S. Ambrosius, qui clarissime docet: „*Jus hoc, absolvendi scilicet, solis permissum est sacerdotibus*” ⁵⁾. S. Chrysostomus hoc idem fatetur, dum ait: „Sicut pater tradidit potestatem Filio iudicium faciendi, sic Filius sacerdotibus.” Et infra: „Insania manifesta est, despiciere tantum principatum, sine quo neque salutis neque promissorum bonorum

¹⁾ Serm. 392. alias hom. 49. — ²⁾ Conc. Trid. Sess. XIV. cap. 1. 2. can. 6. 7. — ³⁾ Catechism. Rom. P. II. c. 5. p. 1. juxta Editionem Andreae Fabritii Leodii. Aug. Vindel. 1762. — Cf. Liebermann Instit. theolog. Tom. V. — ⁴⁾ Conc. Trid. Sess. XIII. cap. 7. — ⁵⁾ De Poenit. libr. 1. c. 2.

compotes fieri possumus. Hi sunt enim, qui non tantum regenerant nos in Baptismo, sed peccata post Baptismum remittunt, et veteris Testamenti sacerdotes longe exsuperant, qui tantum potestatem habebant probandi a lepra purgatos; ast nostris sacerdotibus, non corporis lepram, verum animae sordes, non modo probare, sed et purgare prorsus concessum est¹⁾. Eodem sensu, quia eodem spiritu, scribit S. Leo Magnus, Pontifex doctissimus et toto orbe celebratissimus, cujus Decretum exstat ad Theodorum Episcopum Foro-Juliensem, ubi »divinae bonitatis praesidia a Deo docet sic ordinata esse, ut indulgentia Dei, nisi supplicatione sacerdotum nequeat obtineri: quia mediator Dei hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus sanctionem Poenitentiae darent, et eodem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.» Atque hoc modo per omnium saeculorum decursum testes locupletissimos traditionis divinae circa sacerdotem, ministrum hujus Sacramenti, adducere possemus, si testimoniorum numero certandum foret. Quibus postremo Synodum Tridentinam jungimus: »Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere, aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: Quaecunque ligaveritis... et: Quorum remiseritis peccata... anathema sit»²⁾. Ruit ergo Novatorum doctrina, ruit impium Wiclefi commentum in Concilio Constantiensi damnatum: »Laicum, si vir frugi fuerit, clavium potestatem accepisse.» Et illud Waldensium: »Potestatem absolvendi bonus laicus habet, malus sacerdos non habet.»

Poenitentiae effectus.

§. 5. Nihil profecto tam proderit fidelibus nihilque majorem illis alacritatem Poenitentiae suscipiendae afferet, quam si salubres fructus inde exorituos cognoverint. Vere enim de Poenitentia illud dici posse intelligent, ejus quidem radices amaras, fructus vero suavissimos esse³⁾. Etenim ea est hujus sacramenti vis et efficacia, ut praeterita peccata deleat tum quoad culpam, tum quoad poenam aeternam. Ad hoc enim claves Ecclesiae datae sunt; neque ullum est delictum quantumvis gravissimum, quod non possit per hoc Sacramentum deleri. Verum non a peccatis solum Poenitentiae Sacramentum liberat, gratiam sanctificantem animabus infundendo, per quam homo in Dei gratiam restituitur, cum eo summa amicitia conjungitur, jusque habet in aeternam beatitudinem, sed interdum pro contritionis fervore et quo saepius quis confiteatur, poenam temporalem diminuit, tribuitque hominibus, qui hoc Sacramentum

¹⁾ De Sacerd. libr. 3. c. 4. et 5. — ²⁾ Sess. XIV. can. 10. — ³⁾ Catechismus Rom. P. II. c. 5. q. 17. Edit. supra citat.

sancte et religiose percipiunt, maximam conscientiae pacem et tranquillitatem cum summa spiritus jucunditate ¹⁾. — Cum homo justus, ubi in peccatum grave prolabitur, justitiam omnem et meritum amittit, bona ipsius opera ante posita et vitam perdunt, et dicuntur opera mortificata. Jam vero haec opera, quibus ita per peccatum vita omnis intercluditur, beneficio Poenitentiae subsequenter reviviscunt, ac iterum meritum coram Deo habent. „Non enim injustus est Deus,” ait Apostolus, „ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, et ministratis” ²⁾. Postremo per hoc Sacramentum etiam acquiritur jus ad obtinendas gratias actuales, quarum ope in accepta justitia perseveretur. Si autem peccata solum venialia exposita fuerunt, operatur Sacramentum Poenitentiae confirmationem et augmentum gratiae sanctificantis. „Qui justus est, justificetur adhuc” ³⁾. „Ne verearis usque ad mortem justificari” ⁴⁾.

Instituti Poenitentiae emolumenta insignia.

§. 6. Vere divini sunt effectus, quos Sacramentum Poenitentiae in nobis peccatoribus mirabiliter operatur. Verum etiam misso caractere Sacramenti, si Poenitentiae institutum, uti in Ecclesia catholica frequentatur, et nunquam non frequentatum est, respectu ethico et psychologico consideretur, saluberrimus nonnisi influxus in animum totamque vitam spiritualem manifestatur. Res quidem in visceribus indigentiarum generis nostri ita redicatur, ut si non existeret, toto pectore eam e coelis advocare deberemus, et ubi reapse existit, ejus originem altius repetere sapientiaeque divinae adscribere non dubitemus.

Nam 1) necessaria conversionis ad Deum conditio et melioris vitae primordium est: *accurata sui ipsius cognitio*, quam nostrum Poenitentiae institutum juvat et mirum in modum perficit. Homo christianus arcana cordis sui penetrare et in bona malave animi sensa inquirere jubetur, ut sciat, quo usque a Christo, qui via, veritas et vita est, recesserit, sibique ac mundo magis quam Deo servierit. Et eo arctior haec cordis discussio erit, quo certior est persuasio, non obiter et levi quodam tactu, sed sincere fatenda esse singula peccata gravia juxta eorum numerum necessariasque eorum circumstantias. Insuper cum in hoc sui examine vana philautia nos facile possit decipere, ope sacerdotis rerum humanarum periti nubes omnis, qua solent interiora contegi, disperebit, omne excusationis velum retrahetur, et manu medici prudenter palpante vulnera nostra prorsus fient manifesta. Sic ubi morbus innotuerit nobis ipsis

¹⁾ Conc. Trid. Sess. XIV. cap. 3. Sess. VI. cap. 16. — ²⁾ Hebr. VI. 10.
— ³⁾ Apoc. XXII. 11. — ⁴⁾ Eccl. XVIII. 22.

et medico prudenti, eo citius et felicius sanitati pristinae restituemur. Magni aestimarunt veteres sapientis illud: „*Nosce te ipsum*;" ast ignorarunt clavim aditum cordis reserantem, quam Ecclesia nostra in Poenitentiae instituto exhibet.

2) Multum interest, malum quod commisimus, et quod omnissimum bonum, animo contrito deflere atque temporis praeterlapsi acta in amaritudine mentis recensere; *quam contritionem veram esse et genuinam comprobamus*, si ore fit confessio peccatorum ad salutem, simulque promptus ostenditur animus viam sequendi, quam, ut duram et laboriosam, sacerdos pro interno externoque nostro statu praesignaverit. Aut qualis foret illa contritio, quae salutis media in hoc sacerrimo tribunali gravissime proposita, audire et exsequi recusaret! profecto et hic valebit: *ex fructibus eorum cognoscetis eos*¹⁾. Unde et ipsum emendationis propositum, praecautio a relapsu, atque exantlandae quaquaversus satisfactiones, quae omnia intime cum vera contritione sunt conjuncta, diriguntur, vivificantur et confirmantur.

3) Sed et nostrum Poenitentiae institutum unica et sola via est, qua *aptissimae, cuique homini convenientissimae instructiones, monitiones, atque correptiones*, quae in publicis concionibus circa generale quoddam thema versantur, ad singulos quosque diriguntur. Quam diversa enim est hominum cultura, quam varie disposita conscientia, videlicet aut laxa, aut anxiosa, aut erronea, aut secure erronea! Quam multi peccant ignorantes quod faciunt! Jam confessarius omnibus omnia factus, pusillis affert lac, adultis cibum solidiorem, exterret erronee securum, commonet innocentes in variis morum periculis versantes, tollit dubia, levat anxietatis onus, corripit malevole peccantes; idque non generatim aut in superficie, sed ad ima usque fundamenta descendit, eo magis, quod inviolabilis silentii obligatio poenitentem reddat proniorem, ut abdita omnia consilia pandat et cordis secreta recludat. Sicque simul efficacissime ope confessarii animus movetur ad scandala data reparanda, damna illata alteri resarcienda, ad bonam famam restituendam, inimicitias extirpandas, ad inculcanda cuilibet incumbentia officia, unde non possunt non gravissima quoque emolumenta in utramque rempublicam redundare et firmissima vitae civilis et ecclesiasticae praesidia. Quapropter nemo dubitabit, confessarium prudentem et solertem suis consiliis et monitis et adhortationibus magnum et excellens esse ad salutem poenitentis subsidium, et magnum in via salutis thesaurum.

4) Accedit, quod confessio, et quod reliquum ei junctum est durum et molestum, nutrit et fovet *spiritum humilitatis*, primum omnis virtutis principium. „Per superbiam” ait S. Augustinus, „reces-

¹⁾ Matth. VII. 20.

simus a Deo, redire ad Eum nisi per humilitatem non possumus" ¹⁾. Verum non datur efficacius humilitatis exercitium, quam internas animi infirmitates alteri confiteri omnemque fucum, quo exterior vitae facies est conspersa, deponere, atque animo speculum cum omnibus maculis suis et inquinamenti viro ad Poenitentiae munus deputato purgandum exhibere. Sic superbia vanaeque sui fiduciae radices paulatim exsiccantur et deficiunt, et ubi perversa sui voluntas emoritur, reviviscit et vegetatur voluntas secundum cor Dei.

5) Denique *solamina spiritualia*, quibus poenitens in integro poenitentiae actu repletur, cum ei persuadeatur, se denuo charitati Dei esse reconciliatum, nova meliori vitae agenda calcaria addunt, et vinculo charitatis eum ad Deum ligant. Inflammatur poenitens ad Deum redamandum, qui prior eum dilexit et in filium adoptavit.

Quapropter si haec pauca, quae indigitavimus, perpendantur; merito assentimur iis, quae ad mentem Conc. Trid. Catechismus Rom. jam suo tempore non verebatur palam asserere: „Quidquid hoc tempore sanctitatis, pietatis et religionis in Ecclesia summo Dei beneficio conservatum est, id magna ex parte Confessione tribuendum esse, ut nulli mirandum sit, humani generis hostem — hanc veluti Christianae virtutis arcem totis viribus oppugnare conatum esse" ²⁾.

Unde et omnes viros ingenuos omni tempore in sui admirationem rapuit hoc catholicae Ecclesiae institutum, ³⁾ cujus rei testem solum nominare juvat virum magni nominis Leibnitium, qui in suo systemate theologico paucis omnia comprehendit dicens: „Totum hoc institutum divina sapientia dignum esse negari non potest, et si quid aliud, hoc certe in Christiana Religione praeclarum et laudabile est, quod et Sinenses et Japonenses sunt admirati: nam et a peccatis multos deterret confitendi necessitas, eos maxime, qui nondum obdurati sunt, et lapsis magnam consolationem praestat, ut adeo putem, pium, gravem et prudentem confessarium magnum Dei organum esse ad animarum salutem: prodest enim ejus consilium ad regendos affectus, ad animadvertenda vitia nostra, ad vitandas peccatorum occasiones, ad restituendum ablatum et reparandum damnum, ad dubia eximenda, ad erigendam mentem afflictam, ad omnia denique animae mala aut tollenda aut mitiganda.”

Jam si nostrum Poenitentiae institutum, qua actus humanus, tantae est efficaciae in integram hominis vitam, profecto non possumus non admirari et celebrare sapientiam Dei, qui actui illi addidit Sacramenti dignitatem et gratiam. — Gott hat dem, was,

¹⁾ Enarr. in Psalm. XXXIII. — ²⁾ P. II. c. 5. q. 32. n. 1. et 4. —

³⁾ Schmid's Liturgik der katholischen Religion. 2. Bd. S. 75, Passau 1835.

als ein ganz menschlicher Act aufgefasst, so viel für sich hat, und Allen zum edlen aufstrebenden Seelenbedürfniss ist, die Kraft himmlischer Weihe ertheilt, dasselbe aus dem Kreise der Menschen in das höhere Leben der Kirche aufgenommen und mit dem sacramentalischen Character umgeben. Nun flüchtet sich der Fromme um so lieber zu demselben, weil er, indem er ein natürliches Seelenbedürfniss befriedigt, zugleich sich einer höheren mit göttlichen Gnaden ausgestatteten Anordnung unterwirft, und auch der Nachlässigere darf sich ihm nicht mehr entziehen. Die Verwaltung des Bekenntnisses ist der Kirche anvertraut; unter dem Siegel des unverletzlichsten Geheimnisses verschlossen, wird es der Erde entrückt, und Gott überliefert; die ihm wohlgefällige Gabe des zerknirschten Herzens und das herrliche Brandopfer des reuevollen Bekenntnisses werden ihm nach seinem Befehle durch die Hand seines Priesters dargebracht; im Namen seines obersten Richters sagt dieser dem Reumüthigen: „Deine Sünden sind dir erlassen,“ und wie ein Engel Jehovas gebietet er dem Gewissen, dem Menschen weiter kein Leid anzuthun. Beruhigt kann nun der Mensch mit festem Schritte seine neue Bahn antreten. Die feste Zuversicht, Gott hat dir verziehen, du bist nun rein geworden, ist die Mutter sehr heilsamer Entschliessungen für die Zukunft, des kräftigsten Gebetes, der glühendsten Liebe. Derjenige liebt viel, der die Sünde aufrichtig bekannt und das Wort gehört hat: „Dir sind deine Sünden nachgelassen,“ und diesem Worte fest vertraut. Eine neue, jungfräuliche Erde ist ein solches Herz, die Tenne Gottes freut sich am Erntetag seiner Früchte. Ohne die Versicherung, dass er über die Vergangenheit beruhigt sein dürfte, bliebe der Mensch gelähmt und unfähig, etwas Bedeutendes im Guten zu leisten; die eine Hand von der Angst an die Vergangenheit fest geschmiedet, läge er da, kraftlos, die andere nach der Zukunft ausstreckend; sein Herz verzehrte die Unruhe“ ¹⁾.

Necessitas et utilitas instructionis ad frugiferam Poenitentiae administrationem.

§. 7. Quemadmodum autem sacrum Poenitentiae ministerium summae est excellentiae et utilitatis, ex aequo fateri oportet, exercitium illius plurimis magnisque difficultatibus involutum esse. Notum est illud S. Gregorii dictum: „Ars artium regimen animarum.“ Constat enim, in hoc tribunali occurrere, quicquid in hoc regimine est impeditissimum. In exteriori foro corpora potius reguntur, quam

¹⁾ Siehe: Die Beichte, eine historisch-kritische Untersuchung. Von Dr. Heinrich Klee. 19. — 34. Linzer Monatschrift. VII. Jahrgang. 8. Bd. P. 331. — 343.

animae; leges quippe, quae illic irrogantur, eo spectant, ut exteriores actus moderentur; hic vero ipsae conscientiarum latebrae ac sinus abditi sunt investigandi, nec actiones tantum, verum etiam intentiones regendae, efficiendumque, ut poenitentes aliter ac antea de rebus judicent, amentque, quod oderant; oderint, quod amabant; spem nanciscantur, ubi desperant dejecti, atque voluptatem illic inveniant, ubi nihil nisi moerorem atque tristitiam reperiebant. Quae lumina! quae prudentia! quae vis! Gratia indiget plurima, et sapientia non modica, qui confitentibus operam dat. „Scientia scientiarum mihi videtur”, ait S. Gregorius Naz., „hominem regere.” Num quis audebit illud aggredi opus, quin regulas in sancto tribunali servandas calleat artemque didicerit, illas variis poenitentiam infirmitatibus applicandi? Nonne timendum est, ne ex ingenii potius libidine, quam ad normam sacrarum sanctionum exerceatur munus, inter omnia officia ecclesiastica difficillimum? Miseris vero poenitentibus, aliquidne magis metuendum est, quam ne in manus confessoriorum hujusmodi incidant? Exercitium et experientia multum quidem conferunt ad rite et fructuose excipiendas confessiones, ast sine praevia regularum et methodi illas applicandi cognitione vix proficient. Et si dentur, qui proprio ingenio ac studio sine duce et magistro proficiant, diffitendum tamen non est, haud omnes quinque talenta accepisse. Quapropter in votis habetur summis, ut quilibet sacerdos, sacer conscientiarum arbiter et iudex, omnem in iis doctrinis, cum a sacris literis, tum a Sanctis Patribus Ecclesiaeque praesulibus praeceptis et *addiscendis* et animo *memoriaeque imprimendis* adhibeat diligentiam, ut istud misericordiae Sacramentum administretur et recipiatur secundum mentem Sanctae Ecclesiae Catholicae.

Libri, qui de re poenitentiaria tractant.

§. 8. Patres Ecclesiae Poenitentiam ejusque administrationem in pluribus operum suorum locis tractarunt. Haec opera eo majoris sunt momenti, quo magis exinde Ecclesiae sensus patescit. In hunc censum veniunt: *Originis* homilia secunda in Leviticum, et aliae in *Matthaeum* et *Lucam*; *Tertuliani* liber de Poenitentia; *Lactantii* Institutiones divinae, imprimis 4^{ta}; *S. Gregorii* Nisseni homilia in eos, qui alios acerbius judicant; *S. Ambrosii* de Poenitentia; *S. Paciani* epistola prima ad Sempronium, et *Paraeneses* ad poenitentes; *S. Joannis Chrysostomi* homiliae plures; *S. Augustini* sermo 352. et liber de Symbolo; *S. Leonis M.* epistolae 84. et 85. de modo administrandi Sacramentum Poenitentiae; *S. Gregorii M.* Expositiones Scripturae Sacrae, praecipue quae factae sunt in librum *Job* et in primum librum *Regum*. Prae reliquis *S. Cypriani* liber de Lapsis, *S. Augustini* Confessiones, *S. Gregorii M.* liber de Cura pastoralis, magno erunt usui confessorio.

Patrum operibus succedunt libri ascetici, qui vitam spiritualem nutriunt atque confortant. Hoc alimento confessarii eo minus carere possunt, quo ipsi magis tum se ipsos, tum deinde etiam alios ad christianam perfectionem ducere studeant. Hic omnium primi notantur: *V. Thomae a Kempis* liber de imitatione Christi, *V. Laurentii Scupuli* liber de Pugna spirituali, *V. Ludovici Granadensis* opera spiritualia, praecipue: „Dux peccatorum” — „Memoriale” — „de oratione et meditatione” — „de amore Dei”, *Ludovici de Ponte*, „Dux spiritualis” — „de perfectione hominis christiani”, *S. Francisci Salesii* Philothea, seu introductio ad vitam devotam.

Postremo consulere juvat libros practicos de re poenitentiarum tractantes, quos inter praecipue nominari merentur:

S. Caroli Borr., Pastorum concionatorumque instructiones ad concionandum, confessionisque et Eucharistiae Sacramentum administrandum utilissimae. Coloniae. 1587.

Eisengrein Martini, Confessionale. Ingolstadii 1578.

Polanci Joann., Directorium breve ad Confessarii ac Confitentis munus recte obeundum. Leodii 1613.

Segneri Pauli, Instructio confessarii. Dilingae 1699.

Herzig Francisci, Manuale confessarii. Aug. Vind. 1717.

Lohner Tobiae, Instructio practica de confessionibus rite ac fructuose excipiendis. Dilling. 1679. Tyrn. 1733.

Fegerle Francisci, Quaestiones practicae Confessarii. Frib. 1732.

Haberti Ludov., Praxis Sacramenti Poenitentiae. Aug. et Herbip. 1750.

Reutter Joann., Neo-confessarius practice instructus. Coloniae Agrippinae 1752.

Loarte Casp., Instructio confessariorum una cum institutione confessariorum, auctore *Martino Fornario*. Mechlinae novissime edita, 1822.

Du Jardin Thomae, De officio sacerdotis qua Judicis et Medici in Sacramento Poenitentiae. Herbip. 1758 et Mechlinae 1825.

Denhofsi Card. et Eppi. Caesenat., Instructio pastoralis de Sacramento Poenit. Venet. 1762.

Joannis Eppi. Castoriensis, Amor poenitens, sive de recto clavium usu. Lib. II. Venet. 1771.

Schneidenbach Bonif., De ratione solvendi et ligandi in Sacramento Poenitentiae Diatriba. 1774.

Wunhard Gabr., Instructio pract. Confessarii. Aug. Vind. 1776.

Doctrina de Sacramento Poenitentiae recte administrando, — quam nova Canonum collectione eandem in rem ex conciliis Germaniae locupletavit presbyter et monachus Benedictinus Congreg. S. Blasii in S. N. Typis San-Blasianis. 1778.

Sasserath Reineri, Neo-confessarius. Colon. Agrip. 1781.

- S. Liguorii Alphonsi*, Homo apostolicus instructus in sua vocatione ad audiendas confessiones. Bassani 1833.
 — — — Praxis confessarii. Bassani. 1781.
 Methodus recte gubernandi parochiam et dirigendi animas in S. Trib. Poenit. Tyrn. 1803.
 Ueber die christkath. Bussanstalt. Freiburg in der Herderischen Kunst- und Buchhandlung 1821.
Lenz Nic., Die Eigenschaften eines guten Beichtvaters. Coblenz. 1832.
Wittmann Michaëlis, Episcopi suffrag. Ratisb., Confessarius pro aetate juvenili. Solisbaci 1832.
Köhler's Georg, Anleitung für Seelsorger in dem Beichtstuhle. 7. Aufl. von *Jacob Brand*, Bisch. zu Limburg. Frankfurt a. M. 1833.
 Ueber die geistliche Seelenführung im Beichtstuhle. Von *Franz Häglperger*. Sulzbach 1839.

Plura de hac re exhibent opera Theologiae pastoralis, moralis ac dogmaticae, uti:

- Sailer's Joh. Mich.*, Pastoraltheologie.
Powondra Thom., Systema Theol. past. Vien. 1819.
 Praecepta Pastoralis didaeticae. Tridenti. 1853. (A Professore Theologiae pastoralis Petro Rigler concinnata.)
Tournely Honorati, Praelectionum theologiarum continuatio, auctore *Petro Collet*, presbyt. Congreg. Missionis Parisiis 1756.
S. Liguorii Alphonsi, Theolog. mor. 3 Tomi. Bassani. 1836.
Scavini Theologia universa. Novariae. 1853.
Stapf Ambros., Theolog. moral. in compendium redacta, Oenip. 1830.
 Lehrbuch der katholischen Moral von Dr. *Konr. Martin*. Mainz 1851.
Liebermann F. L., Institutiones theologicae. Mogunt. 1831.

Divisio materiae.

§. 9. Materia in hac instructione pertractanda partim circa *requisita* in confessario tamquam Poenitentiae administratore necessaria, partim circa *principia* in ipsamet hujus Sacramenti administratione a confessario observanda versatur. Tota igitur instructio duas exhibet partes, quarum prima de requisitis in confessario necessariis, altera vero de principiis in administratione hujus Sacramenti observandis tractat. Principia autem, prout vel omnes poenitentes generatim, vel duntaxat certas poenitentium classes attinent. sunt aut *generalia* aut *specialia*, hinc secunda pars in duas sectiones subdividitur, quarum prior de generalibus, posterior de specialibus principiis agit.

Pars I.

De requisitis in confessario necessariis.

Divisio.

§. 10. Quae in confessario ad frugiferam Poenitentiae Sacramenti administrationem requiruntur, duplicis sunt generis. Alia videlicet ipsam hujus Sacramenti administrationem spectant; et quidem a) interna: peculiare animi dotes et virtutes: b) externa: adprobatio et jurisdictio. Alia concernunt officium, quod ex audita sacramentali confessione resultat, nimirum inviolatae in secreto confessionis servando fidei. Unde haec pars tria complectitur capita, quorum I^{um} de necessariis in confessario animi dotibus atque virtutibus, II^{um} de confessarii adprobatione et jurisditione, III^{um} de inviolata in secreto confessionis servando fide seu de sigillo confessionis sacramentali agit.

Caput I.

De animi dotibus atque virtutibus in confessario necessariis.

Animi dotes et virtutes.

§. 11. Eximiae animi dotes et virtutes, quas Sacramenti Poenitentiae accuratior notio et dignitas in confessario supponit, ex rite aestimato triplici ejusdem qua *judicis, medici et doctoris* munere sponte promanantes, imprimis laudantur a) scientia, b) rectum et maturum judicium, c) prudentia, d) verus animarum zelus, e) sanctimonia vitae, f) fervens orationis et g) meditationis sacrae studium. „Confessarius”, ait S. Laurentius Just., discretionem sit providus, experientia probatus, ordinatus moribus, gravitate maturus, decoratus honestate, sacrarum scripturarum gnarus, austerus in se, proximo compatiens, orationi assiduus, corde mitis, eloquio tenax et in omni, si possibile est, spiritali disciplina profectus”¹⁾, Et S. Franciscus Salesius, suavissimus simul ac peritissimus in hac arte et tribunali tum judicis tum medici et doctoris, de confessario scribit: „Debet esse vir plenus charitate, scientia, prudentia: et qualibet ex his qualitatibus deficiente res est plena periculi”²⁾.

¹⁾ De Obed. c. 20. — ²⁾ Philoth. P. I. c. 5.

Jam ut de singulis saltem pauca dicamus, rei gravitas et praestantia omnino exigunt, idque vel ideo, quia quo luculentius patebit, majoris esse negotii, quam vulgo creditur, idoneum agere confessarium et animarum rectorem, hoc major erit sollicitudo, ad has animi dotes et virtutes enitendi. „Obsecro autem, ut verbis S. Hieronymi in epistola ad Oceanum utar, ne quis me in suggillationem istius temporis sacerdotum scripsisse, quae scripsi, exstimet, sed in Ecclesiae utilitatem, ... quasi speculum sacerdotii proponitur. Jam in potestate et conscientia singulorum est, quales se ibi aspiciant; ut vel dolere ad deformitatem, vel gaudere ad pulchritudinem possint”¹⁾).

Necessitas debitae scientiae.

§. 12. Dum de scientia confessario necessaria loquimur, non intelligimus eam, quae inflat et mater est vanae gloriae, sed scientiam salutis, comitem charitatis et magistram humilitatis. A parte scientiae commendari debere confessarium, nemo dubitaverit. „Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est”²⁾). *Scientia* a Poenitentiae ministro tanquam *judice* requiritur juxta leges canonicas:” Careat spiritualis judex, ut, sicut non commisit crimen nequitiae, ita non careat munere scientiae. Oportet enim, ut sciat cognoscere, quidquid debet judicare. Judiciaria enim potestas hoc exoptulat, ut, quod debeat judicare, discernat”³⁾). Quam necessaria sit animarum medicis scientia, egregie demonstrat S. Gregorius: „Quis cogitationum vulnera occultiora esse nescit vulneribus viscerum? Et tamen saepe, qui nequaquam spiritualia praecepta cognoverunt, cordis se medicos profiteri non metuunt: dum, qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescunt”⁴⁾). Tanquam ministri sacramenti et animarum duces atque doctores magnopere ea indigent, ne Sanguinem Jesu Christi, cujus pretium Sacramento continetur, profane polluant indignis administrando: et ne ipsi lumine destituti animas in praecipitia ducant, secundum redemptoris nostri effatum: „Caecus si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt”⁵⁾). „Si, ut loquitur S. Leo, vix in laicis tolerabilis videtur inscitia (eorum scilicet, quae ad cujusvis officium pertinent), quanto magis in eis, qui praesunt, nec excusatione digna est, nec venia”⁶⁾). „Quomodo enim, inquit S. Bernardus, excusari possit in eo, qui se magistrum infantium et doctorem insipientium profitetur? ignorans utique ignorabitur, imo et multos ignorare facit et ignorari.” — „Confessarius ignorans tantis obest, quantis praest.” — „Nullus ad sacra veniat indoctus. Aliter ordinaturus et ordinandis imminet Dei et Ecclesiae vindicta”⁷⁾).

¹⁾ Siehe Hägispergers geistliche Seelenführung im Beichtstuhle. —

²⁾ Mal. II. 7. — ³⁾ C. 1. §. 3. D. VI. de poenit. — ⁴⁾ Libr. Past. P. I. c. 1.

— ⁵⁾ Matth. XV. 14. — ⁶⁾ Epist. 22. ad Constant. — ⁷⁾ Conc. Tolet. VIII.

Hinc quam plurima Ecclesiae praesulum piorum non minus ac eruditorum monita et conciliorum decreta emanarunt, quibus sacerdotes serio monentur, ne studium artis tam difficilis, qualis Sacramenti hujus administratio est, ullo unquam tempore intermittant, memores ejus, quod Dominus per Prophetam loquitur: „Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi“! ¹⁾ Utinam perenderent omnes, qui confitentibus aures praebent, quod S. Theresia cum in vita sua, tum in aliis libris memoriae commendavit! „Extremi periculi rem esse, se dirigendum tradere sacerdotibus nec satis eruditis, iis praesertim, qui se plus scire putant, quam revera sciunt, quia hujusmodi, dum sibi confidunt, aliorum consilium non expetunt; quo fit, ut erratis, quae in ministerio Poenitentiae committunt, sine remedio relictis et sese et poenitentes damnationi obijciant“ ²⁾. Memoratu sane digna sunt verba, quae Archipraesul Viennensis p. m. *Leopoldus Maximilianus* Com. de Firmian, literis die 14. Decembris 1828 datis, ad clerum juniorem fecit: „Für das apostolische Amt, das die Priester verwalten, gehört apostolische Erkenntniss und apostolischer Sinn; für den Dienst des Evangeliums, evangelische Wissenschaft und evangelischer Geist. Das ist die grosse Aufgabe für den heiligen Beruf, dem der Priester sich gewidmet hat; eine Aufgabe, die nicht durch die wenigen Jahre der Vorbereitung zum Priesterthume gelöst werden konnte, sondern wozu das ganze Leben gewidmet werden muss. Erkenntniss und Frömmigkeit, Wissenschaft und Tugend müssen in dem Priester innig verbunden sein, wenn er seinem hohen Berufe entsprechen will. — Wie kann der Priester als Diener des göttlichen Wortes (quod et in sacro Tribunali dispensat) dieses der Welt im Geiste und in der Wahrheit verkündigen, ohne wahrhaft in den Geist desselben eingedrungen zu sein? Was kann ihn hier leiten, als echte, gründliche Wissenschaft? Wie wird er die tausendfachen Schlangengewindungen des Irrthums verfolgen, wie die mancherlei Gestaltungen des Bösen erkennen und zerstören, wenn ihm nicht die heilige Wissenschaft das Auge seines Geistes öffnet, und ihm den Sinn und die Kraft der göttlichen Wahrheit offenbaret? Ein unwissender Priester ist der blinde Führer der Blinden, der mit diesen in die Grube stürzt; er ist ein erloschenes Licht. Die Unwissenheit ist in allen Dingen die Mutter des Irrthums und der Vergehungen; aber nach allen Seiten hin verderblicher wird sie im Priester. Ein unwissender Priester übertritt die Canones der Kirche, weil er sie nicht kennt; er verwaltet die heiligen Geheimnisse ohne Unterscheidung und Gewissenhaftigkeit, ohne Ehrfurcht und Erbauung, ohne Würde und Segen, denn sie sind für ihn bedeutungslos und todt; ohne Erkenntniss seiner Pflichten, und unfähig,

¹⁾ Osee. IV. 6. — ²⁾ In vita sua cap. 5. et in *Via Perfectionis* cap. 5. §. 1.

den Mangel an heiliger Amtstreue einzusehen, erfüllet er die wichtigsten Obliegenheiten seines grossen Berufes entweder gar nicht, oder höchst mangelhaft, und häuft Fehler auf Fehler. Er ist ein Aergerniss in der Kirche, ein Gegenstand der Verachtung und des Hohnes einer wissenstolzen Welt, und zugleich ergeht über den unwissenden Priester das Urtheil der Verwerfung von Gott: „Weil du die Wissenschaft verschmäht hast, so verschmähe Ich dich — du sollst Mir nicht Priester sein,“ so spricht der Herr bei Oseas.

Materia scientiae.

§. 13. Supposita igitur in confessario scientiae necessitate opus erit indigitare, quid illi sciendum. Quilibet confessarius scire tenetur, quae ad munus et officium suum pertinent. Propositio haec adeo est manifesta, ut nemo eam negare possit, nisi ipsi sibi contradicere velit. Si cui enim citra noxam ignorare licet, quod est muneris sui, citra noxam quoque deesse poterit muneri suo; alterum quippe in altero continetur. Quare reliquum est duntaxat, ut confessarii officium ad examen revocemus. Confessarius judicem, medicum, et doctorem poenitentium agit. Qua *judex* sciat oportet, quae sit peccatorum expositorum gravitas, quis eorum, quae gravia videntur, numerus, et quae sint circumstantiae, quibus vel species mutetur, vel pondus notabiliter augeatur; praesertim, quae sit dispositio poenitentis, num rite sufficienterque doleat, num ejus propositum tale sit, ut fides eidem haberi possit; pariter quid ipsi injungendum sit, ut tum justitiae divinae, tum etiam laesis juribus aliorum satisfiat; ubi praecipue doctrina de restitutione praesens negotium perarduum reddit. Denique interdum causae implicatae occurrunt, ubi cum firmum judicium non detur, magna dexteritas requiritur, ut judex ad veritatem saltem quo possit propius accedat.

Qua *medicus* tum morbis, quibus quis revera laborat, mederi, tum imminentes praecavere sciat. Sub prima ratione peccatorum fontes, nexus, relationes, dominium, occasiones ad irritamenta investigare, atque scire debet, quae remedia attentis omnibus circumstantiis prae reliquis efficacia videantur. Ut vero morbos imminentes praecaveat, utique perspectum habeat necesse est, quae sit generatim conditio humani cordis, quae singulorum indoles, quae pericula et illicia removeri, quaeque subsidia singulis praescribi vel certe consuli debeant, ne funestissimam luem contrahant. Atque hanc sollicitudinem non illi tantum expetunt, qui a morbis suis reconvalescentes praemuniri debent, ne relabantur, sed pari modo etiam ii, quorum vita hucusque integra scelerisque pura fuit; imo labor multo gloriosior est, innocentes servare, ne corrumpantur, quam corruptos ad meliorem frugem reducere.

Demum ut munus *doctoris* rite exsequatur, opus est, ut

ignorantes circa mysteria fidei scitu necessaria, circa modum eliciendi dolorem et propositum, circa modum rite confitendi; circa officia status sui etc. instruat, ut vanas excusationes, quales non raro afferuntur, refutet, dubia dissolvat, atque ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere ¹⁾).

· Magnitudo harum cognitionum, de quibus modo locuti sumus, magis minusve perfecta esse potest, et quamvis maxime esset optandum, ut confessarii omnes ad eum perfectionis apicem pervenirent, quem canones eminentem scientiam appellant; quum tamen id de omnibus sperare non liceat, sufficit, si modo eam obtineant, quae ab iisdem canonibus *competens* vel *conveniens* vocatur, et in eo consistit, ut sciant saltem communia, in aliis vero, quae sunt minus usitata et intricatiora, saltem prudenter dubitare possint, quo fit, sententiam suam suspendant atque priusquam illam ferant, vel probatos auctores vel doctiores viros consulant ²⁾).

Media acquirendi scientiam necessariam.

§. 14. Quum itaque tanta scientia confessarius sub triplici hac relatione indigeat, graviter peccat, qui sacri tribunalis munus sine debita scientia suscipit et exercet, nec ullam diligentiam adhibet ad eam sibi comparandam. Quare plurimum juvat exponere, quibus haec scientia acquiratur mediis. Dicimus autem, eam acquiri:

1) *Ordinato et continuo studio Theologiae catholicae tum dogmaticae tum moralis*, unito cum meditatione veritatum S. Religionis nostrae. Etenim confessarius *et nomine et auctoritate Christi* iudicare, mederi et docere tenetur. Jam quisnam in sacro tribunali tutius iudicat? Qui ex doctrinae catholicae spiritu, an qui ex vagis humanae doctrinae principiis ferre velit iudicium? Quis certius medebitur? Qui ad exemplum Ss. Salvatoris vulneribus salutiferum divinae sapientiae balsamum potius, quam qui arida philosophiae hesternae ceu ex tripode dicta velit applicare? Quis rectius firmiterque docebit? Qui ex verbo Dei hominibus benignissime revelato sua depromserit, an qui macilentae qualiscunque obviae theoriae stamina, aut quod pejus, propriae phantasiae ludibria divendere non erubuerit? Fidei et morum doctrinam non secundum placita pseudophilosophiae, quam fert dies, sed secundum purum intemperatumque sensum Ecclesiae Catholicae animis propinare oportebit. Hac ratione efficacissima vitii fugiendi virtutisque sectandae media suppeditabuntur, et vera christianorum officia, tum, quae vocant generalia, tum specialia, elucescent. Meminerint itaque confessarii, catholicae Religionis doctores se esse atque ministros Christi, ut pascant fideles doctrina mysteriisque Christi Domini. — Magnopere etiam frequens

¹⁾ Cfr. A. Stapf. Theol. moral. Tom. IV. §. 620. — ²⁾ Glossa in cap. 19. X. de electione et electi potestate. (1. 6.)

lectio concilii Tridentini confessariis commendatur, imprimis capitulum illorum, quae de justificatione agunt.

Der Priester ist ein Diener Jesu Christi, und somit ist es auch klar ausgesprochen, dass er Diener, nicht Herr des göttlichen Wortes ist. Nur einer ist Herr und Meister. — Sein Wort sollen wir lehren, Sein Wort, das lebendige, starke, das schärfer eindringt, als ein zwelsschneidiges Schwert, das Geist und Fleisch schneidet, wie es aufbewahrt ist in der Kirche, die da ist die Säule und Grundfeste der Wahrheit. Wehe dem, der davon nimmt, oder dazu thut! Zu Schanden werden sie in ihrer Thorheit, die falschen Propheten unserer Zeit, die, statt die Augen der Blinden zu öffnen für das Licht der ewigen Sonne, die einmal emporgestiegen über den Bergen, in unverminderter Klarheit leuchtet, und ungeschwächter Kraft ewiges Leben in die Thale der Erde sendet, ihr eigenes, dumpfes, sterbliches Lampenlicht in die Finsternisse der Armen hineinhalten und rufen: „Hier ist Christus.“ Aber Eins ist noth, dass wir in dieser, von ungeordneten und verwirrten Bestrebungen, von Anmassung und Irrthum, von Wissensdünkel und Vernunftstolz stürmisch bewegten Zeit, das Wesen und die Bestimmung der katholischen Kirche fest im Auge behalten, nämlich: die Grundfeste und Hinterlage der alten, einfältigen, christlichen Wahrheit zu sein, — die zwar verkannt und vergessen, gehöhnt und bekämpft, aber nicht vernichtet werden kann. Sie überdauert in ihrer stillen Lebenskraft alle die geräuschvollen, beweglichen, oft glänzenden und angestaunten Irrthümer der Zeit. In dieser erhabenen Sicherheit der katholischen Wahrheit haben sich ihre Diener vor nichts mehr zu hüten, als im Anblicke der mannigfachen Verwirrungen die Besonnenheit zu verlieren, und Meinungen des Tags, Dogmen irgend einer Zeittheologie in die Mitte der Einen unwandelbaren Wahrheit zu verpflanzen, sich der alten einfältigen Bergpredigt Christi zu schämen, und sich in hohle Philosopheme zu verlieren, — die Mysterien des Christenthums stehen zu lassen, und lieber flache Moral zu lehren.

Quae auctor anonymus christianis incultat concionatoribus, pariter aequaliterque in confessarium cadunt adeo, ut non vereamur pauca hic referre. „Viele Priester kennen Gottes Wort nicht, sondern nur die Brosamen aus Schulcompendien. Viele leben ganz in ihrem eigenen philosophischen Lehrgebäude, und sind sich selbst Orakel. Viele haschen nur nach Floskeln, als wenn das Leben und Sterben des Menschen nur Gedichte wären. Dadurch wird jene Selbstsucht genährt, die — von Einem Centrum abgewendet nur sich selbst glaubt. Dieser Unterricht ermangelt aller Festigkeit, und fällt zusammen im Sturme der Leidenschaft und im Drange der Noth. Er erzeugt verachtenden Dünkel, womit man sich so gerne begnügt, und praktisch dagegen handelt. O nur der Glaube begeistert, nicht die Reflexion! Als Glaube im Volke lebte, zählte man der christlichen Sieger Viele. — — Nicht in der Wissenschaft waren sie zunächst aufbewahrt; am hohen Himmel waren sie angeheftet. Gott war ihr ewiger Wächter! Sie winkten drohend, ermunternd oder segnend herab, und das Herz war vor ihren, und vor ihrem heiligen Wächter mit Ehrfurcht erfüllt. — — Unantastbar standen sie dort geschrieben, wie's auch im Busen stürmte, kurz waren die Worte, schnell gelesen, tief und gewichtig der Worte Sinn. Ein Blick nur hinauf, und sie zündeten herab — fielen in die Ehrfurcht gewohnte Seele, und der Mensch war gerettet. — — Diese Wahrheiten vom Himmel herabziehen, (sie in blosse Vernunft-Moral umgestalten) heisst ihnen Leben und Wirksamkeit nehmen. — — Man trenne daher die Moral nicht von der Dogmatik! — — — Auch sind solche vom Glauben isolirte Sittenvorträge immer

wässerig. — — — Dergleichen Prediger sind dem Gärtner gleich, der den Baum, anstatt ihn in fruchtbares Erdreich zu versetzen, in die Luft hängt, und an dessen Zweige und Zweiglein nachgemachte Früchte anbindet¹⁾.

2) *Studio juris ecclesiastici*, et sub aliqua ratione, *juris quoque civilis*, quod confessarius, ut, quid cuique incumbat, designare possit, cognitum habeat necesse est. Multis enim in casibus juxta Canonem Ecclesiae et statuta civitatis, conscientiam attinentia decidere oportet. »Sciant hinc sacerdotes scripturas sanctas et canones; nulli sacerdotum liceat canones ignorare nec quidquam facere, quod Patrum regulis possit obviare²⁾.

3) *Lectione sacrae scripturae*, quam confessarius ad rem suam commode referre, intellectui poenitentis illustrando cordique movendo adaptare noverit. Sacrae literae non modo materiam institutionum admonitionumque nostrarum, sed et justam earundem impertiendarum methodum, veram cordis linguam sat abunde exhibent. Qui attente sacras literas pervolverit, non poterit non admirari, quatenus et quanta paucis verbis imaginibusque sublimioribus expressa contineantur; quanta cum veritate et efficacia levioribus in lineamentis homines depingantur; quanta verborum simplicitate altissimae et partim novae ideae comprehendantur! Uti limbus, quo inclusas conspicias gemmas, levissime quoad fieri potest, thesaurum tegit, ita et sacra scriptura paucis et efficacibus iisque et simplicibus verbis sublimis nostrae divinae Religionis veritates pure et pellucide proponit. En gravem ejus breviter, miram fecunditatem, coelestem sublimitatem et ingenuam simplicitatem! Descendit ad simplices corde, imbuitque sapientia pusillos. Modo exhibet leviora tantum indicia, ast ex qua profunditate ea profert! modo fidam loquitur linguam animi, allicitque amore; modo terribili de Sinai voce conturbat, et vah minatur peccatori; loquitur ad instar amici, qui ingenuus omnique simulationis nescius in sapientium et insipientium, proborum et improborum animos viam sibi parat. Quam multa ac varia in his thesauris recondita sunt adminicula! Dicit non potest, quanta ex ea emergat utilitas. »Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus³⁾; scribit Apostolus⁴⁾. Beatus sane, qui in lege Domini meditatur die ac nocte! Talis fuit Thimotheus, qui ab infantia novit sacras literas, quae ipsum instruebant ad salutem. Quare quilibet sacerdos, et qui a sacris confessionibus est, hoc S. Hieronymi veluti sibi dictum auscultet: »Divinas scripturas lege, imo de manibus tuis lectio sacra nunquam deponatur; disce, quod doceas; obtine eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sis exhortari in doctrina sana, et contradicentes arguere⁵⁾.

¹⁾ Kath. Quartalsschrift von Tübingen 1820. S. 195. — ²⁾ c. 1. 4. D. XXXVIII. — ³⁾ 1. Tim. III. 16. — ⁴⁾ Epist. ab. Nep.

4) His studiis, acquirendi scientiam pro sacro tribunali necessariam, *subsidia* accedunt: omnium primo notitia proprii cordis ac indolis humanae in genere, dein consuetudo expertorum confessariorum, pariter lectio auctorum probatorum, qui materiam administrationem Poenitentiae concernentem diligenter exponunt, postremo sedula et attenta recognitio, quid ipsi nos pro varietate rerum et personarum in sacro tribunali egerimus, vel agere debuissimus.

Praeter haec studia, quibus humana industria debita pro sacro tribunali scientia acquiri possit, unum superest, quod silentio praeteriri nefas est, scilicet *orationis studium*, quandoquidem vera scientia donum Dei est, desursum descendens a Patre luminum. „Si sapientiam invocaveris, scientiam Dei invenies” ¹⁾. „Si quis vestrum, ait S. Jacobus, indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter” ²⁾. „Optavi, inquit hominum sapientissimus, et datus est mihi sensus; invocavi et venit in me spiritus sapientiae” ³⁾. „Si es theologus, vere orabis; et si vere oraveris, theologus vere eris” ⁴⁾.

Rectum maturumque iudicium.

§. 15. Altera dos, qua praeditus sit confessarius, est recta maturaque iudicii vis. Quae si defuerit, moralem poenitentis characterem, v. g. an sit tepidus, debilis, levis, malitiosus, induratus etc., rite aestimare non valebit, in imputatione actuum moralium singulorum concomitantes eorum circumstantias justo minus respiciet. Furtum necessitate extortum alii subest imputationi, quam ubi otium laborisque fuga in causa est; aliud est, si quis subitaneo mentis aestu concitatus proximum violaverit, quam ubi ex proposito et praemeditante animo id factum fuerit. In necessariis quaestionibus gravissima mittet, inhaerens e contra rebus secundariis; dubiis obmotis in angustias actus, quid sit respondendum, vix statim inveniet; in operibus satisfactionis imponendis imprudenter aget, et absolutionem impertietur, quibus differenda aut etiam omnino deneganda ea fuisset, et vice versa. Merito itaque requiritur, ut confessarius non solum rite sit instructus, sed etiam recto maturoque iudicio polleat, ut possit de omnibus recte iudicare; quae facultas aetate non suppletur, quum interim, quae in administrando Poenitentiae Sacramento perperam designantur, potissimum ex ejus defectu originem trahant; quae temere gesta, dum latent, absque remedio fiunt cum multarum interitu animarum. Maturitas iudicii cum aetate acquiritur, sed rectitudo iudicii insita est ab auctore naturae. Quum autem soleat de suo quisque bene sentire, consulitur junioribus sacerdotibus, ne sibi ipsi hac in re fidant; viros doctos, probos ac prudentes, quibus ipsi noti sint, in consilium adhibeant. Horum

¹⁾ Prov. II. 3. 5. — ²⁾ I. 5. — ³⁾ Sap. VII. 7. — ⁴⁾ S. Nil. de orat. c. 37.

placitis se accommodent, non tam ob id, quod eruditi sint in his, quae de Poenitentia et casibus conscientiae tradunt Doctores, (ad hoc enim sufficit nonnihil ingenio valere et memoria), quam quod natura comparati sint ad rectum de rebus iudicium ferendum.

Prudentia multa.

§. 16. In audiendis confessionibus eximia et multa quoque opus est prudentia. Non autem hic agimus de falsa et adulterina prudentia, quam Apostolus vocat *prudentiam carnis*, quae nihil nisi humanum et temporale spectat, propriis commodis, propriae utilitati et ambitioni jugiter invigilat, atque ad id humanis mediis, humano artificio adnititur. Haec siquidem prudentia mors est, ut idem Apostolus testatur, quia Deo inimica est. Sed loquimur de vera illa, quae desursum est, descendens a Patre luminum, quae est prudentia spiritus, quae plus commercii habet cum coelo quam cum terra, et quae in conducendis animabus ad eum modum regitur, quo utuntur agentes iter per Arabiae solitudines, nempe observando stellas potius, quam signatam vestigiis semitam per arenas, fluctuum instar, ventis jactatas atque confusas.

Si prudentia in genere consistit in facultate optimorum mediorum ad fines consequendos eligendorum; ille solummodo confessarius prudens dicendus est, qui facultate pollet, poenitentes ita tractandi, ut finis hujus sancti officii obtineatur. Finis vero nullus alius est, quam gloria Dei et salus animarum, in quem finem colliment omnia sacerdotis conamina; quod tunc tantum fieri poterit, ubi specialibus cujuslibet indigentis accommodatissima adhibuerit media. Nam etiamsi prudentia haec eundem semper finem sibi praefixum habeat, pro diversa tamen poenitentium indole et conditione diversissimas formas induit ad exemplum Apostoli dicentis: „Omnia factus sum, ut omnes facerem salvos” ¹⁾.

Dicimus confessario virtutem hanc maxime esse necessariam, tum ad rite obeunda officia ministerii sui propria, tum ad vitandos innumeros prope defectus, qui, nisi prudentia moderetur ea, quae agenda sunt, saepissime incurruntur. „Sine lumine discretionis incurrit, qui currit,” ait S. Bernardus. Sane prudentia opus est in quaestionibus ponendis, quibus peccator interpellatur; in instructionibus et adhortationibus tam generalibus, quam specialibus cujusvis indoli, aetati, statui reliquisque indigentis apprime accommodatis; in satisfactionibus pro qualitate criminum et poenitentium facultate „quantum spiritus et prudentia suggererit” salutaribus et convenientibus injungendis; ac denique in absoluteione danda aut differenda aut deneganda. — Sunt et alia multa, ubi opus est pru-

¹⁾ I. Cor. IX. 22.

dentia spiritus, puta in casibus nonnunquam intricatioribus resolvendis, in dubiis eximendis, in consiliis dandis etc., sed de his omnibus suo loco agetur. Hoc sufficere recensuisse, quod S. Bernardus in hanc rem summam expressit: „Prudentia est ceterarum virtutum moderatrix ordinatrixque affectuum, et morum doctrix, qua sublata, virtus non jam virtus, sed vitium erit. Discretio siquidem omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit, et decorem, et perpetuitatem” ¹⁾).

Media acquirendae prudentiae.

§. 17. Ad necessariam hujus prudentiae virtutem comparandam requiritur ante omnia, ut confessarius ob oculos semper habeat finem altiorem, in quem poenitentium confessiones excipit; nimirum illum, qui in Dei gloriam hominumque salutem tendit eo ipso, quod aut animas aberrantes Deo lucrifaciat, aut coelestia solamina cordibus angore et moerore confectis instillet. Ubi enim illi sanctus finis abest, ibi prudentia quoque nulla est spiritus, quae ad vitam ducit, sed prudentia tantum carnis, quae mors est, Deoque inimica. Quo plura nostra interest quoddam vitae quotidianae negotium, eo majori utimur circumspectione in eligendis illius perficiendi mediis; idem etiam in sacro Poenitentiae administrandae negotio valebit adeo, ut, quo major est sancti illius finis assequendi ardor, hoc sagacius sit studium optimorum ad eum obtinendum mediiorum eligendorum et applicandorum. Quare non immerito sanctus ille ardor parens prudentiae vocatur.

2. Praeter scientiam, a qua decisiones suas mutuatur prudentia, requiritur in confessario *naturalis mentis bonitas*, ut prudens evadat; et quidem α) *rectus iudicii sensus*, ut negotium ea ex parte, qua opus est, suscipiatur, et res concipiantur, quales sunt; β) *perspicacia*, ut omnes advertantur circumstantiae, quae aliquo in negotio considerandae sunt, et praesentia obversentur principia, quae singulis illis circumstantiis sunt applicanda; ut facile expediantur consilia contra obices, qui adversantur; ut evitentur vitia hinc inde arctum virtutis tramitem obsidentia: γ) *efficacia et vis*, ut fallacibus concupiscentiae et vitii argumentationibus resistatur, nec primo cuivis cedatur obstaculo, sed forti animo opus ad finem perducatur.

3. Praefatis naturae dotibus sufficienter exornatus confessarius, in sacro suo munere *sedulam et pro ratione negotii convenientem considerationem* instituat eorum, quae agenda vel omittenda sunt. Una tantum circumstantia, si non consideretur, satis est, ut tota actio corrumpatur, et temerarium efficiat eum, qui illam dispo-

¹⁾ Serm. 49. in Cant.

suerat. Unicus sufficit miles extra ordinem positus, ut totius cohortis oriatur perturbatio; una satis est dissona vox, ut musicus concentus sordescat, atque unicus in aedificio defectus illud deformare potest. Sic attentio ad omnes circumstantias adeo in sacro tribunali necessaria est, ut sine illa prudentia subsistere nequeat.

4. Ad prudentiam sibi comparandam plurimum juvat, ut confessarius *experientia* exerceatur. Licet enim experientia supplere nequeat defectum scientiae, inficias tamen ire non possumus, eam magnopere esse adjumento, quia, cum ea, quae in praxi accidere possunt, numero careant, fieri non potest, ut omnia et singula meditatione praevideantur, sed diurno tantum usu possunt addisci. Spirituum et conscientiarum dispositiones non minus differunt, quam corporum. Quemadmodum medicus, qui caret experientia, nequaquam potest aegrotum eadem prudentia tractare, quam qui illius temperamentum expertus est, et experientia doctus quaenam illi apta sint remedia cognoscit: ita confessarius, qui audiendarum confessionum usum nondum adeptus est, nescit ita perfecte, ut alius experientia edoctus, animas dirigere atque curare. Et quamvis in poenitentis conscientia nihil non commune delitescat, semper difficile est homini experientia vacuo, particularibus casibus generalia applicare principia. Aegros crebro videndo facilius morbi cognoscuntur, et saepius pharmaca propinando, quaenam optima sint, addiscitur. Ex propriis erroribus lumen aliquod percipitur, et cum inani aliqua specie decepti fuimus, deinde doctiores evadimus; atque hoc modo experientia prudentiam gignit. Quae ut obtineatur, opus erit, ut sacerdos poenitentiarius, praesertim primis curae animarum annis, auditas confessiones recogitet, salvo puritatis sensu, atque methodum, quam sequendam putavit, mente repetat; rationem sibi ipse reddat, num forsitan quandoque praepropere, aut lenius, aut scrupulosius, aut severius judicaverit; an non alia magis apta satisfactionis opera injungere potuisset, an non aliquid majoris momenti interrogare omiserit, aut ad dignitatem et capacitatem poenitentis justo minus attenderit, etc.

5. Quando sibi ipse non suffecerit, *aliorum sapientum ac piorum expetat consilia*, qui scilicet usu et exercitio frequentiori prudentes evaserunt; hinc *docilitas* ad prudentiam requiritur. Nam conscientiae casus, qui occurrere possunt, omnes neque libris comprehendere neque sola meditatione determinare licet. „Qui sapiens est, audit consilia” et „ubi multa consilia, salus” ¹⁾, „In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiae illorum ex corde conjungere” ²⁾. „Audiens sapiens sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit” ³⁾. „In his, quae ad prudentiam pertinent, maxi-

¹⁾ Prov. XII. 15. XI. 14. — ²⁾ Eccli. VI. 35. — ³⁾ Prov. 1. 5.

me indiget homo ab aliquo erudiri. — — — et ideo convenienter docilitas ponitur pars prudentiae" ¹⁾).

Praesertim in rebus gravioribus et difficilioribus magisque intricatis manifesta fit prudentia, et ad prudentiam via sternitur, quando confessarius admodum lente et considerate procedit, non subito judicat, et ad maturam rei deliberationem et ad consilium ab aliis petendum poenitenti diem alium, quo veniat, assignet. „In summis quidem rebus, ait S. Gregorius M., citum non oportet esse consilium, in quibus suae prudentiae inniti non debet, nec esse sapiens apud semetipsum" ²⁾).

Viri autem, quos pro morum regimine consulendos esse dicimus, docti sint et pii. „Pie scientes et scienter pii" juxta illud S. Augustini. Licet enim vir doctus generatim moralis disciplinae regulas calleat, eas praepostere particularibus casibus applicabit, et saepe mala consilia suggeret, quando et ipse pietate animi deficit. Conscientia illius horologium est perturbatum, quod corrigendum est ad normam illius, quod habet vir iustus.

6. Postremo mediis positivis adipiscendae prudentiae negativum illud accedit, quod impedimenta hujus tollere studeamus, quorum praecipua sunt *passio, praecipitatio, pertinacia*; adde etiam vitia omnia, praesertim ea, quae temperantiae adversantur. Passio enim obscurat mentem; praecipitatio impellit in devia pleraque et abrupta, nec ulla praevisione uti sinit; pertinacia obstruit aditum bonis consiliis, et peccatum quodcumque tenebras in animum offundit. Unde praeclare S. Ambrosius ait: „In acquirendis consiliis plurimum valet vitae probitas, virtutum praerogativa, frugalitatis gratia; quis enim in coeno fontem requirat? quis ex turbida aqua potum petat?" ³⁾

Et „quia non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est" ⁴⁾, idcirco gratiam Illius suppliciter exposcamus postulemusque, ut Ipse concedat nobis Spiritum intelligentiae et sapientiae, Spiritum consilii et fortitudinis, inprimis donum discretionis spirituum.

Verus animarum zelus.

§. 18. Verus animarum zelus animo confessarii aequae scientia et prudentia intellectus, est necessarius. Est vero ille nihil aliud, quam charitas ipsa erga Deum et proximum, qua saluti aliorum in Dei gloriam adlaborare satagimus. Flamma est, quae ex justis corde erumpens fovet eorum pietatem, quos jam dispositos invenit, oppugnat renitentes, neque illos quiescere patitur, donec eos

¹⁾ S. Thom. Summ. theol. 2. II. q. 49. a. 8. — ²⁾ Libr. Past. P. II.

³⁾ Libr. 2. Off. c. 11. — ⁴⁾ II. Cor. III. 5.

ad officium revocaverit. „Quis comeditur zelo domus Dei? Qui omnia, quae forte ubi videt perversa, satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit, si emendare non potest, tolerat, gemit” ¹⁾. Quanto et quam fervido zelo tum gloriae Dei, tum salutis animarum exarsit Salvator optimus, quis quaeso, cogitatione assequi, nedum sermone explicare poterit? Quis putas, fuit sacri illius cordis ardor? quod amoris incendium? cum Ipse passionem suam et mortem acerbissimam praecogitans, qua universos homines redempturus erat, et de illa discipulis proloquens: Baptismo, inquit, habeo baptizari, et quomodo coarctor, usque dum perficiatur. Ignem veni mittere in terras, et quid volo, nisi ut accendatur?” ²⁾.

Hunc eundem ignem toto pectore hauserat S. Paulus, quando ipse de se dicebat: „Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?” ³⁾. Non dixit, ut recte observat S. Chrysostomus: et ego non molestia afficio, sed dixit: „et ego non uror,” urendi verbo summum dolorem ostendere volens ⁴⁾. Quando idem ad Thessalonicenses scribebat: „Nunc vivimus, si vos statis in Domino,” quae verba perpendens S. Chrysostomus, „vide inquit, quantopere sanctus hic Apostolus studebat, ut res fratrum recte se haberent, qui nec vivere quidem se existimabat, si illi non essent salvi. Homo, qui fuerat raptus ad tertium coelum et delatus in paradysum, qui fuerat particeps mysteriorum ineffabilem, et tantam apud Deum assecutus est fiduciam, illorum tamen bonorum sensum non valde accipiebat, nisi etiam vidisset fratres suos esse salvos.” Hoc igne toti erant accensi et incensi Sancti Apostoli omnes, hoc zeli ardore flagrabant tot quam plurimi SS. Patres, Sacerdotes et Confessores, quorum nomina scripta sunt in libro vitae. Utinam et nos hoc sancto igne accensi non nisi Dei gloriam et salutem animarum sitiremus! Qui hac virtute privatus existit, duntaxat raro et cunctanter, ne dicam cum taedio, sacro tribunali assidebit, et ubi quacunque ratione coactus munere fungitur, ignis est sine calore, sol sine luce. Et quemadmodum in vitis omnibus nihil nequius est zelo profano ac nefario, ita nihil in virtute perfectius ac laudabilius christiano; uterque purissimus et subtilissimus est, ut ita dicam, succus, alter quidem nequitiae, alter vero sanctitatis. Confessarius, qui vero salutis animarum zelo non animatur, facile occupabitur ab amore sui proprio, affectionibusque corruptis, quae illum sequuntur.

Conditiones veri animarum zeli.

§. 19. Ast verus animarum zelus pluribus sese commendat et manifestat dotibus, quas S. Bernardus tamquam veri animarum

¹⁾ S. Aug. in Psalm. LXVIII. — ²⁾ Luc. XII. 49, 50. — ³⁾ II. Cor. XI. 29.

⁴⁾ In Encom. S. Romani M. apud Sur. in c. 3.

zeli conditiones refert: „Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia. Sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus, nec teporem non habeat nec careat discretione, nec timidus sit” ¹⁾, et alibi: „Zelus absque scientia, dum prodesse festinat, invenitur obesse” ²⁾. Quoniam autem de *scientia et prudentia* jam supra egimus, nonnisi reliquas hic commemoramus dotes, quae etiam tamquam speciales virtutes in confessario requiruntur. Numeratur:

a) *sollicitudo charitatis*, quae acediam non fert, non pareit operae, non timet periculum „laborat usque ad vincula” ³⁾, omnia tentat, minus accedente tentamine alio aliud ingeniose excogitat, neque unquam deterretur. Miraris summam piae matris charitatem et sollicitudinem erga filiolum suum gravi ac lethali morbo decumbentem; quietis nescia omnia alleviationi valetudinique restituendae apta media inquirat, moeret, ingemiscit, coelum precibus enixis rogat, ut salvum videat, quem diligit infantem. An minori sollicitudine feratur sacerdos Dei — Vicarius amoris Christi — erga poenitentem gravi vulnere animae sauciatum? Confessarius salutis aliorum studiosus omnes amplectitur peccatores, divites aequae ac pauperes, nobiles et plebejos: sine defatigatione nititur extrahere de faecibus terrenis, et sublevare ad Deum animas, sese accommodans quorumque infirmitati, nullo nauseantis signo edito, ac refugientis attricare vulnera. „Amor,” inquit S. Gregorius M., „si est, magna operatur; quodsi operari renuit, amor non est.”

b) *Patientia et mansuetudo*, quae ubi defuerint, longe abest, ut vel ardentissimum saluti aliorum adlaborandi studium quidquam proficiat, ut potius frustrato fine noceat. „Moyses, dux populi Dei, erat mitissimus vir super omnes homines, qui morabantur in terra” ⁴⁾. Jesus Christus verbo et exemplo nos hortatur: „Discite a me, quia mitis sum.” Tales erant Apostoli, quos suo spiritu repleverat Dominus, ut essent pastores animarum. „Fratres,” scribit Apostolus, „etsi praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, *considerans te ipsum, ne et tu tenteris*” ⁵⁾. Unde memores esse nos oportet praecepti Apostolici: Induite vos sicut electi Dei viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam” ⁶⁾. „Charitas patiens est, benigna est, non quaerit, quae sua sunt, non irritatur, potius omnia suffert” ⁷⁾. Patientia et mansuetudine sacerdos tum praecipue indiget, ubi cum hominibus timidis, scrupulis agitat, rudibus et inurbanis, in narrationibus suis prolixis, vel saepius recidivis, ipsi agendum est. Prae reliquis consuetudinarii compassionem merentur. Etiam si saepius spem conceptam frustraverint, ipsorum

1) Serm. 20. — 2) De convers. ad Cler. n. 38. — 3) II. Tim. II. 9. — 4) Num. XII. 3. — 5) Gal. VI. 1. — 6) Col. III. 12. — 7) I. Cor. XIII.

tamen salus, quamdiu spirant, non est desperanda; non enim nostrum est nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate. Unde de novo semper iisdem contestari commiserationem, consilia et motiva emendationis suggerere, eosque non intermissa charitate urgere oportet, ut tandem serio resipiscant, et quamvis absolvi nequeant, benigne tamen dimittendi sunt, ne forte durius repulsi exacerbentur, et redire timeant. „Si confessarius,” inquit S. Gregorius, „animae penitus impurae aditum ad sancta sanctorum interdicere cogitur, tenera cum charitate eodem momento in ejus conversione laboret, amaramque medicinam, qua poenitentem eximere nequit, amore, mansuetudine et lenitate studeat dulcorare” ¹⁾. Et S. Franciscus Xav. monet: „Talem te tuis praebeas, qualem bonus Pater improbis filiis, ut nunquam eis consulere desinas, quamvis cernas multis eos vitiis coopertos” ²⁾.

e) *Fortitudo*, qua valeas irrumpere iniquitates ³⁾. Quamvis enim confessarium plurimum ornent benignitas, patientia et mansuetudo, — utpote Evangelii praeconem, qui misericordiam, et benignitatem Dei palam annunciet peccatori, eumque sentire faciat, quam dulcis et snavis sit Deus, ut a trita sceleris via ipsum absterreat, moveatque ad genuinam cordis conversionem, — tamen abesse minime debet sacerdotalis gravitas et fortitudo, quae nihil imminuit de ea fidelitate, quam Deus a confessario requirit, neque de inviolabili adhaesione, quam legi debet. „Bona est misericordia, sed non debet esse contra iudicium” ⁴⁾. Haec fortitudo potissimum usu venit in admonendo, ubi sine ullo hominum respectu est usurpanda; in obligando ad restitutionem rei vel famae injuste ablatae, ad resarciendum damnum illatum, ad tollendum causas, quae in proxima peccandi occasione poenitentem constituunt, licet illae peccatori tam utiles sint, quam homini oculus, manus et pedes secundum doctrinam Jesu Christi; in apparandis remediis poenitenti salutiferis quamvis amaris; in imponenda satisfactione idonea et menti Ecclesiae consentanea; denique in absoluteione vel differenda quin imo deneganda, ubi necesse fuerit. — Verum dum fortitudine aliud extremum mollis nimiumque indulgentis miserationis vitamus, cavendum est, ne in aliud extremum aequè periculosum, *inclementis* scilicet *duritiei* incidamus. Fortitudo efficiat, ne confessarius justitiam, quam sacro officio suo debet, laedat, e contra benignitas et misertio procul repellant vehementiam, asperitatem et duritiam, quae nimium rigorem et severitatem sibi arrogare velit. Manifestet semper poenitentiarius auctoritatem patris tenerumquo affectum matris. Misericordia peccatorem consoletur ex justitiae principiis, et justitia arguat eum cum fortitudine intra misericordiae limites. Quapropter, ut S. Greg. M. inquit: „Utraque summopere sunt tenenda,

¹⁾ Libr. Past. P. II. — ²⁾ Libr. 1. ep. 7. — ³⁾ Eccl. VII. 6. — ⁴⁾ S. Augustinus in Exod. p. 38.

ut (confessarii) nec in disciplinae rigore benignitatem mansuetudinis, nec rursus in mansuetudine vigorem deserant disciplinae: quatenus nec a compassione pietatis obdurescant, cum contumaces corrigunt, nec disciplinae vigorem molliant, cum infirmorum animos consolantur; regat ergo disciplinae vigor mansuetudinem, et mansuetudo ornet vigorem, et sic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigida, nec mansuetudo dissoluta" ¹⁾.

Animarum zelus, quem modo descripsimus, procul dubio divina gratia suffultus, non potest non saluberrimos in Dei gloriam hominumque salutem fructus producere; atque ubi malis mederi nequit, ingemiscit, et si nihil aliud valet, saltem cordis dolorem et lacrymas, sincerae charitatis testes, Deo offert. Sic regius Psaltes dicebat: „Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei" ²⁾, et S. Apostolus: „Tristitia, inquit, mihi magna est et dolor continuus cordi meo; optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis" ³⁾; et Ipse Dominus Jesus, videns civitatem, flevit super illam dicens: „Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, quia ecce venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo" ⁴⁾. Sic igitur verus divinae gloriae humanaeque salutis zelator, quando majestatem divinam peccatorum contumacia dehonestari, quando animas perire, inimicos Dei inolescere et mala augeri et praevalere videt, velut angelus pacis amare flet, ac in umbra alarum divinae protectionis se recondit, donec pertranseat iniquitas.

Sanctimonia vitae.

§. 20. Confessarius, cum vi muneris sui existat iudex et censor morum et alienae vitae, irreprehensibilis sit oportet; et ordo postulat, ut vita illius sit exemplum virtutum, quas in poenitentibus exigit. „Irreprehensibiles esse convenit, ait Hormidas, quos praeesse necesse est corrigendis, nec quidquam illi deesse personae, penes quam est Religionis summa et substantia disciplinae" ⁵⁾. „Sacerdos, cui omnis offertur peccator, ante quem statuitur omnis languor, in nullo eorum sit iudicandus, quae in alio iudicare est promptus" ⁶⁾. Debet praeponderare vita sacerdotis, sicut praeponderat gratia; nam qui alios praeceptis suis ligat, debet in se legitima praecepta custodire" ⁷⁾. „Si virtutibus, dicebat S. Chrysostomus splendere curemus, ad nos trahemus omnes, qui venire elegerint ad salutem. Omni tuba documenta operum clariora sunt, vitaeque munda ipsa luce fulgentior est, nec obscurari potest, etiamsi mille fuerint obloquentes.

¹⁾ Libr. Mor. 19. c. 12. — ²⁾ Psalm. CXVIII. 139. — ³⁾ Rom. IX. 2. — ⁴⁾ Luc. XIX. 42. 43. — ⁵⁾ Epist. 15. ad Episcopos. — ⁶⁾ C. 1. §. 2. D. VI. de poenit. — ⁷⁾ S. Ambr. Ep. 82.

Si mansueti, misericordes, pacifici, humiles ac mundo corde fuerimus, non minus efficaciter, quam per ipsa miracula, spectatores nostros ad veritatem trahemus" ¹⁾. Et S. Gregorius: „Illa vox lubentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat, quia tunc, quod loquendo imperat, ostendendo adjuvat, ut fiat" ²⁾. Quod S. Franciscus Salesius monebat de concionatoribus, debere illos praedicare non solis auribus, sed oculis quoque auditorum suorum, id aequè valet de confessariis. Non sufficit, si hi in sacro tribunali loquantur auribus poenitentium, loqui quoque extra sacrum tribunal debent eorum oculis, modo quidem ipsis multo difficiliori, sed multo etiam efficaciore, scilicet exemplis probae sanctaeque vitae. Vera igitur pietas christiana est dos principalis, qua praecipue splendescere debet confessarius, quò in sacro tribunali sedens divinam solvendi et ligandi potestatem exercet, qui et vi officii alios docet aeternam salutem in timore et tremore operari. Si enim ipsius conversatio manifeste improba est et immoralis, in antecessum jam iudicatur, nequaquam serio dictas esse illas admonitiones, quas impertitur et institutiones. Perit omnis confidentia, et si quis circumstantiis pressus ejusmodi viro confitetur, interna aestimatione prosequi eum et audire non valet. Nam „cujus vita despicitur, restat, et et praedicatio contemnatur" ³⁾. Accedit, quod bonum poenitentis propositum nihil magis faciliusque evertere, eumque in relapsum praecipitem agere soleat, quam exemplum confessarii, qui quod aliis consuluit, non facit, facit autem, quod dissuasit prohibuitque. Pulchre de hoc S. Augustinus: „Attendit enim ovis etiam fortis praepositum suum male viventem; si declinet oculos a regulis Domini, incipit dicere in corde suo: Si praepositus meus sic vivit, quis ego sum, qui non faciam, quod ille facit? Sic omnis, qui male vivit in conspectu eorum, quibus praepositus est, quantum in ipso est, occidit et fortes oves" ⁴⁾. —

Si vero simulat virtutem, vitamque improbam tegere nititur, citius seriusve tamen ab hominibus laicis, qui vitia cleri oculo admodum acuto perspiciunt, in opprobrium et dedecus suum seu talis agnosceretur, qualis est; aut etiamsi hoc non fiat, impius confessarius, — ut taceam Deum, quem non effugiet neque in hoc neque in futuro saeculo, — perparum etiam proderit. Solum, quod ex corde est, in corda iterum influit eaque movet. Quomodo autem dehortationes a malo ex corde esse possunt, si cor ipsum misero servitio peccati detinetur? Quomodo aliis fervore sancto virtutem commendabit, ex cuius ipsius animo exulat, et qui eam non nisi ex sterili sua ethica christiana pernoscit, nec ex Spiritus sancti promptuario sumit? Quomodo, qui sibi ipse imperandi impotens est, apud alios neces-

1) Hom. 15. in Matth. cap. V. — 2) Libr. Past. P. II. c. 3. — 3) S. Bern. serm. 1. — 4) Sermon 46. de Pass.

sario illi officio: „Vince te ipsum” insistere poterit? Quomodo obiabit nonnullorum inferioris et altioris conditionis laicorum praedicio, confessarius vi muneris teneri ad tantam severitatem, ut plebs coërceatur? ni ipse in omni virtutum genere emineat, „ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus” ¹⁾. „Bene vivendo et bene docendo populum instruis, quomodo debeat vivere; bene autem docendo et male vivendo, Deum instruis, quomodo debeat te condemnare” ²⁾. Quot igitur de causis tenetur confessarius, sancte vitam traducere!

At vero quaenam singillatim in confessario sanctimonia, dum Poenitentiae administrat Sacramentum, requiruntur?

a) A lethalis peccati labe immunem esse decet confessarium. Licet enim a ministri sanctitate sacramentorum effectus minime dependeat, sed ex solis meritis Jesu Christi, nihilominus magna indignitas est horrendumque sacrilegium, quod, qui repulit gratiam, hanc aliis elargiri contendat. Peccatori dixit Deus: „Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Arguam te et statuam contra faciem tuam. — — Intelligite haec, qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat, et non sit, qui eripiat” ³⁾. Quapropter si confessarius intra se peccatum grave deprehenderit, ne afferrat ad administrationem salutiferi hujus sacramenti conscientiam maculatam, neque sordidis manibus dispenset divinam gratiam, debet omnino conscientiae plaga primo sanari per confessionem sacramentalem vel per contritionem, ne cogatur Judicis sui audire amaram reprobationem: „Medice, cura te ipsum.”

b) Debet in virtutis praxi confirmatus esse propter ingentes tentationes, quibus hoc illum objicit ministerium. Neque enim corruptus aër cubiculi, ubi jam diu aeger phthisi contabescens jacet, magis corpori periculosus est, quam spiritui quorundam peccatorum enarratio. Igitur si illi tantum, quibus robustum est temperamentum et optima valetudo, aegris assidere possunt, eorum atrectare vulnera, et cum illis morari, quin eorum salus in periculum adducatur, fatendum est necessario, illos tantum citra salutis aeternae periculum regere posse ulceratas conscientias, qui diutina honorum operum exercitatione sese diligentissime in virtute solidarunt. — Qui antea cum horrore tentationem repellebat, hanc non amplius reformidat, ubi videt malum, quod sibi suadetur, exemplo non carere, et dummodo paululum pronus sit, eos abjiciet pudoris sensus, quibus coërcebatur, si quos invenerit, qui illum impellant. An igitur non eximia confessario virtus et bonitas videtur esse necessaria tanto muneri exsequendo? Excellens sane fuit Jeremiae sanctitas, et tamen, cum illum Deus juberet familiariter agere cum peccatoribus, memorem esse voluit, ne dum eos studeret capere, ipsemet praeda

¹⁾ II. Tim. III. 17. — ²⁾ Auth. op. imp. Hom. 43. — ³⁾ Psalm. XLIX. 16. 22

fieret. „Convertentur ipsi ad te, et tu non converteris ad eos”¹⁾. Sed ex omni peccatorum genere nullum magis contagione sua timendum est, ac facilius sese communicat, quam quod est castitati contrarium. Si ergo inhonestos sermones audire, licet inviti, non possumus, quin subinde pravae cogitationes suboriantur, quid erit, cum data opera confessarius mentem animumque totam adjiciet ad turpissima quaelibet flagitia excutienda? Imitandus Loth erit, quem sacrae testantur literae et oculis et auribus permansisse illibatum. „Aspectu et auditu justus erat”²⁾. Praecipue sacerdotes juniores ex hac parte sibi caveant. „Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in castitate”³⁾.

e) Sit in confessario horror omnis peccati; nam timor peccati efficit, ut vel levissimas illius species vitemus. „Per timorem Domini declinat omnis a malo”⁴⁾.

Qui isthic describitur, est homo ille, quem requirimus, ut *alios regat*. Ille enim pervadit animae humanae sinus usque ad *compages* et medullas, cogitationes et motus cordis discernit, omnia illius machinamenta considerat, et per hanc spiritualem anatomen, quae *ad peccatores regendos* adeo necessaria est, vulnerum profunditatem scrutatur, morborum originem detegit, modum, quo contrahuntur, investigat, et tuto praescribit, quid ad eos curandos evitandosque faciendum sit.

Ceterum haec, quae de sanctimonia vitae tamquam dote principali diximus, efficere non debent, ut confessarii animos despondeant, et a suscepto munere deterreantur, sed excitare potius, ut indies magis se sanctificent, et tanto ministerio se dignos reddant.

Orationis studium.

§. 21. Pariter confessarii dotibus accensetur studium orationis, cujus necessitatem Christi Domini et Apostolorum praecepta et exempla commonstrant. Certe vel ipsa infirmitas, qua sicut et alii homines, ipse etiam sacerdos circumdatus est, et hostium acerbitas, quorum insultibus exponitur, sublimitasque ac difficultas muneris ab ipso obeundi, satis evincunt orationis necessitatem, qua divinam gratiam exoret, sine cujus subsidio nec cum virtute degere, nec hostium impetus propulsare, nec munera sibi injuncta digne peragere posset. „Sine me nihil potestis facere,” ait Salvator optimus⁵⁾, et ejus Apostolus: „Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus”⁶⁾. Sicut necessarium est, ut palmes succum trahat ex stipite, stipes ex radice, radix ex terra, ita et homini ne-

1) Jer. XV. 19. — 2) H. Petr. II. 8. — 3) I. Tim. IV. 12. — 4) Prov. XV. 27. — 5) Joan. XV. 5. — 6) I. Cor. III. 7.

cessaria est virtus Dei, gratia Christi, quam ferventi consequimur oratione. Hunc in finem primum, sane nostrum officium est, ut de nobismet ipsis diffidentes, humiles et non intermissas ad Deum preces fundamus, quandoquidem praeter allatas rationes conversio peccatoris non humanae industriae, sed gratiae divinae opus est. „Deus enim habet sine dubio humanorum cordium, quo placet inclinandorum omnipotentissimam potestatem” ¹⁾. „Maledictus, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum. — Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus” ²⁾. „Etenim meum est consilium et aequitas, mea est prudentia” ³⁾. Hinc ergo saepissime flagitemus: „Vias tuas demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, et noli me reprobare a pueris tuis. Quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillae tuae, et homo infirmus et exigui temporis, et minor ad intellectum iudicii et legum” ⁴⁾. In causis intricatis et gravioribus devotio etiam singularis instituatur, ut dicamus cum piissimo Josaphat: „Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad Te” ⁵⁾.

Nemo igitur excipiat confessiones, nisi prius mentem eleverit ad Deum, et perpenderit, cujus personam vicesque suppleat, quanti momenti sit munus susceptum, quanto pretio quaevis anima Christo constiterit, quam severum timeat iudicium, si opus Dei negligenter tractaverit; quam vero copiosa merces exspectanda; ubi suo officio omni cum cura, fidelitate et attentione functus fuerit. Utcumque labor nobis molestus videatur, non deficiamus precibus, tempore enim suo metemus, non deficientes. Quapropter rogemus Deum enixis precibus ex toto corde, ut sapientiam et prudentiam, patientiam et mansuetudinem, et modestiam nobis elargiatur cum puritate, ne dum alios purgamus, ipsi impuri evadamus. Rogemus Deum pro poenitentibus ad nos accedentibus, ut det ipsis sinceritatem, veram contritionem, seriam mentis et cordis conversionem, et in bono perseverantiam. Meminerit confessarius, monet S. Carolus Borromaeus, pro eorum, quos in confessione audierit, sincera conversione deprecari. Ipsi poenitentes orant saepe pro confessario suo, novus hic illi sit stimulus ad deprecandum pro poenitentibus suis. „Orate pro invicem, ut salvemini” ⁶⁾.

Sacrae meditationis studium.

§. 22. Si, nemine addubitante, *scientia et vitae sanctimonia* est conditio, sine qua non idonei bonique confessarii, propalam est, confessarium sacrae meditationis exercitio carere non posse; quare

¹⁾ S. Aug. — ²⁾ Jer. XVII. 5. 7. — ³⁾ Prov. VIII. 1 4. — ⁴⁾ Sap. IX. 4. seq. — ⁵⁾ II. Paral. XX. 12. — ⁶⁾ Jac. V. 16.

ultimo loco necessariam in confessario dotem vocamus *meditationis studium*. Sine illa quippe vix quisquam ad verae et solidae pietatis metam pertingere potest. Sicut enim effectus sine causa, et finis absque medio, et portus absque navigatione obtineri non potest; ita perfectio christiana veraque sanctimonia vitae, ad quam potiori ratione sacerdos, et ut diximus, confessarius coniti debet, absque meditationis exercitio obtineri nequit; quod vel ipsa experientia satis compertum est. Sed necesse est quoque, ulterius eam progredi ac tantam effici, quae se etiam in alios abundanter possit effundere. Nutrix geminato indiget alimento, quo et se ipsam sustentet, et simul lactenti proli sufficiat. Ita se res habet in confessariis. Ipsi convenit duplex ille spiritus, quem sibi poposcit Elisaeus „Obsecro, ut in me fiat duplex spiritus” ¹⁾, spiritus, in cuius virtute evadant *perfecti et perficientes*. Utrumque longe facilius consequetur, qui sacro huic exercitio incumbit, quam qui illud negligit. Experimur enim quotidie, quod sacrae literae testantur: „Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimat sensum multa cogitantem” ²⁾. Unde ne mens nostra tepescat, vel rerum terrenarum pondere inflectatur, aliud certe non restat, nisi ut gratiam Dei, quae est in nobis per impositionem manuum, ope meditationis quotidie resuscitare satagamus, ne forte et nobis contingat, ut quos ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei esse oportet, efficiamur „nubes sine aqua, quae a ventis circumferuntur, arbores autumnales infructuosae, bis mortuae, eradicatae etc.” ³⁾ Et quis sibi blandiatur, absque frequenti meditatione ad maiorem perfectionem, ne dicam ad perfectionis verticem consensurum se esse? Etenim per meditationis exercitium *cognitio veritatum divinarum in nobis perficitur*, fides animatur, spes roboratur, et charitas inflammatur magis adeo, ut vi et efficacia divinarum veritatum succrescente, seu, juxta verba Psalmistae, in meditatione exardescente igne, pii animi affectus excitentur, bona proposita concipiantur, quibus ad maiorem perfectionem elutemur. Verum superest alia quoque ratio, quae sacerdotem et confessarium urget, ut saluberrimo hocce exercitio saepe saepius utatur, quatenus scilicet ibi discit, qualem se poenitentibus praebere debeat, quid et quomodo eos doceat, adhortetur et ad virtutis studium dirigat, quin imo excitato perfectionis cuius statui propriae desiderio, meditationes et considerationes ipsae usui esse possunt poenitentibus, quos in hoc orationis genere instruere convenit, cuius per se alias capaces non essent.

¹⁾ III. Reg. II. 9. — ²⁾ Sap. IX. 15. — ³⁾ Jud. 12.

Ratio meditandi.

§. 23. Quum tantae excellentiae et utilitatis sit meditationis sacrae exercitium, operae pretium judicamus, rationem, qua quis meditationi vacare queat, breviter percensere ¹⁾. Sequimur in hac parte ea, quae a S. Francisco Salesio in secunda Philotheae suae parte de illius orationis mentalis ratione et methodo sapientissime, et cum maximo pietatis sensu dicuntur.

Primum, quod ab eo praescribitur, est orantis *praeparatio* juxta illud Ecclesiastici: „Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum” ²⁾. Haec autem praeparatio in eo consistit, a) ut nos in Dei conspectu et praesentia collocemus, idque eliciendo actum fidei circa omnipraesentiam Dei coelum terramque sua immensitate replentis: *sive* ipsum Deum per eandem fidem apprehendendo non modo, ut omnibus rebus praesentissimum, sed speciali etiam modo, ut intime nobis inexistentem, nosque divinitatis suae praesentia vivificantem, juxta illud Apostoli. „In ipso vivimus, et movemur, et sumus” ³⁾. Unde et David illum nuncupabat Deum cordis sui. — *Sive* etiam considerando Christum Dominum Redemptorem, utpote qui secundum humanitatem suam jam inde e caelis omnes, qui in mundo sunt, homines contemplatur et considerat, quamvis nos eum non videamus, sicut Stephanus eum vidit, cum pro nomine illius mortem oppeteret. — *Sive* denique ipsummet Christum secundum eandem humanitatem nobis adstantem proponendo, aut sub sanctissimi Sacramenti speciebus realiter praesentem adorando. Aliquo ex his mediis utere ad animam tuam in Dei praesentia constituendam: nec vero omnia haec media uno tempore simul usurpes, sed tantum singillatim unum, idque breviter et simpliciter. b) Post divinae praesentiae seriem et attentam cogitationem subsequi debet humilis et supplex *divinae opis invocatio*, „eum sufficientes non simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo sit” ⁴⁾. Dicat igitur orans cum regio Propheta: „Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me” ⁵⁾. „Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.” „Da mihi intellectum et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo etc.” ⁶⁾, et alia id genus verba. Utile quoque erit, invocare auxilium et intercessionem sanctissimae Deiparae Virginis, nec non S. Angei Custodis et aliorum Sanctorum, erga quos peculiari devotione quis affectus est. c) Suadent demum quidam, ut materia, quae ex prae-

¹⁾ Erinnerungen an die geistlichen Uebungen im Jahre 1842, Grätz 1842. In his pagellis ratio meditandi perbene exponitur. — ²⁾ Eccl. XVIII. 23. — ³⁾ Act. XVII. 28. — ⁴⁾ II. Cor. III. 5. — ⁵⁾ Psalm. L. 13. — ⁶⁾ Psalm. CXVIII. 18. 34.

via lectione vel aliunde hausta est, sive ope imaginationis, sive per fidem in intellectu — quod cujusvis arbitrio relinquitur, ad vivum proponatur non aliter, ac si mysterium, quod perpendere cogitamus revera coram nobis perageretur. Exempli gratia: Dominum Jesum in cruce fixum meditaturus, finges te in monte Calvariae praesentem adesse, et quidquid in die passionis factum et dictum est, coram oculis tuis spectare. Aut si vellis, imaginaberis, eo ipso loco, in quo tu es, Domini crucifixionem fieri, eo prorsus modo, quod eam Evangelistae describunt.

2. Hac praeparatione breviter praemissa, ipsius meditationis praecipua pars aggredienda est, quae in actibus tum *intellectus* tum *voluntatis* consistit. In actibus quidem intellectus; mysterium propositum meditando, illiusque veritates circumstantiasque omnes attente considerando; plerumque in hoc negotio multum juvatur, occurrentes circumstantias attendendo, juxta notum versiculum: „Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.” Generatim haec indagatio non in meram speculationem, sed in plures semper animi affectus desinat, quibus voluntas ad agendum movetur. Huc praecipue spectant affectus; v. g. doloris de peccatis, timoris judiciorum divinatorum, spei in divina misericordia, desiderii gloriae coelestis, dilectionis et charitatis in Deum et proximum, et alii similes, qui in voluntate ipsa, firma producere et efformare debent proposita, tum devitandi peccata, tum virtutes consecrandi, tum etiam utendi mediis ad utrumque propositum consequendum opportunis.

3. Subsequitur ipsius meditationis conclusio, quae constat tum gratiarum actione pro gratis in meditatione acceptis, tum oblatione eorundem affectuum et propositorum, una cum meritis Christi Domini, tum denique supplicatione, qua ipsius gratiae divinae continuatio et augmentatio instanter postuletur, cujus ope in propositorum praeconceptorum executione fideliter perseveretur.

Materia meditationis.

§. 24. Innumera plane sunt, quae mentem nostram piissimis erga Deum sensibus replent. Ast veritates divinitus revelatae primas tenent partes, quarum quaedam proxime *timorem* vel *spem* nostram excitant, aliae suapte natura divinum *amorem* in nobis accendunt, tum illum, quem *amorem gratitudinis*, tum quem *charitatem* vocant. Ad priorem classem *novissima nostra* ¹⁾ pertinent; ad classem vero alteram mysteria incarnationis, vitae et passionis Jesu Christi, instituta ab eo Sacramenta etc. ipsaque divinitas, cujus infinita majestas, bonitas, sapientia et reliqua attributa, serio

¹⁾ Eccl. VII. 40. Deut. XXXII. 29.

et attente considerata, mentem nostram piissimis charitatis, gratitudinis, gaudii, admirationis sensibus ad Deum extollunt eriguntque. — S. Franciscus Salesius meditationem eam maxime consuluit, quae circa vitam et passionem Domini Nostri Jesu Christi versatur. „Si enim,” inquit, „saepe eam meditando consideres, tota anima tua illo replebitur, ipsius agendi modum addisces, et ad exemplar et normam illius omnes actiones tuas conformabis. Ipse est lux mundi; in ipso ergo, per ipsum, et ob ipsum illustrari et illuminari debemus: est item arbor desiderii, sub cujus umbra requiescere et refrigerari nos oportet: est vivus fons Jacob, in quo omnes nostrae maculae et naevi ablui debent. Pueri loquentes matres suas frequenter audiendo, et una cum ipsis balbutiando, illarum linguam et loquelam discunt. Sic nos apud Salvatorem nostrum per meditationem frequenter agentes, ac verba, actiones et affectus ejus observantes, illius gratia juvante, discemus loqui, agere et velle, ut ipse. Hic pedem figamus oportet, — — nec enim per aliam, quam per hanc, ad Deum patrem ire portam possumus. Nam sicut speculi aequor vultum et oculos nostros non referret, nec in se detineret, nisi retrorsum stanno et plumbo inductum foret: ita nec divinitas in mundo hoc inferiore commode a nobis considerari posset, nisi sacrae Salvatoris nostri humanitati eadem foret conjuncta et unita; hujus vero vita et mors tale objectum et materia sunt, ut nullum magis, convenientius, suavius, deliciosius et utilius eo in ordinariam nostram meditationem seligere possimus. Unde non frustra Redemptor noster, panis, qui de coelo descendit, appellatur; nam sicut panis ad omnes reliquos cibos adhiberi solet, sic et Salvatorem in omnibus orationibus et actionibus nostris meditemur, consideremus et requiramus” ¹⁾.

Reliqua adjuncta.

§. 25. Ad meditationem eo, quo decet, modo instituendam, quaedam adhuc ex mente praefati S. Praesulis observanda sunt.

a) Ut ad meditationis exercitium commoda aliqua aptaque eligatur hora; qualis est matutina, animo tunc negotiorum et conversationum incursibus nondum implicato, et ad ipsius diei veluti primitias Deo offerendas melius disposito.

Dum de tempore, quo duret, quaeritur, generatim ratio habenda est tum occupationum, quibus quis detinetur, tum etiam virium et facultatum, non tamen absque Directoris spiritualis consilio.

b) Ut locus etiam aptus, et quantum fieri potest, ab exterioribus distractionibus liber deligatur; idque juxta monitum Sal-

¹⁾ Philoth. P. II. c. 1.

vatoris nostri Jesu Christi dicentis: „Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio super te, ora Patrem tuum” ¹⁾).

c) Ut, antequam ipsa meditatio inchoetur, objectum, quod meditandum est, in aliquo pio libro prius perlegatur; quod etiam utilissime fieri posset pridie post examen serotinum, et sic ea, quae meditatione consideranda sunt, et melius intellectu concipiantur, et tenacius memoriae adhaereant, et ita evagationibus et distractionibus aditus omnis occludatur.

d) Ut praecipuus in meditationibus locus detur affectibus et propositis, quae non sint nimis generalia, sed circumstantiis et casibus particularibus attemperentur, ita ut si fieri possit, ipsamet die in praxin mittantur, et effectum obtineant. E. g. Si in meditatione aliquis Christi Domini erga calumniatores et inimicos clementiam et charitatem considerans, ad illius exemplum consecrandum excitetur, proponatque sibi adversarios diligere, iisque benefacere: hoc etiam in particulari sibi faciendum proponat erga hunc vel illum, a quo talem injuriam passus aut offensam accepit, vel cujus animum sibi nequiores expertus est, ut scilicet eum ipsomet die convenire apud se decernat, verbisque ad mitigandum animum aptis loqui, et etiam aliquo charitatis officio aut obsequio praevenire.

e) Denique ut ab oratione non statim animus in exterioribus occupationibus totus effundatur, sed paulatim, et si id commode fieri queat, servato aliquantulum silentio, ut sic pii affectus in animo concepti diutius retineantur, et altiores in corde radices agant. Alias enim non absimilis est viro „consideranti vultum nativitatis suae in speculo; consideravit se, et abiit, et oblitus est statim, qualis fuerit” ²⁾).

Devitatio vitiorum in munere sacri tribunalis obviatorum.

§. 26. Expositis jam dotibus atque virtutibus ad munus sacri tribunalis obeundum necessariis, de quibusdam vitiis, quae multum obstant, quominus poenitentium confessiones rite ac fructuose excipiantur, loqui fas est. Haec enim quo clarius spiritui ecclesiastico et sanctitati muneris agnoscentur contraria, eo certius sperare licet, fore, ut perspecta illorum turpitudine ac vi nocendi, devitentur. Sunt vero vitia, quae in gravissimo et sacerrimo confessionum excipiendarum munere non ab omnibus evitantur: a) internum animi frigus et ignavia, b) vanitas, c) imbecillis hominum timor, d) partium studium, e) lucri studium, f) inconsiderantia et impru-

¹⁾ Matth. VI. 6. — ²⁾ Jacob. I. 23. 24. — Cfr. Stapf. Theol. mor. Tom. IV. P. 118. seq. — M. Ludovici Abelly Parisini, Episcopi Ruthenensis, Sacerdos Christianus. Tyrn. 1747. p. 68.

dentia, g) alta proprii iudicii opinio et fastus, h) rigor et laxitas, i) animi demissio et anxietas.

Internum animi frigus et ignavia.

§. 27. Internum animi frigus erga salutem poenitentium a causis variis originem ducit; modo est immoderatum litterarum continuandarum studium, (quod forsitan in paucioribus locum habet), modo est nimia rei domesticae et agriculturae sollicitudo, (quod in non paucis), modo est sensus vere mundanus, modo est defectus cognitionis, in quam et qualem operis partem confessarius sit vocatus, modo est pigritia et ignavia, quae requiem amat, si laborem adit.

Quod animi frigus erga poenitentium salutem vario modo se manifestat: a) Si confessarius tempus, quod confessionibus excipiendis impendit, molestiae et oneris tempus consideret, et non sine aperto interni taedii signo aures poenitentibus praebet; tunc enim sincerus cordis affectus ex confessionali exulat. b) Si poenitentium multitudo eum impatientem reddat. c) Si poenitentes frigidis quibusdam verbis admonitos subito dimittat. d) Si officio suo, vicijus se totam quantum fiduciae suorum offerat, per alios potius quam per se ipsum satisfacere velit. e) Si gregem sibi concreditum diebus festis vicinas urbes aut monasterii ecclesias frequentantem, et ab alienis animarum pastoribus consilia et auxilia petentem, lubenti animo videat. f) Si afflictos, qui aegritudinem suam suasque tentationes accuratius exponere et ita alleviare velint animum, ut angores suos coram paroco suo effundant, instruat paucis, dimittatque asperis verbis. g) Si sapientia contentus, quam leviter in scholis hausit, profundiore Dei hominumque cognitionem non quaerat, et non adlaboret penetrare in internae piae vitae aditum, in quo solo mysterium verae animarum directionis reclusum et revelatum invenitur.

Ne huic vitio succumbamus, parumper in memoriam revocemus, quanta sit excellentiae, quanti fructus et utilitatis ministerium sacri tribunalis, et quanta sit obligatio illud recte et exacte obeundi. Quid prodest, ut sacerdos peccatores praedicationibus et exhortationibus ad conversionem et poenitentiam impulerit, si praefastidio et negligentia eos tanquam sibi molestos et importunos repellens, misericordiae januam ipsis praecludat? Sane de talibus pastoribus summus animarum Pastor, Jesus Christus, justissimam conquerendi rationem habebit, quod cum ipse exemplo suo praeverit, et aperte dixerit: „Omne, quod dat mihi Pater, ad me venit. Et eum, qui venit ad me, non ejiciam foras, quia descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me”¹⁾, quod,

¹⁾ Joan. VI. 37. 38.

inquam, illi exemplum hoc imitari neglexerint, neque in salute et perfectione animarum procuranda summo Pastori suo cooperari contenderint. Quae omnia jure merito pastori animarum persuaderi deberent, ut non tantum promissimum se exhibeat ad confessiones ultro accurrentium et petentium audiendas, sed etiam, ubi eos rarius accedere advertit, ad crebriorum hujus tam necessarii ac salutiferi Sacramenti usum omni adhibita industria ac conatu invitet et incitet. Sic enim iterum exemplo suo summus Pastor, Christus, docuit, qui ovem perditam tam sollicite quaesivit, nec a quaerendo destitit, donec inventam in ovile redaceret. „Fratres mei,” ait S. Jacobus, „si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum, scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum”¹⁾. Quid enim gratius esse poterit Deo Patri, cujus imago in hominibus devastata renovatur, et filius prodigus reducitur: quid Deo Filio, cujus oves tanto pretio emtae, perditaeque reducuntur; quid Spiritui sancto, cujus templa diruta et polluta reparantur et conciliantur? Si mercatores ad illas nundinas, in quibus magnum lucrum, licet frequenter falso sperant, magna celeritate accurrunt, totisque diebus in tabernis haerent, et emptores exspectant, quanto magis confessarius ad confessionale, in quo tam insigne et certum, tum animarum tum meritorum propriorum, lucrum sperare potest, accelerare, atque in eo, quamdiu poenitentes tamquam emptores salutis suae adsunt, perseverare debet. Si Christus ad Centurionis puerum vocatus: „Mox,” dixit, „veniam et curabo eum,” quidni idem, confessarius ad suos poenitentes curandos vocatus, faciat et dicat? O quantum solatium capturus est confessarius, si promptum se in hoc obsequio praebuerit, sicque de ipso quoque, ut olim de Christo, dici potuerit; „Et omnis turba quaerebat eum tangere (ei confiteri), quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes”²⁾! Quem in finem non parum proderit, si pastores animarum saluberrimam S. Chrysostomi exhortationem frequenter perpendant, sequentibus verbis expressam: „Perpendamus ovium pastores illos, qui Cappadocum regione sunt, quali et quanta pro pecorum suorum studiis patiantur. Illi saepe numero universum triduum nive obruti perdurant. Dicuntur autem et qui in Lydia sunt, non minora mala ferre, dum integros menses difficilem illam solitudinem pessimarumque bestiarum plenam vagando circumeunt. Si tantum erga pecora diligentiae impendunt pastores illi; quam, quaeso, excusationem habebimus, quibus animae rationales concreditae sunt, quod profundum hunc somnum dormimus? respirare enim omnino oportebat; quiescere autem omnino et non circumquaque percurrere, innumerisque etiam mortibus seipsos pro ovibus istis exponere, id demum non est

1) V. 19. 20. — 2) Luc. VI. 19.

boni pastoris. An ignoras gregis hujus dignitatem? An illius gratia Dominus tuus innumera non fecit? An non postremo et sanguinem fudit? Tu vero requiem quaeris? et quid pastoribus istis pejus esse poterit? an non perpendis, quod oves istas circumstant lupi multo amariciores et severiores? an apud temetipsum non reputas, qua mente opus sit ei, qui talem praefecturam sit administraturus? et homines quidem, qui populis praesunt, si quando de rebus fortuitis consulturi sunt, diebus non contenti, noctes etiam vigilando adhibent, nos vero, qui pro ipso coelo certamen habemus, ipso quoque die dormimus? Quis, quaeso, ab eo nos supplicio eripiet, quod istis debetur?" — ¹⁾

Vanitas.

§. 28. Vanitatis studium confessarii, qui gloriari cupit in multitudine sibi confitentium, merito inter vitia in munere confessionali evitanda numeratur. Coram Deo et conscientia nihil interest, quotnam quis habeat, quos poenitentes dirigat, sed quomodo dirigat. Juvat potius confessiones paucas rite factas audire, quam multas temere peractas, cum praesertim confessio aditum aperiat ad Ss. Altaris Sacramentum. Vanitatis ejusmodi studioso confessario non inepte applicabis sacrae scripturae verba: „Multiplicasti gentem, sed non magnificasti laetitiam" ²⁾). Vanitas saepe est mater aemulationis puerilis, ex qua nascitur *invidia confessariorum*, cum aliorum tribunalia poenitentium caterva stipata vident; *licentia* censoria nota perstringendi eorum confessiones excipiendi modum, ut illis abrogent auctoritatem; *inanis oblectatio*, qua perfruuntur, cum poenitens ipsis aperire non abnuit, quod aliis non audet. Inde etiam illae confitentium factiones profiscuntur, qui in uno alioque confessario gloriantes Corinthiis illis aequiparantur dicentibus: Ego sum Pauli, et ego Apollinis etc. ³⁾).

Ut poenitentiarius noxam illam, et a confessionali omni studio eliminandam aemulationem et zelotypiam, qua affectus aegre fert, si poenitentes aliis confiteantur, diligentissime devitet, meminerit quaeso, quae subjicimus: a) Nemo venit ad confessarium, nisi Pater coelestis traxerit eum; si autem hic poenitentem ad alium traxerit confessarium, quam causam habere potest querelae neglectus confessarius, maxime si solum Dei beneplacitum voluntatemque quaerat, quam aequè in non audito perficere et implere potest. b) Etiam si proximi seu poenitentis salutem sincere quaerat, gaudere potius, quam tristari de discessu deberet, cum se ipsum minimum omnium esse sibi persuadere queat, adeoque prudenter praesumere possit, poenitentem ab alio confessario et peritius et efficacius curatum iri.

¹⁾ Hom. 29. in Epist. ad Rom. — ²⁾ Isai IX. 3. — ³⁾ Cor. III.

Fort etiam non vult Deus eo instrumento uti ad ejus sanctificationem et salutem. c) Nihil ipsi etiam de merito decedit per discessum poenitentis, cum et voluntas ipsius bona, qua audire paratus erat poenitentem suo merito non sit caritura, et praeterea dum alteri confessario, ad quem transit poenitens, de fructu obtento gratulatur, ejusdem se quoque participem facit juxta illud Davidis pronunciatum: „Particeps ego sum omnium timentium te et custodientium mandata tua” ¹⁾).

Praeter vanae gloriae studium, quo confessarius in numero poenitentium gloriatur, aliud vanitatis vitium notamus, quod circa opera egregie facta, labores pro Dei honore susceptos, laborumque ipsorum fructus versatur. Proh dolor! non desunt, qui lingua propria, tanquam aptissimo instrumento utuntur, hujusmodi facta enarrandi. Quamvis illud interdum aliis ad similia opera provocandis, aut ad Deum glorificandum excitandis conferre possit, tamen nisi praesentissimae cautelae adhibeantur, intentioque ad Deum solum erecta sedulo teneatur, periculum undequaque imminet. In lubrico graderis, in medio laqueorum pertransis, proindeque sollicito cave tibi ipsi, quisquis de te ipso loqui cupis et nisi urgeat evidentissima proximi utilitas seu necessitas, hoc tibi dictum reputa: Fuge, quiesce, tace. „Nihil de te unquam loquaris,” ait S. Bernardus, „quod laudem importet, quantumcumque familiaris sit ille, cum quo loqueris, imo potius plus labora celare virtutes, quam vitia” ²⁾. Et S. Basilius: „Fugiamus inanem gloriam, dulcem spiritualium operum expilatricem, jucundum animarum nostrarum hostem, tineam virtutum, blandissimam bonorum nostrorum depraedatricem, eandemque mellis illitu fraudis veneni sui coloratricem, et mortiferi peculi porrectricem” ³⁾. Pesticiferi hujus vitii illecebras ut sacerdos christianus effugiat, memor sit oportet effati apostolici: „Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?” ⁴⁾ et S. Bernardi, qui docet: „Spiritus est, qui sanctificat. Spiritus, non dico tuus, sed Dei. Etsi prodigiis aut signis effulgeas, in manu tua fiunt, sed virtute Dei. Anblanditur popularis favor, quod verbum bonum et bene forte depromseris? Sed Christus donavit os et sapientiam: nam lingua tua quid nisi calamus scribae? Et hoc ipsum mutuo accepisti; talentum creditum est, repetendum cum usura” ⁵⁾).

Imbecillis hominum timor.

§. 29. Imbecillis hominum timor, iisque blandiendi proclivitas sacerdotem confessarium commaculat, dum ex metu offendendi poe-

¹⁾ Psalm. CXVIII. 63. — ²⁾ Inform. bon. vit. — ³⁾ In Const. cap. 11, — ⁴⁾ I. Cor. IV. 7. — ⁵⁾ Serm. 13. in Cant.

nitentis non audet ita cum eo agere, ut regulae sacri tribunalis poscunt. Veretur scilicet eum de delicto, ejus se accusat uberius et quantum necesse est, interrogare, — veretur postulare et exigere, ut vitet et deserat occasionem proximam peccati, — veretur eum commonere de status et conditionis suae obligationibus et officiis; atque forte absolutionem sacramentalem, quam petit, ubi opus sit, non audet differre, negare. Huic vitio potissimum succumbunt, qui audiunt confessiones potentium et nobilium, eorumque, a quibus aut dependent aut beneficii quid jam acceperunt, vel in futurum sperant.

Verba sacrae scripturae: „Non facies, quod iniquum est, nec injuste judicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis”¹⁾ confessarius non obliviscatur. In confessionali non sit personarum acceptio, sed potentibus et in dignitate constitutis aequae ac inferioribus et humili loco natis, non nisi veritas dicenda est. Confessarii officiorum suorum memores et amantes, nunquam audeant adulari, ubi arguere et castigare opus est, nunquam benedictionem loquantur iis, quibus Deus eam denegat. Poenitenti ut dignitatibus conspicuo, ubi status ejus moralis id poposcerit, pari cum energia turpitudine vitae corruptae est ob oculos ponenda, apta satisfactio injungenda, aut etiam absolutio deneganda, vel vero proroganda. Ut autem malus iste pudor vanusque timor ab animo sacerdotis confessarii eliminetur, discat a) mundum et ea, quae in mundo sunt, nihili facere, studeatque imitari virtutem illius, qui, ut loquitur Apostolus, „negavit se esse filium filiae Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem”²⁾. b) Non quid mundus cogitet, sed quid Deus judicet, apud se perspiciat, et ab illius unius nutu totus pendeat, ac in omnibus, quae facienda vel omittenda sunt, non hominum opinionem, sed Dei solius voluntatem attendat, Deoque soli, non vero hominibus placere appetat, memor illius dieti apostolici: „Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem”³⁾. c) Denique ardentem in animo foveat charitatem, et facile humani timoris et pudoris sensum effugabit. „Charitas siquidem perfecta foras mittit timorem”⁴⁾.

Partium studium.

§. 30. Cum confessarius non aequali promptitudine et aegrotos et sanos audire solet, cum *divites* prae *pauperibus*, *juniores* prae *senibus*, *foeminas* prae *viris* in suam curam adoptat spirituales, partium studium a munere sacro alienum manifestat; nam qua animarum pastor omnium sine discrimine saluti invigilet, omnibus omnia fiat, ad exemplum S. Pauli, neminem a suo charitatis

¹⁾ Lev. XIX. 15. — ²⁾ Hebr. XI. 24. 25. — ³⁾ Gal. I. 10. — ⁴⁾ I. Joan. IV. 18.

sanctae amplexu repellat. Qui enim veram erga Deum et proximum charitatem serio semel concepit, et finem, quem debet, sibi propositum habet, ad confessiones hominum rusticorum, rudium atque simplicium excipiendas aequè paratum promptumque se exhibebit, ac quando personarum nobilium et honoratiorum confessiones excipiendae forent. Nam ut taceam, eum, ubi ipsius partium studium innotuerit, aegre afficere reliquos, convicia sibi contrahere, imo in suspicionem incurrere, ac si minus pura in confessionali consilia foveat; meminert, quaeso, quod Dei beneplacitum animarum salus et proprii meriti augmentum ob sinceriozem intentionem et generosiozem sui victoriam multo copiosius obtineatur; ipseque confessarius tum Deum, cujus est cum simplicibus sermoinatio, teste Salomone ¹⁾, tum Christum, qui pro omnibus aequaliter mortuus est, perfectius imitetur. Merito ergo confessarius, qui ejusmodi in se aversionem erga incultos, et pauperes personas senserit, illam sibi S. Jacobi exhortationem applicabit: „Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriae. Etiam si introierit in conventum (aut confessionale) vestrum aureum anulum habens in veste candida, introierit autem et pauper in sordido habitu, et intendatis in eum, qui indutus est veste praeclara, et dixeritis ei: Tu sede hic bene; pauperi autem dixeritis: Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum, nonne judicatis apud vosmetipsos, et facti estis iudices cogitationum iniquarum? Audite fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide et haeredes regni, quod Deus repromisit diligentibus se” ²⁾? S. Ambrosius de Salvatore sanctissimo scribat: „Ibi noluit pergere, ne in Reguli filio videretur magis divitiis detulisse, hic ipse perrexit, ne videretur in Centurionis famulo conditionem despexisse servilem” ³⁾. „Si enim divitem honoras, propter personam ipsius honoras eum, si autem pauperem honoras propter personam Christi” ⁴⁾. Qui non quaerit nisi Deum et animarum salutem, quemadmodum has omnes aequaliter et sine discrimine amat et ad salutem adducere cupit, ita omnes aequali complectetur cura et sollicitudine. „Sapientibus et insipientibus debitor sum; non est acceptio personarum apud Deum.” ⁵⁾. — Nihilominus tamen ob singularem poenitentis indolem et spem, secundum ordinem charitatis, ita licebit saepius alium prae aliis curare, uti Jesus Christus pro erudiendis discipulis plus temporis impendit, ac pro reliqua multitudine.

1) Prov. III. 32. — 2) Cap. II. 1—5. — 3) In Evang. Joan. IV. — 4) Auct. Oper. imperf. hom. 82. — 5) Rom. I. 14. II. 11.

Lucri studium.

§. 31. Hoc vitium, quod opinione citius animum confessarii occupat, sacrum Poenitentiae actum considerat tanquam occasionem donorum recipiendorum, et aliorum familiaritati se insinuandi, beneficia ecclesiastica acquirendi, etc. Sacerdotes tales non in capturam animarum, sed in capturam argenti vel auri, vel honoris, vel vanae gloriae retia laxant, et quia, ut votorum suorum composites fiant, non raro turpissimo hominum timore irretiti, nimis lenes et faciles se praebent; comminationes Dei apud prophetam Isaiam incurrunt: „Vae, qui dicitis malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce et dulce in amarum”¹⁾. „Accepta munera multaque eorum accipiendorum cupiditas oculos sapientium excaecant, et justorum sensum corrumpunt”²⁾, occludunt os, quo minus ea, qua dicenda forent, animi libertate prodamus. „Qui accipit xenia et dona, quasi mutus in ore avertit correptiones”³⁾. Hinc ejusmodi sacerdotes non audent poenitentibus veritatem aperire, nec aequum ferre iudicium de conscientiae ipsorum statu, excogitant vel amplectuntur commodiores opiniones, quae sunt, ut propheta loquitur⁴⁾, tanquam pulvilli molles, qui illis mali sui cognitionem auferentes omnem etiam spem auferunt curationis. „Ad auctoritatem, libertatemque curatoris animarum insignis est momenti, nemini eorum, quos dirigere in salutis via, et ubi aberraverint corripere retrahereque debet, esse obnoxium titulo praebitionis et alimentorum. Vereque de hoc genere donorum dici solent: Qui capit: capitur. Fiduciam videlicet amittit, quidquam jure censorio agendi cum eo, cujus patronali reverentiae clientis humilitate se astringi passus est.”⁵⁾ Cavendum sane magnopere est sacerdotibus confessariis, de quibus hic loci nobis sermo est, ut ab avaritiae peste, quae est idolorum servitus, et a cupiditate, quae radix omnium malorum est, se elongent, atque in confessionibus excipiendis unice in Dei gloriam et animarum salutem intenti, nec *ab humano corde* inanem gloriam, nec *ab ore* laudem, nec *a manu* recipere donationem quaerant⁶⁾.

„Videte et cavete ab omni avarita”⁷⁾, inquit Christus Dominus, cunctos fideles, sed maxime discipulos et ministros suos alloquens. Gravius quippe atrocisque hae pestiferae lues in illis damnatur, quam in iis, qui eorum dictis et exemplis ab his coerceri debuerunt. Scribit enim venerabilis Beda, quod nonnulli sacerdotum, dum ignem cupiditatis igni supernae dilectionis anteponunt, igne supernae ultionis absumentur.

1) Isai V. 20. — 2) Deut. XVI. 19. — 3) Eccli. XX. 31. — 4) Ezech. XIII. 18. 19. — 5) S. Franc. Xav. ep. nov. libr. 4. ep. 4. — 6) S. Greg. Mor. libr. 9. c. 34. — 7) Luc. XII. 15.

Inconsiderantia.

§. 32. Hanc noxam confessarius multis variisque modis incurrit. Reum se hujus peccati facit, qui in administrando Poenitentiae Sacramento vel temere vel ex proposito nectere quaerit vincula, quae aut bonae ipsius famae, vel plane virtuti periculosa sunt. Quidam confessarii e. g. se immiscent, quin necessarium foret, variis familiae negotiis, ibique omnia ad mentem suam ordinare cupiunt, hacque ratione diversarum dissensionum ansam praebent. Alii, ubi sibi confitentes invisunt, querelis eorum de aliis consentiunt, aut accuratissime cum ipsis investigant et examinant actiones aliorum confessariorum et poenitentium, qua agendi ratione amorem erga proximum laedunt, et honorem sibi ipsis debitum in periculum vocant. Alii *nimia familiaritate* in sibi confitentes utuntur, atque hoc modo non solum, dum per mutuum amorem agglutinati sunt, Dei amorem tanto imminuunt, quanto sensibili suo et periculoso amore proficiunt, sed etiam auctoritati suae detrahunt et poenitenti nocent, quippe propter familiaritatem nimiam auctoritas et reverentia perit, exhortationes illius exiguo fructu audiuntur, adeo, ut propter lenitatem confessarii a poenitente liberius peccetur. — Imprudentissimi autem et maxime temerarii confessarii sunt, qui *intimiores* quamdam *familiaritatem cum sexu foemineo* inire non verentur, et ejus frequentiori, licet nondum illicito, consortio frui amant¹⁾. Quam facile subintrat animum sacerdotis inordinata cupido, quae puro ipsius fervori derogat! et multo facilius, quam creditur; ex aestimatione et reverentia, qua devotulae aliquae foeminae erga confessarium suum ducuntur, paulatim suboritur amor, probus quidem et spiritualis, ut vocant, qui tamen non raro in mere sensualem degenerat. Sensim, sine sensu, tinea in veste nascitur, et eam rodit; sic pariter sensim ex conversatione cum muliere oritur libido. „Quanti et quales Episcopi et clerici post confessionum et victoriarum calcata certamina, inquit S. Augustinus, post magnalia et signa mirabilia usquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, cum volunt in navi fragili navigare. Quantos leones domuit una infirmitas delicata, id est luxuria, quae cum sit vilis et misera, de magnis praedam facit”²⁾. Et alibi: „Credite mihi, episcopus sum, veritatem loquor in Christo, non mentior, cedros Libani et arietes gregum cecidisse vidi sub hac specie amicitiae spiritualis, de quorum casu non magis praesumebam quam Gregorii Nazianzeni et Ambrosii”³⁾. „Quo minus quis timet, eo majus est periculum; quo magis quis confidit virtuti suae, eo certior est lapsus. In hac parte expedit plus bene timere,

1) Cfr. Ludov. Granat. Dux peccatorum. P. 641. Colon. 1619. — 2) De Verbis Domini. — 3) De Cohabitatione clericorum et mulierum.

quam male fidere, infirmum se ut homo agnoscat, et fortis existat quam fortis videri velit, et infirmus evadat" ¹⁾). „Saepe familiaritas vicit, quos vitium superare non potuit, saepe occasio peccandi voluntatem facit et fecit" ²⁾). Imo etiamsi tales confessarii coram Deo et conscientia sua puri et immaculati sint et maneant; facile tamen bona eorum fama periclitatur, si saepius ejusmodi foeminis conversantes et familiaribus colloquiis inhaerentes conspiciuntur. Confessarius et umbram inhonesti fugiat, eo quod homines tam facile mala de sacerdotibus cogitent. Ceterum non desunt exempla lascivaram et versutarum foeminarum, quae Poenitentiae instituto abutantur, ut cogitandi rationem juniorum sacerdotum scrutentur, sicque libidinis suae manifestandae occasionem nanciscantur. Enovum motivum, cur quilibet sibi a sic dicto devoto foemineo sexu cavendum esse censeat. „Quare danda est opera, inquit S. Basilii, ut quantum fieri poterit, mulierum colloquia congressusque fugiamus; sin id non possit, in eo evitandum est certe, ut quam rarissime illa et quam brevissime fiant" ³⁾). Etenim, ut legitur in libro S. Cypriano adscripto: „Sunt aliquae necessitates, quae nos quoque privatim foeminas videre compellunt, ac etiam divini operis vel praecepti imperant efficaciam, ut visamus, ut solatia praebeamus, ut hortamenta vitalia salubriter intimemus; nec tamen et in his officiis minor cura agenda est pro moribus nostris, ut clarescant in nostra operatione indicia puritatis; severitas non desit, quae cum clerico foeminam possit astringere, ut ipsam nostram consolationem suscipiat cum tremore, et ita sentiat visitationis effectum, ut clericum veneretur" ⁴⁾). Et ad calcem libri hujus author adhortationem finit his verbis: „Severitas in vobis erga foeminas vigeat, auctoritas polleat, vigor teneatur, gravitas veneretur, et ut semel omnia colligamus, ad clausulum breviarium relegimus vobis, quod ad compendiosam plenitudinem redigens Paulus Apostolus insinuat: „De cetero, fratres, quaecunque sunt vera, quaecunque pudica, quaecunque justa, quaecunque sancta, quaecunque amabilia, quaecunque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae; haec cogitate, quae accepistis et didicistis, et audistis et vidistis in me: haec cogitate, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. Amen" ⁵⁾).

Alta iudicii proprii opinio et fastus.

§. 33. Confessarii quidam speciosum praetendentes titulum, soli Deo se debere rationem reddere, pro libitu et proprio Marte, quin attendant ad regulas christianae charitatis et prudentiae decidunt in occurrentibus conscientiae casibus. Tam altam de se imbiberunt

¹⁾ S. Cypr. — ²⁾ S. Bern. — ³⁾ In const. c. 64. — ⁴⁾ Libr. de Singularit. clericorum. — ⁵⁾ Philip IV. §. 9.

opinionem, sibi que ita sapere visi sunt, ut vel probatissimorum auctorum iudicium spernere non vereantur. Magistri esse volunt, quin fuerint discipuli, de nulla re dubitant, et in quavis re audacter ferunt iudicium. His opponimus praeclara confessariorum eruditorum ac piorum exempla, qui libris non paucas impendunt horas, quia intelligunt, eruditi quoque confessarii scientiam dubitatione et ignorantia permixtam esse; qui differunt aliquando iudicium, quia difficultatibus deterrentur, aliosque subinde consulunt, quia alieno se indigere consilio arbitrantur. Si hi documento non sunt confessariis, qui adolescentiam fere a studiis alienam duxerunt, et qui libris vale extremum dixerunt, ex quo ad excipiendas fidelium confessiones fuerunt admissi, saltem illis erubescendi causa esse possunt, et efficere, ut illorum temeritas omni prorsus careat excusatione. Nunquam etiam majus periculum errandi, quam cum pertinaciter quis propriae sententiae adhaeret, „Haec siquidem in proprio sensu obstinatio veluti lepra quaedam est, ut loquitur S. Bernardus, eo periculosior, quo magis occulta; — — — haec illorum est, qui sequentes errorem suum, et obstinati in eo, nullis volunt acquiescere consiliis; hi sunt unitatis divisores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes sibi, et magni in oculis suis.” Utinam saperent et intelligerent, quam nociva sit ipsorum praesumptio et pertinacia in proprio iudicio, cum aliorum illud iudicio praeponunt in iis, quibus par foret, alieno subicere, ne deciperentur. „Tunc sacerdos irreprehensibiliter greditur, cum exempla Patrum praecedentium indesinenter intuetur, ait S. Gregorius; cum Sanctorum vestigia sine cessatione considerat, et cogitationes illicitas deprimit, ne extra ordinis limitem operis pedem ponat” ¹⁾, „Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam” ²⁾).

Laxitas et rigor.

§. 34. Inter naevos confessarii laxitatem nonnulorum, aliorumque rigorem non immerito nec absque ratione numeramus. Sunt, qui Laxistae audiunt, qui omni, qua possunt opera, humanae naturae patrocinantur adeo, ut nisi per tenorem in extremas angustias se coniectos videant, plus justo legem moralem christianam emolliant, ne dicam effugiant, tam in adhortationibus et admonitionibus, quam in consiliis dandis dubiisque solvendis, atque adeo leves imponunt satisfactiones, quae fini earum haud quaquam respondere dignoscuntur. Per se patet, quanta malorum strages per hanc aliorum conscientias dirigendi methodum enascatur. Et quidem tales confessarii specioso titulo benignitatis gloriantur, verum reipsa caeci sunt et duces caecorum, qui tum sibi tum aliis horrendam foveam

¹⁾ Past. Part. II. c. 9. — ²⁾ Jac. IV. 6.

struunt. „Par erit poena et magistro et discipulo”¹⁾. „Plerique, ait S. Basilius in Isaiam, scripturam ipsam in aquam convertunt, permiscentes, quae suo intellectu excogitant, in extremam perniciem auditorum. Dum enim adnituntur, ut indulgendo eorum voluptatibus demereantur, ipsorum gratiam per suaves sermones oblectando, alunt illorum vitia in perditionem, enervantes auctoritatem et vigorem scripturarum vitiosos utiliter perstringentem, ad auditorum subversionem enarrantes multimodam erga homines benignitatem plane ineruditam, condonationes item peccatorum nullo sale conditas, et talia quaedam, quibus magnopere effeminant animas.” — ²⁾.

E contrario Rigorismus modernam hominis fragilitatem omnino non attendit; quae mere consuluntur, tanquam rigida praecepta effert, atque non attentis rerum personarumque adjunctis omni mitigationi locum adimit. Qui hoc modo procedunt, nesciunt sane, cujus sint spiritus. Generatim, qui nimium petit, omnia pessumdat, et per hunc inhumanum rigorem aliud non obtinetur, quam ut poenitentes ipsum Sacramenti usum perhorrescant, vel omnino in desperationem acti, omne vitae melioris consilium dimittant. „Per ejusmodi assertiones rigidas, et nimis strictas in rebus universis, nequaquam eruuntur homines e luto peccatorum, sed in illud profundius, quia desperatius, demerguntur”³⁾. Neque illud reticere possumus, saepe fieri, ut ii ipsi, qui erga alios tantam severitatem exercent, et camelum (funem) absque omni commiseratione per foramen acus protrudunt, erga semetipsos nimium quantum benigni inveniantur⁴⁾. Quare in hac causa mediam teneamus viam, ita ut legem Christi, ubi revera urget, absque omni quidem humano respectu veneremur, quin tamen linum fumigans per nimiam rigiditatem nostram exstinguatur. Absit quidem omnis laxitas in hoc sacro munere administrando, verum absit et omnis rigor! Memores simus mansuetudinis Jesu Christi, qua Ipse tractavit peccatores, vera cum poenitentia ad Ipsum accedentes. Et si contingat nos errare, potius de benignitate, quam de nimia severitate reprehendamus. Utinam aurea S. Antonini verba nullo non tempore ante oculos teneremus: „Melius est Domino reddere rationem de nimia misericordia, quam de nimia severitate. Circa tuam vitam esto austerus, circa aliorum autem benignus. Audiant te homines parva mandantem, et magna videant facientem.”

¹⁾ S. Hier. in Jerem. cap. XXIV. — ²⁾ Cfr. Ezech. II. 17. seq. XIII. 16. seq. — ³⁾ Gerson. P. III. libr. 4. de vita spirit. lect. 4. — ⁴⁾ Math. XXIII. 4.

Animi demissio et anxietas.

§. 35. Vitiis, quibus confessarius expers, et dotibus, quibus instructus sit oportet, recensitis, unum restat, ut animum addamus piis illis confessariis, quos nimius difficultatum et periculorum sancti tribunalis metus saepe numero in animi demissionem et anxietatem conjicit. Ex metu hoc alii abstinere ab audiendis confessionibus, etsi illas magno cum fructu et religionis emolumento audituri essent; alii non nisi parce, et non satis exacte ad eas se resolvunt; alii recusant audire eos, quorum conscientiam nimium gravatam et conversionem nimis difficilem esse credunt. Huic naevo medendo occurres humili in Deum fiducia, cujus infinita est potentia, quive, dum te indignum licet ad tremendum hoc ministerium elegerit, pro infinita sapientia sua et in te bonitate se promissis suis obligavit ad dandas gratias et subsidia, quibus munus hoc, quantumvis arduum et periculosum, digne impleas. Reminiscere, solemne esse Deo, ut ad declarandam et manifestandam potentiam suam maxima quaeque et gravissima per minimos et debilissimos efficiat. „Infirma mundi elegit, ut fortia confundat, — — — ut non gloriatur omnis caro in conspectu ejus”¹⁾. Qui confidit in Domino in perplexitatibus summis, in rebus difficillimis subito et mirabiliter illustratur et adjuvatur. Si non quaeris nisi Deum, invenies eum, et cum illo et per illum accipies lumen et vires. Qui mihi honoris est auctor, ait S. Leo, ipse mihi fiet administrationis adjutor, et ne succumbat sub magnitudine gratiae infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem”²⁾.

Caput II.

De Approbatione et Jurisdictione ad confessiones excipiendas necessaria.

Approbatio et jurisdictio.

§. 36. Quae praecedenti capite docuimus, eo spectant, ut confessarius sacrum tribunalis ministerium digne, et cum fructu obeat. Verum ut *valide* hoc Sacramentum administret, requiritur: 1) character sacerdotalis, sive potestas ordinis sacerdotalis, quandoquidem solis sacerdotibus primi (Episcopis) et secundi ordinis (presbyteris) duntaxat a Deo collata est potestas, peccata in Poenitentiae cathedra remittendi et retinendi, iisque solis, quo tempore

¹⁾ I. Cor. I. 28. 29. — ²⁾ Serm. I.

ad Sacerdotium promoventur, dicitur: „Quorum remiseritis etc.” cfr. §. 4. Accedit, quod gratia, quae per Sacramenta confertur, a Christo capite derivatur, qui sua passione nobis eam promeruit: deicit ergo illos solos, qui potestatem habent in corpus Christi verum, ministros esse Sacramentorum, per quae eadem gratia derivatur in corpus mysticum; illi autem sunt soli sacerdotes, quales fuerunt Apostoli in coena initiati ad Christi corpus consecrandum. Ergo illi soli sunt Sacramentorum ministri, juxta verbum S. Pauli: „Sic nos existimet homo, ut ministros Christi”¹⁾, et potissimum Sacramenti Poenitentiae, per quod homines idonei fiunt ad suscipiendum corpus Christi verum in Eucharistia. 2) *Jurisdictio*; et quidem juxta hodiernam Ecclesiae praxin, missio ad certam Ecclesiam, sive assignatio gregis, in quem potestatem exerceat; ab ipsa Ordinatione sacra separatur, ita, ut hac inauguratus, fiat presbyter, non autem animarum pastor et judex. Conceptus pastoris conceptum gregis, cui praesit, assignati, involvit; hinc potestas Ordinis per se sola nondum sufficit, ut quis extra mortis periculum Sacramentum Poenitentiae *valide* administret, sed praeter characterem sacerdotalem illi in Ordinatione collatum, jurisdictio quoque necessaria est.

Jurisdictio generatim dicitur potestas: quam habet aliquis in alium sibi subditum; in praesenti autem quaestione definiri potest: *Potestas, qua sacerdos, ut judex, in alterum, tanquam in subditum, sententiam fert in foro conscientiae, seu ut aliis placet: concessa a legitimo Ecclesiae magistratu facultas, potestatem de peccatoribus in foro interno judicandi, in ordinatione ad presbyteratum collatam, in certas personas exercendi.* A potestate Ordinis potestas jurisdictionis differt, utabilitas ad exercendum judicis temporalis munus a collatione muneris judicialis ipsa.

Approbatio, si nude sumitur, est tantum testimonium authenticum, quo sacerdos declaratur idoneus ad excipiendas confessiones; hinc differt approbatio a jurisdictione, quia haec est actus voluntatis, dans potestatem completam absolventi, illa vero est actus intellectus, consistens in judicio de idoneitate sacerdotis ad confessiones excipiendas. Verum iis, qui approbatione indigent, eodem instrumento, quod approbationem eorum attestatur, illico jurisdictio quoque Sacramenta administrandi, confessiones excipiendi, absolventi, ab ipsis Episcopis concedi solet, unde fit, ut passim cum jurisdictione confundatur, prout antiquitus jam factum fuisse arbitramur. Et hoc sensu accepta definitur: Testimonium juridicum, quo Episcopus fidem facit, se ad confessiones in sua dioecesi excipiendas talem sacerdotem *approbasse et deputasse.* Approbationi

¹⁾ Cor. IV. 1.

praemittitur examen, nisi forsitan aliunde constet Episcopo de idoneitate sacerdotis.

Jurisdictionis internae discrimina seu divisio.

§. 37. Jurisdictio interna, quae forum conscientiae spectat, alia est ordinaria, alia delegata. Ordinaria illa audit, quae alicui competit ratione beneficii, aut officii, quod adjunctam habet animarum curam. Eam proinde habent, quantum ad sacerdotes secundi ordinis, a) parochi, et qui his aequiparantur, scilicet capellani locales, vicarii perpetui, parochiarum administratores in parochianos suos; b) superiores regularium in personas sibi subjectas, videlicet in Ordinibus confratres¹⁾.

Jurisdictio delegata est ea, quae sacerdotibus beneficio curato carentibus, nec officium aut saltem precarium tantum habentibus, ex commissione confertur, v. g. cooperatoribus seu vicariis parochorum temporalibus, presbyteris regularibus regimen monasticum non habentibus, parochis extra suam parochiam alienos parochianos absolvere volentibus.

Necessitas.

§. 38. In ministro Poenitentiae, ut *valide* absolvat, praeter Ordinis potestatem requiri jurisdictionem, dogma catholicum est. Docet enim Concilium Tridentinum: „Quoniam igitur natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos tantum feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam (delegatam) non habet jurisdictionem”²⁾. Ratio, quam adfert synodus, haec est. Poenitentiae Sacramentum in iudicii forma a Jesu Christo fuisse institutum, et iudicem ferre non posse iudicium in eos, qui sibi subjecti non sunt, ed ad ipsum non pertinent. *Natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur.* Secunda ratio, quam Concilium affert, in eo sita est, quod Ecclesiae persuasum semper fuerit, absolutionem a sacerdote datam nullam esse et irritam, nisi ad Ordinem accedat jurisdictionis potestas. Ita docuit Concilium Lat. IV. anno 1215. habitum, in celebri Canone: „Omnis utriusque sexus,” ita Florentinum in decreto ad Armenos. Haec omnibus retro seculis Graecorum non minus quam Latinorum persuasio fuit. Notum est enim ex

¹⁾ Bonacina de Sacrament. disp. 5. quaest. 7. pct. 4. §. 1. nr. 6. — Reiffenstuel, Theol. mor. tract. 14. diss. 8. qu. 1. nr. 9. — ²⁾ Sess. XVI. cap. 7. can. 11.

veteri disciplina, *sine Episcopi licentia sacerdotes non potuisse aut poenitentiam imponere, aut absolutionem impertire*. Sic Conc. Carth. III. anno 397. celebratum exhibet Can. 32.: „Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet poenitentem, nisi absente Episcopo et necessitate urgente.” Similis Canon occurrit in concilio Iliberitano anno 301. et Carth. II. 390, Can. 4. Ne quis vero haec de poenitentia et absolutione publica tantum intelligenda esse opinetur, statuta Herardi Touronensis in oppositum premunt, ubi Canone 7^{mo} adinstar commentarii sic habetur: „Ut presbyteri de *occultis jussione* Episcopi poenitentes reconcilient. Jam vero occulta peccata publicae poenitentiae plerumque subjecta non fuisse, ex historia ecclesiastica constat. Ex dictis itaque patet, in ministro Sacramenti Poenitentiae praeter Ordinis potestatem nunquam non requisitam fuisse *jurisdictionem*, utpote distinctam ab Ordine. Ordo enim aequalis est in omnibus sacerdotibus; esse autem possunt sacerdotes, qui nec ordinariam nec delegatam jurisdictionem habent.

Dicunt autem, sacerdotem, potestatem dimittendi peccata accipere in sua Ordinatione, cum Episcopus manus ipsi imponendo dicit: Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseric peccata etc. Resp. Accipit potestatem radicalem, incompletam, et quodam modo habitualem, ut quidam loquuntur, non autem potestatem actualem et expeditam. Cum absolutio sit actus judicialis, necesse est, ut sacerdos habeat, in quos sententiam dicat: hinc potestas absolvendi a Christo quidem profecta est, et vi Ordinis infunditur, sed exerceri non potest, nisi adsint subditi, quos illi assignat Ecclesia. Exemplum ad hoc explicandum idoneum adhiberi solet. Rex multis potest judicandi auctoritatem concedere, sed ea lege, ut provinciarum praefecti subditos illis assignent; neque illi tamen a praefectis judicandi potestatem recipiunt, sed a Rege ipso. Consimili modo sacerdotes non ab Ecclesia, sed a Christo Domino vim et potestatem habent absolvendi, sed eam potestatem applicat et determinat Ecclesia, quia qui potestatem dedit Christus, subditos non assignavit Ipse, sed Ecclesiae reliquit suae determinandos, et pro sua sapientia relinquere debuit. Sine illa primaria et radicali potestate, quam sacerdotes in sua inauguratione accipiunt, jurisdictionis, quam tribueret Ecclesia, nulla esset et vana. Ecclesia eos tantum mittere potest, qui idonei sunt, ut mittantur. Ideo sacerdoti subditi assignantur, ut possit potestatem vi Ordinis collatam exercere; potestatis exercitium potestatem supponit ¹⁾.

¹⁾ Cfr. Cl. Christianopolium in Hbro „della Nullità delle assoluzioni ne' casi riservati Cap. 2. §. 103. P. 158. et seq. item Liebermann Theolog. dogm. et Linzer Monatschrift. V. Jahrg. 2. Bd. P. 100. seq. — Ueber. Jurisdiction und Approbation von Professor Dr. Boner in Trier, vide Zeitschrift für Phil. und kath. Theologie. Köln. 1834. 9. Heft. —

Approbationis et jurisdictionis collatio.

§. 39. Circa approbationem Concilium Tridentinum ¹⁾ statuit: „Nullum etiam regularem posse confessiones secularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopo per examen, si illi videbitur necessarium, aut alias *idoneus judicetur*, et *approbationem* obtineat.” Jam ex his clare patet, approbationem ad audiendas confessiones secularium etiam sacerdotum, ab Episcopo dari, eamque conditionem esse quantum ad presbyteros, qui beneficio curato carent, obtinendae jurisdictionis ad munus confessarii valide exercendum necessariae. Verum juxta modo vigentem praxin communem uno eodemque approbationis episcopalis actu simul et ipsa jurisdictione delegata ab episcopo conferri solet, ut adeo approbatio ad audiendas confessiones jurisdictionis quoque concessionem involvat. Unde quoque explicari potest, quod juris canonici doctores approbationis vocabulum passim latiori sensu accipiant; id quod in stylo Conciliarum dioecesium plurimarum fieri solet.

Haec approbatio obtineri debet ab Ordinario loci, in quo quis confessiones audit, vel ab ejus Vicario, (sede vacante a Vicario Capitulari) cum utique ad cujusvis Episcopi officia spectet, providere, ut nonnisi idonei confessarii exponantur. Quare etiam Concilium numero plurali utitur, ut significet, in diversis dioecesibus diversas requiri Episcoporum approbationes.

His praemissis approbatio una cum jurisdictione confertur:

1) Parochis, et qui illis aequiparantur, per beneficii aut officii, quod curam animarum adnexam habet, collationem, quibus nihilominus tamen literae jurisdictionis parochialis traduntur.

2) Cooperatoribus aut vicariis temporalibus parochorum per authenticum ab Ordinario vel ejus Vicario collatum testimonium. Sic literae jurisdictionis cooperatoribus dari solitae in archidioecesi Viennensi ita sonant: „Conceditur tibi sacerdoti examinato et approbato facultas, ut in Ecclesia parochiali N. N. cooperatorem agere, curae animarum vacare, confessiones sacramentales utriusque sexus — — excipere valeas.” Licet his terminis jurisdictione ad locum determinatum restringatur, nihilominus tamen illi confessiones in tota dioecesi *valide* audire possunt, non item *licite*, nisi consensus parochi loci accesserit. — Simili modo sacerdotibus simplicibus, qui curam animarum non agunt, facultas confessiones excipiendi ab Episcopo vel ejus Vicario datur ²⁾. Eandem sequitur praxim Dioecesis Brixinensis, in cujus constitutionibus Synodalibus Tit. 14. §. 4 et 5 sic legitur: „Declaramus nos illis omnibus, quos

¹⁾ Sess. XXIII. cap. 15 de Reform. — ²⁾ Consule Benedict. XIV. Instit. Eccles. Instit. 86., ubi multa sunt, quae ad hunc locum pertinent.

ad curam animarum approbaverimus, nisi addamus specialem restrictionem, simul spiritualem fori interni jurisdictionem concedere ad confessiones in tota Dioecesi valide audiendas, non autem licite, antequam consensus Curionis loci accesserit. Eodem prorsus modo et non aliter Parochis et Curatis jurisdictionem, quam in suas oviculas habent propriam, ad universam quoque Dioecesin delegando extendimus." Ex quibus patet, illos, qui ab episcopo ad curam animarum sunt approbati, in tota Dioecesi confessiones valide excipere, quin ipsorum jurisdictio per Parochos restringi possit, ut tamen id ipsum licite fiat, consensum Curionis loci requiri. Atque haec communis hodieum obtinet praxis.

3) Jurisdictio etiam ratione consuetudinis acquiritur, quam et novit et toleravit Episcopus, cum finitimi pastores diversae licet dioecesis mutuis sese ultro citroque juvant subsidiis. E contra vero confessarius non habet tacitum Superioris, Episcopi vel Vicarii consensum, quatenus hic ignorat, quid fiat, licet credendi locum habeat, futurum, ut si ille certior fieret, facultatem in ejusmodi circumstantiis concederet. Non enim valet consensus praesumptivus aut sine notitia Superioris.

4) Pariter confertur sacerdoti cuilibet in quaecunque peccata jurisdictio ratione articuli mortis poenitentis. De quo infra.

5) Denique conceditur quandoque jurisdictio eo, quod Ecclesia jurisdictionem in confessario deficientem sub certis conditionibus suppleat. Sunt vero conditiones hae: a) ut adsit in eo, qui jurisdictionem exercet, *titulus coloratus*, id est, qui veri tituli speciem habet, v. g. si sacerdoti officium vel beneficium, cui jurisdictio adnexa est, externe collatum sit, haec tamen collatio ob occultum vitium, puta, ob occultam simoniam, invalida sit, vel si sacerdos jurisdictionem antea habuerit, haec vero occulte exspiraverit; b) ut *error* (inculpatus) sit *communis*, id est talis, quo quis in loco, quo confessiones audit, jurisdictionem ordinariam aut delegatam habere *communiter*, et *publice* credatur, etsi reapse eam non habeat ¹⁾. His positis valet confessio ei facta, qui ob titulum coloratum, et ex communi errore inculpato habere creditur jurisdictionem, quam non habet; quia Ecclesia jurisdictionis defectum supplet ob bonum commune, et ad damna gravissima ²⁾, quae ex invaliditate actuum orientur, evitanda, modo non obstat impedimentum naturale ex parte illius, qui sacerdotem agit confessarium. V. g. si foemina vel laicus sacerdotem se gerat, nullae prorsus erunt ejusdem absolutiones, quia Ecclesia defectum hunc supplere nequit ³⁾.

Ceterum dubitari nequit, graviter peccare illos, qui juris-

¹⁾ Cfr. Theolog. mor. S. Alph. de Lig. libr. VI. n. 572. — ²⁾ Cfr. Theolog. Pictav. Tract. de poenit. — ³⁾ Cfr. dissertationem supra laudatam: Ueber Jurisdiction und Approbation von Prof. Dr. Boner in Trier.

dictione per Ecclesiam supplenda confisi, sapientissimos Ecclesiae canones vel leviter vel ex turpibus motivis violant.

Jurisdictionis restrictio.

§. 40. Si praeter Ordinem requiritur Jurisdictio, haec debet a Superioribus ad inferiores descendere, ergo ab illis limitari potest. Qui potest non concedere, potest etiam concedere cum limitatione vel restrictione. Christus etiam ministrorum ordines instituit, ut non distinctio tantum, sed etiam subjectio graduum esset, et inferiores essent subordinati potestati superiorum. Cum itaque jurisdictio ad absolutionem valide impendendam necessario descendat ex parte termini a Superiore ad inferiores, ergo Superiores etiam hanc jurisdictionis potestatem restringere possunt. Hinc quia ex illorum, quos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, judicio et conscientia pendet, quos in partem sollicitudinis pastoralis vocare velint; ipsorum quoque arbitrio relinquitur, quatenus jurisdictio, quam concedunt, pro temporum rationumque varietate vel amplianda vel restringenda videatur. Revera haec jurisdictio diversimode restringi consuevit vel *ad certum locum*, vel *ad definitum tempus*, vel *ad certas tantum personas*, vel demum *quoad certa peccata* ipsumque absolutionis modum. Verum ut confessarius tuta incedat via, ubi de veritatibus adeo necessariis agitur, juvat rem uberius exponere.

Restrictio jurisdictionis.

a) ratione loci et temporis.

§. 41. Jurisdictio tantum valet ad locum, pro quo, et ad temporis spatium, in quod data est. Hinc nulla est absolutio, quae non prius obtenta jurisdictione impertitur, α) in aliena dioecesi, vel β) elapso tempore, ad quod jurisdictionis potestas restricta fuit. Quamobrem sacerdos pro Archidioecesi Viennensi tantum jurisdictione donatus, extra ejusdem dioeceseos limites valide Sacramentum Poenitentiae administrare nequit. Qui vero jurisdictione instructus ad certum dioeceseos locum designatus est, juxta consuetudinem ac praxin pro tota dioecesi jurisdictionatus existit, ita ut etiam in aliena intra limites dioecesis sita parochia valide, et cum parochi licentia, licite absolutionem conferre queat. — Qui beneficio curato praest, amisso illo, etiam jurisdictione destituitur, hinc nova opus habet. Cooperatoribus antequam statutum jurisdictionis tempus evolutum est, de novo ejusdem prorogatio petenda est; jurisdictio enim durare nequit ultra tempus praescriptum ab eo, a cujus voluntate pendet. Ceterum non amittitur jurisdictio

solum lapsu temporis, sed etiam per excommunicationem majorem et suspensionem ¹⁾).

b) ratione personarum.

§. 42. 1) Jurisdictionis restrictae genus quoad personas illud est, quod sacerdos, qui ab Episcopo approbationem et jurisdictionem obtinuit, Monialium confessiones excipere non valeat, nisi in obtenta facultate hujus rei mentio explicita habeatur. Id praecipit Constitutiones Gregorii XV. „Inscrutabili” et Clementis X. „Superna.” Verba posterioris sunt: „Generaliter approbatos ab Episcopo ad audiendas personarum secularium confessiones nequam censi *approbatos* ad confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc *speciali Episcopi approbatione* (sensu latiori), atque approbatos pro audiendis confessionibus Monialium unius monasterii, minime audire posse confessiones Monialium alterius monasterii. Itidem confessarios extraordinarios semel deputatos atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.” Huic constitutioni etiam hodierna Ecclesiae praxis suffragatur.

Ex verbis citatis quoque patet, *approbationis* vocabulum *sensu latiori*, quo approbationi simul et jurisdictioni inhaeret, sumendum esse.

2) Alterum genus personarum, quas confessarii ceteroquin jurisdictionati, noxis expiare non valent, constituunt *complices*, quibuscum peccati contra sextum Decalogi praeceptum reos se fecerunt, nisi in articulo mortis, et tunc solum in defectu alterius sacerdotis. Qui secus fecerint, ipso facto excommunicationem Summo Pontifici reservatam incurrunt; ipsae vero absolutiones invalidae et irritae sunt nulliusque valoris. Praecipitur hoc Bulla Benedicti XIV., quae incipit: „Sacramentum Poenitentiae” dd^o. 30. Augusti 1741. Locus, qui hanc materiam spectat, habet: „Omnibus et singulis sacerdotibus — — — interdicens et prohibemus, ne aliquis eorum extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius articulo mortis, deficiente tunc quocunque sacerdote alio, qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personae complicitis in peccato turpi atque inhonesto contra sextum Decalogi praeceptum commisso, excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quacunque auctoritate et jurisdictione ad qualemcunque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit, tanquam impertita a sacerdote, qui jurisdictione ac facultate ad valide absolvendum

¹⁾ C. *Alma mater* de sententia excommunic. in 6to.

necessaria privatus existit, quam ei per praesentes has nostras adimere intendimus. Et nihilominus, si quis confessarius secus facere ausus fuerit, majoris quoque Excommunicationis poenam, a qua absolventi potestatem nobis solis nostrisque successoribus duntaxat reservamus, ipso facto incurrat; declarantes etiam et decernentes, quod nec etiam in vim cujuscumque jubilaei, aut etiam bullae, quae appellatur „Cruciatuae sanctae” aut alterius cujuslibet indulti, confessionem dicti complicitis hujusmodi quisnam valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem elargiri.” Attamen idem Pontifex per aliam subinde constitutionem, quae incipit: „Apostolici muneris partes”, declaravit, sacerdotem in articulo mortis compliciti suo absolutionem impertiri posse, quamvis alius sacerdos haberi possit, si alioquin poenitenti probabile periculum infamiae immineret, quae caveri vel depelli aliter nequeat ¹⁾).

Verba praefatae Bullae juxta regulam juris sunt strictae interpretationis, et ad alios casus extendi non debent, qui in illa non continentur. Quapropter a) cum de persona compliciti tantum in peccato turpi contra sextum Decalogi praeceptum sermo sit, ad alia peccata extensio non valet. Nihilominus consultum esse ducimus, ut neque personam in alio aliquo peccato complicem facile audiat, sed potius ad alium confessarium dirigat, ne finis Sacramenti Poenitentiae impediatur. b) quod vero attinet peccatum contra sextum Decalogi praeceptum, absit, ne illis assentiamus, qui luxuriam consummatam expetunt, cum et impudici tactus, et alii actus, qui imperfecti dicuntur, vere peccata contra praeceptum sextum commissa constituent. c) Insuper confessarius, qui complicem suum scienter absolvit, ipso facto excommunicationem summo Pontifici reservatam contrahit. Et quidem summus Pontifex severe prohibuit, ne etiam *audiatur* confessio sacramentalis complicitis; ad incurrendam tamen censuram attentata illius absolutio requiritur ²⁾. d) In articulo mortis sacerdos poenitentem complicem licite et valide absolvit, si alius sacerdos, etiam simplex, vel absolute deest, vel sine gravi infamia vel scandalo vocari non potest. Vicissim vero, si alius sacerdos, praesto fuit, vel imminens scandalum vel infamia potuisset removeri, tum absolutio a sacerdote complice impertita equidem valida declaratur, absolvens tamen ipso facto incurrit poenam excommunicationis reservatae.

3) Communis sacri tribunalis jurisdictio non sufficit ad reconciliandos resipiscentes ab haeresi, formali nempe et exterius manifestata, sed specialis Episcopi facultas pro absolutione ab haeresi formali danda, necessario requiritur.

¹⁾ Vide Benedicti XIV. de Syn. dioec. Libr. VII. c. 14. n. 4. — ²⁾ Benedicti XIV. Lit. encycl. pro anno Jubil. ad Poenitentiariorum: Inter praeteritos.

Casus practici.

§. 43. 1. Bertholdus neomysta jurisdictione nondum donatus post primitiarum solemniam a cognato graviter decumbente rogatur, ut ipsius confessionem excipiat. Num licite, an valide? R. Neutrum, si alius haberi possit sacerdos jurisdictionatus, aut mortis periculum non adsit.

2. Theodorus, cooperator Archidioecesi Viennensi adscriptus, parentes suos visendi causa Pragam proficiscitur. Num poterit ibidem valide absolvere? R. Negative. Nam Archiepiscopus Viennensis non habet jurisdictionem ordinariam in Archidioecesin Pragensis, inde non potest eam delegare, et Theodorus hoc ipso ibidem non habet subditos. Petenda est igitur jurisdictione ab Archiepiscopo Pragensi, vel ab illo, qui delegandi jus habet.

3. Parochus Andreas Laxenburgensis parochianos suos, quibuscum sacram peregrinationem Marianas Cellas instituit, ibidem pro confessione audit et absolvit. An licite valideque? R. Omnino, quia in proprios subditos ordinariam habet jurisdictionem, quae non dependet ab alterius dioeceseos Episcopi approbatione. Si tamen publice in ecclesia fieret, non requisita licentia parochi localis, peccaretur contra decentiam.

4. Parochus Hütteldorfensis, dum in aliena parochia versatur, rogatur a quodam illius parochiae aegroto, ut confitenti pro sacro tribunali aures praebet, et aliis praeterea aegroto administrari solitis Sacramentis muniat. Facietne Parochus utrumque licite et valide? R. Licet spiritualis fori interni jurisdictione, tenore instrumenti desuper dari soliti, pro *certo loco* concedi soleat, tamen haec pro tota dioecesi ad *valide* exercendum Sacramentum Poenitentiae valet juxta praxin vigentem, et Archiepiscopi Viennensis consensum. Ut autem *licite* hoc Sacramentum administraretur, requiritur, ut cum parochi fiat praescitu. In nostro vero casu specialiter ad eundem est parochus loci ob petendam facultatem, Viaticum et Unionem extremam dandi, quia horum Sacramentorum administratio ad jura parochialia spectat.

5. Paschalis cooperator Baadensis, Professor denominatus, loco suo cedit. Num adhuc confessionibus excipiendis sese ibidem offerre valebit? R. Neutiquam, nam cum amotione a munere cooperatoris jurisdictione expirat novaque petenda est.

c) ratione peccatorum. — Reservatio casuum conscientiae.

§. 44. Cum restrictio jurisdictionis confessionalis afficit quaedam peccata, oritur casuum conscientiae reservatio, quae definitur: subtractio potestatis absolvendi a certis quibusdam peccatis, salva potestate absolvendi ab aliis, ita ut minister ceteroquin legi-

timus sine speciali concessione ab illis absolvere nequeat. *Peccata*, a quibus sacerdotes inferiores, nonnisi cum speciali Superioris, qui jurisdictionem restrinxit, licentia absolvere possunt, *casus reservati* dicuntur. Casus reservati sunt *papales, episcopales, et regulares*, prout casum reservandorum potestas Summo Pontifici, Episcopis, et Regularium Superioribus competit. Jus casus conscientiae reservandi superioribus ecclesiae antistitibus competere, doctrina est catholica, ut historia ecclesiastica testatur, et Ecclesiae definitio probat. Etenim primis Ecclesiae temporibus cautum erat, ne presbyter poenitentem reconciliaret inconsulto Episcopo, nisi eo absente, et urgente necessitate ¹⁾. „Apud presbyterum, si quis gravi lapsu in ruinam mortis incideret, placuit agere poenitentiam non debere, sed potius apud Episcopum” ²⁾. Ergo gravius crimen jam tunc Episcopo reservatum erat. Thomassinus de veteri et nova ecclesiastica disciplina ³⁾ plura exempla affert, quae Ecclesiae praxin, secundum quam Episcopi atrociora, etiam *occulta*, sibi reservarunt peccata, [commonstrant. Neque hinc recessit posterioris aevi disciplina, etsi presbyteris favorabilior, quam antiqua. Unde concilium Londinense anno 1200. statuit can. VII., ut, „qui in dispendium cujuslibet scienter pejeraverit, non absolvatur, nisi ab Episcopo, vel ejus auctoritate.” Idem habent, concilia Nemausense anno 1284., Ravennatense anno 1286., Avenionense anno 1316., atque id secuti sunt omnium locorum Episcopi, ut Odo de Solliaco, Benedictus IX. extravag. 1. *De privilegiis*, Clemens V. cap. *Religiosis*, eodem titulo. Ergo semper stetit illud Origenis: „Laicus peccans indiget quandoque non solum sacerdote, sed et Episcopo” ⁴⁾. Optime haec exposuit concilium Tridentinum, ubi legitur: „Magnopere vero ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis tantum sacerdotibus absolverentur; inde merito Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universali tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare” ⁵⁾. Neque dubitandum est, quando omnia, quae a Deo sunt ordinata, hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique dioecesi, in aedificationem tamen, non in destructionem, liceat, pro illis in subditos tradita super reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, praesertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est” ⁵⁾. Ac ne quis contenderet, haec ad forum conscientiae non pertinere, sed ad exteriorem tantum disciplinam Ecclesiae, Concilium statuit: „Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad

¹⁾ In conc. Eliberit. 301. can. 32. — Carth. II. 409. can. 4. Carth. III. 397. can. 32. cfr. §. 38. — ²⁾ Conc. Eliberit. cap. 32. — ³⁾ P. I. libr. 2. c. 14.

⁴⁾ Hom. 10. in Libr. Num. — ⁵⁾ Sess. XIV. cap. 7. de Poenit. Sacram.

externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit" ¹⁾).

*) Nota. Romanos Pontifices jam sexto seculo quosdam casus, ut dicitur, suo sibi jure reservare solitos fuisse, demonstrat S. Gregorius M., quem nemo ignorat abfuisse quam maxime a violandis Episcoporum juribus. Is autem²⁾ Joannem Larissensem Metropolitam, si quid ageret contra, quam a Sede Apostolica praescriptum fuisset, privandum statuit communione sacrorum, quam non recuperaret, excepto ultimo vitae suae tempore, nisi concessa Romani Pontificis jussione³⁾. Homicidas ante annos circiter nongentos, quod observat Martenius⁴⁾, veniae impetrandae causa ad summos Pontifices missos fuisse constat⁵⁾. Cum autem homicidium esset ex genere eorum criminum, quae in quibusdam Ecclesiis veniae locum non relinquebant, fortasse cum haec disciplinae austeritas emolli ac mitigari coepit, id retentum est, ut eorum graviorum criminum rei non nisi a Sede Apostolica veniam consequerentur. Nam ea semper ipsius lenitas benignitasque fuit, ut etiam, cum antiqua vigeret disciplinae severitas, ipsa tamen justis de causis veniam interdum daret in criminibus, quae alicubi ordinaria lege uni Dei judicio relinqui, non autem ab Ecclesia dimitti solebant. Ita Tertullianus, postquam in Montani errores inciderat, Zephirinum Pontificem reprehendit, quod veniam daret moechis, quibus illam aliae Ecclesiae antea denegare consueverant.

Finis reservationum.

§. 45. Reservationis finis est, ut ejusmodi peccata vel gravius puniantur, vel efficacius corrigantur. Priori casu peccata reservantur ob annexam censuram; posteriori, a) ut poenitens magnitudinem sceleris magis edoceatur, et ad odium et detestationem peccati fortius excitetur. b) Ut difficultate absolutionis per Superiorem obtinendae, ab ejusmodi naevis vehementius deterreatur. Sicut enim facilitas absolvendi facilitatem peccandi parit, ita e contrario difficultas in obtinenda absolutione magnopere a peccatis revocat. c) Ut majores noxae majori peritia tractentur. Quod enim in morbis physicis fieri solet, ut morbis acerbioribus medendis operam dent medici longe doctiores, quos multa experientia commendat, id pariter convenit, ut fiat in sanandis animae morbis, quorum curatio cultioribus, et experientia magis exercitatis confessariis committatur. — Verum ad finem reservationis obtinendum, animadvertendum est, a) ne casus reservati nimium multiplicentur; nam quotidianum vilescit; quo fieri non potest, quin finis majoris erga id genus peccatorum odii et detestationis excitandae pereat. Porro b) reservationes sint accommodatae tum indigentibus temporum, tum

¹⁾ Sess. XIV. can. 11. — ²⁾ Ep. 7. libr. 3. col. 631. tom. II. opp. ed. Paris. — ³⁾ Vide etiam S. Leonem. M. Epist. 12. ad Anast. Thessalonicens. c. 1. et ult. — ⁴⁾ De Antiq. eccles. rit. T. I. libr. 1. c. 6. art. 6. — ⁵⁾ Ex. libr. 3. de Gest. Sanct. Rotonens. c. f. sec. IV. Benedict.

vitiis inprimis grassantibus, et in genere, cogitandi sentiendique mori. Hinc Clemens VIII. in Constitutione anno 1601. edita sapienter docuit: „Et ne locorum Ordinarii, quibus jus hoc reservandorum casum competit, plurimum, quam opus sit, reservationibus, subditis aut confessariis in animarum salute procuranda cooperantibus, sint onerosi, monentur omnes, ut paucos, eosque tantum, quos ad christianam disciplinam retinendam, animarumque sibi creditarum salutem pro cujusvis Dioecesis *statu et qualitate* necessario reservandos esse judicaverint, reservent.” Accedit, quod homines pro diversis temporibus etiam vitiis diversis inclinent. Quapropter bene jam monuit S. Carolus, aevi sui decus splendidissimum, „quod pro temporum varietate casuum reservationem ab Episcopo aliquando mutari expediat” ¹⁾. Pariter ²⁾ facultas a reservatis absolventi nec omnibus nec promiscue, sed delectis tantum concedatur sacerdotibus, quorum prudentiae et experientiae confidere licet, quandoquidem alia vitia difficilius, facilius alia curantur, adeo ut etiam his illiave gravioribus peccatis peritiores medici remedium adhibeant. Denique ³⁾ intentioni Ecclesiae parum convenire videtur, quod passim a laicis ignorentur, a quibus absque dubio multi absterrentur, si penas sibi intentas edocti cognoscerent.

Conditiones casuum reservatorum.

§. 46. Ut peccatum reservationi subiaceat, certas habere debet conditiones. Numerantur autem sequentes:

1) Sit peccatum *grave* seu *mortale*. Etsi enim, ut Sylvius loquitur, cujusvis generis peccata reservari possint, si solum spectetur potestas, quia ad sacramentalem absolutionem necessaria est jurisdictio, quae cum a Superioribus descendat, ab eis limitari potest, Ecclesia tamen nec ullum reservat veniale, tum quia reservatio haec plurimos ab utili venialium confessione arceret, tum quia eadem reservatio inutilis foret, cum venialia, alia quam confessionis via dimitti possint. Id indicat Concilium Tridentinum, cum reservationi, prout antiquitus factum est, *atrociora* tantum et graviora crimina subjacuisse docet: quamquam Canon XI., ubi, quae fidei sunt, distinctius assignantur, decernit anathema iis, qui negant, Episcopos habere jus sibi reservandi casus, nulla facta *atrociorum* mentione. Nihilominus generaliter receptum est, posse reservari a Superioribus peccata simpliciter; sed vere mortalia. — Sic etiam si penitus spectentur, quae reservari consueverunt, facile apparebit, ea omnia, si minus in se, at saltem in miseris, quos parere solent, effectibus, certum gravitatis genus involvere. Unde quae a mortali excusant, reservationem impediunt.

¹⁾ In Conc. Mediolan. V. c. 10.

2) Sit *externum*, ita quidem, ut peccati actus — gravis per se, sive ex objecto suo, et non tantum ob agentis intentionem graviter malam — *externe se* prodat; nam peccatum mortale internum reservari non expedit, quia hoc esset injicere laqueum intolerabilem fidelibus, qui saepe sunt anxii, num cogitationibus internis consenserint nec ne; quibus proinde id genus reservationis in destructionem potius, quam in aedificationem cederet. Ita Benedictus XIV. de Synodo dioecesana ¹⁾). Necesse tamen non est, ut peccatum sit publicum, vel in alicujus notitiam venerit; satis est, ut exterius sit commissum, quamvis penitus occultum.

3) Sit *completum* in specie sua.

Ratio est, tum quia reservatio, utpote odiosa et poenalis, restringi debet, tum quia, si Superior opus etiam tentatum reservare voluisset, non deerant verba, quibus mentem suam exprimeret disertius. Hinc si reservatum sit homicidium voluntarium, is duntaxat reservationi subjacet, qui vere et facto occidit, non vero qui homicidium animo proposuit, suamque occidendi voluntatem factis, verbis, aut nutibus demonstravit; aut qui venit ad verbera vel vulnera, si mors secuta non sit, aut necdum sit secutura. Notandum tamen est, quod nonnunquam actus non consummati, et ipsa criminis attentatio expressis verbis reserventur. Sic in dioecesibus quibusdam *provocatio sola* ad duellum et *ejusdem acceptatio*, quamvis conflictus non sequatur, — item *procuratio abortus*, effectu etiam non secuto, reservationi subjiciuntur. Simili modo in Archidioecesi Viennensi *crimen incendiarii* et *venefici* reservationi subest, etsi praeter agentis intentionem effectus non sequatur. Hinc supra allata conditio peccati reservati eatenus valet, ut in specie sua sit completum, nisi aliter fuerit in statuto expressum.

4) Sit *immediate*, non autem mediate tantum *imputabile*. Reservatio non afficit eum, qui actionem jussit, aut ad eam incitavit, sed eum, qui eam patravit, nisi mandantes et exequentes ex aequa reservationis lege contineantur, vel ut prisci dixerunt: „Solve mandantes, quando non jura reservant.“ Sic *herus*, qui servum suum jussit alterum occidere, *obstetrix*, quae puellae persuasit, ut ad procurandum abortum medicamenta adhiberet, reservationi non subsunt, quamvis homicidium et procuratio abortus casibus reservatis adnumerentur.

5) Sit *certum*, videlicet absit omne dubium nimirum, an peccatum, quod certo constat esse reservatum, a poenitente commissum, vel an revera grave fuerit, vel tantum veniale; quia reservatio, cum sit odiosa, debet restringi ad casus certos, non dubios. V. g. Cajus ex proposito sclopetum explosit in Sempronium, quem et vulneratum vidit, sed cum extemplo fugam ceperit, nescius hae-

¹⁾ Libr. V. c. 5. n. 5.

ret, num Sempronius revera mortem subierit. Vel puella aliqua hebes et in doctrina christiana plane rudis sibi abortum proliis procuravit, et nunc interrogat, an id factum peccaminosum sit nec ne. Haec peccata, utut in se (puta homicidium voluntarium, procuratio abortus) reservationi subjecta sint, his in circumstantiis a reservatione eximi posse videntur ob defectum certitudinis facti et juris.

Quid vero, si dubitet confessarius, an peccatum sub lege reservationis contineatur, sive an Superior, peccatum, quod exponitur, reapse sibi reservaverit? Controversia est, nec facile definiri potest, utra disciplina potior sit, num quae dubium circa reservationem reservat, an quae mavult non reservare, cum id a personarum et rerum circumstantiis dependeat. Generaliter loquendo in hujusmodi negotiis mitiorem partem, qua multo minoribus abnoxiam incommodis praetulerim; cum enim reservatio sit odiosa, stricte est accipienda et restringenda ad casus certos, non dubios. Ad minus consulendum est poenitentibus, ne ob dubia tractentur perinde, ac certo rei. Fors distinguendum, utrum confessarius ideo dubitet, quia verba reservationis nescit, an vero, quia ambigua sunt, et varias interpretationes admittunt. In primo casu prius inquirat in legem; in secundo utatur jure suo. Ceterum qui in hoc dubio juris accuratius distinguunt, pro ipso usu sequentes regulas subjiciunt: a) Si praemissa justa indagatione casus, quem poenitens adfert, est *probabilis* reservatus, supponi nequit, Superiorem consentire, ut confessarius simplex ab eo absolvat. b) Si vero reservatio omnibus perpensis *minus* probabilis videtur, Theologi passim docent, peccatum hoc modo incertum non reservari. c) Si denique *dubium stricte tale* occurrit, ita ut pro neutra parte rationes praeponderantes militent; tum si solida spes adest, illud mediis, quae praesto sunt, vinci posse, res antequam absolutio detur, pro viribus discutiatur; si vero dubium invincibile videtur, reservatio cessat¹⁾. Ceterum optandum foret, ut mentem suam ea de re Superiores aperirent, quo certo constaret, quae eorum intentio esset. Dubium autem, quid imo ignorantia *poenitentis*, peccatum suum esse reservatum, (exceptis casibus reservatis ob censuram) non impedit, quo minus reservatione implicetur, utpote cum finis reservationis semper locum habeat. Nam finis reservationis non est tantum, ut fideles a culpis gravioribus abstercantur, sed etiam ut recipiant a Superioribus poenitentias, monita ac remedia opportuniora, quae non nisi a prudentioribus adhiberi oportet, unde etiam in ignorantibus reservationem non cessat omnino finis reservationis.

6) Sunt, qui ad incurrendam reservationem requirunt, ut peccatum a *puberi* i. e. a mare post annum decimum quartum, a

¹⁾ Vide: *Exposit. Casuum reserv. in dioecesi Brixinensi*. Edita a J. A. Stapf, 1834.

puella post annum duodecimum impletum, commissum fuerit. Ratio illorum non est, quod ea aetas ad reservationem absolute necessaria sit, sed quia plus indulgentiae meretur aetas levis et immatura, quae vix satis gravitatem peccati ponderare potest. Verum quemadmodum evenire poterit, ut reservatio stante pubertate non adsit, si nimirum interna actus malitia, qualis n. 1, requiritur, defuerit, sic pariter nihil impedit, quo minus reservatio locum habeat, licet in pubertate patratum sit, quippe quando peccatum ex genere et ex agentis voluntate graviter mala mortale fuerit. Quare aetas pubes per se non requiritur ad incurrendos casus servatos, nisi per expressam aut tacitam voluntatem reservantis.

Praeter has recensitas condiciones, quibus iudicium confessorii dirigatur, num peccatum sub lege reservationis contineatur nec ne, regula valet universim, quod reservatio sit juxta communem juris regulam strictae interpretationis, quia res est odiosa et poenalis. Hinc in materia reservationis favendum poenitenti, quantum salva verborum proprietate potest; restringatur odium reservationis, quatenus haec strictiori sensu intelligi potest¹⁾; non valet in reservatione argumentum a fortiori, v. g. si lectio librorum Calvinianorum prohibita est, ergo multo magis auditio praedicationis Calvinianae; poterit illa, non item haec prohiberi. His praemissis facile intelliges versiculos, quibus prisci doctrinae moralis magistri condiciones casuum reservatorum comprehenderunt:

Completurn, externum, certum, mortale; favores

Auge, restringe odia, a potiori ratio nulla est.

Mas annos habeat bis septem, foemina bis sex.

Solvo mandantes, quando non jura reservant.

Casus summo Pontifici reservati.

§. 47. Reservationes pontificiae vix non omnes annexam sibi habent censuram, ita ut *directe et principaliter* sola poena summo Pontifici reservetur, peccatum vero *indirecte* tantum, quatenus poenitens ab illo absolvi nequit, nisi excommunicatio, quam incurrit, prius sublata sit. Exstat tamen exemplum reservationis pontificiae, absque addita censura, nempe calumniae, qua quis innocentem sacerdotem de sollicitatione ad turpia in sacro tribunali facta, falso accusat²⁾. — Requiritur vero ad incurrendam censuram a) ex parte delinquentis aliqua saltem *cognitio* illius. Poena scilicet ecclesiastica inobedientiam praesupponit et contumaciam, qualis non censetur adesse in eo, qui censuram suo delicto annexam nescivit. Aliud de irregularitate obtinet, per quam quis ex certis vel defe-

¹⁾ Reg. jur. 15. in VI: Odia restringi et favores convenit ampliari. ²⁾ Benedict. XIV. Const.: Sacramentum Poenitentiae.

cibus vel delictis ad ministerium altaris inhabilis redditur, quamque etiam ignorantes contrahunt. b) Attamen non requiritur *cognitio certa et prorsus clara*, sed sufficit etiam subobscura. Similiter *ignorantia crassa* et *supina* vel omnino *affectata* neminem excusat ¹⁾. c) Vicissim vero, ut passim astruunt, *gravis metus*, quem quis depellere non potest, ab incurrendis censuris excusat; quia qui nonnisi gravi metu compulsus aliquid perpetrat, quamvis lethaliter peccet, non tamen contumax habetur ²⁾. d) Demum neque impuberes censuras incurrunt, exceptis tamen, interdicto in communitalatem lato, item excommunicatione ob percussionem Clerici, nec non ob violationem clausurae monasterialis.

Ut autem casus summo Pontifici reservati vim suam in singulis exserant dioecesibus, quantum ad confessarios necesse est, ut per Episcopum loci sacerdotibus ad munus confessionale deputatis promulgentur. Hinc statuta dioecesana literae jurisdictionis et specialia Episcoporum mandata, in quibus ejusmodi casus notantur, consulenda sunt. Atque hoc respectu in Archidioecesi Viennensi casus summo Pontifici reservati designatur, qui in Const. Benedict. XIV. „*Sacramentum Poenitentiae*“ de dato 1. Jun. 1741, et in Declaratione desuper: *Apostolici muneris partes*, 8. Feb. 1745. exprimuntur, videlicet: 1) *Absolutio complicitis in peccato turpi*, attentata extra articulum mortis et defectum inculpabilem alterius cujuscumque sacerdotis; 2) *Calumniosa denuntiatio*, qua quis confessarium innocentem falso et malitiose apud iudices ecclesiasticos de sollicitatione ad turpia contra VI. Decalogi praeceptum accusat. Laudata enim instrumenta pontificia, in quibus supradicti casus continentur, expresse recepta sunt, et in literis pro exercendo munere confessionali dari solitis diligenter commendantur. Quod vero ipsam sollicitationem ad turpia spectat, peccatum hoc, utut enorme, reservatum non est, ast locorum Ordinarii ad severe puniendos hujusmodi sacerdotes delinquentes *etiam ex commissione et mandato* summi Pontificis procedere tenentur. 3) Huc quoque refertur, quod relate ad clandestinas Religionem et imperiis infensissimas *societates* sic dictas *Carbonariorum* in Bulla Leonis XII. publici juris factum est ³⁾. 4) Quod attinet *haeresin* formalem nempe et exterius manifestatam, *schisma* et *apostasiam a fide*, quae crimina excommunicationem summo Pontifici reservatam involvunt, si peccans praeviam hujus censurae notitiam habuit ⁴⁾, ab his nullus confessariorum absolvere valet, nisi

¹⁾ c. 2. de const. in VI. (1. 2.) — ²⁾ Cfr. Theolog. mor. S. Alphonsi de Lig. Libr. VII. n. 46. 47. 48. — ³⁾ Bulla Pii VII. contra Carbonarios dd. 15. April 1822. Leo XII. in Const. edita 17. Febr. 1825, quae incipit: „Quo graviora.“ Gregor. XVI. dd. 15. Aug. 1832. Pius IX. Encycl. „Qui pluribus.“ 9. Nov. 1846. Cfr. Kerz Litteratur - Zeitung, Juni 1826. — ⁴⁾ Paulus II. Constit. *Etsi Domini* gregis. (de 1448)

prius facultatem obtinuerit ab Episcopo, qui eam vi facultatum quinquennialium concedit.

Expositionem uberiorem casus primi et secundi vide §. 42. n. 2. et infra §. De sollicitatione ad turpia. Quantum ad casum quartum, pro tyronibus sequentia subjicimus: 1) Haeresin formalem definiunt, esse errorem contra fidem voluntarium et pertinacem in homine christiano. Requiritur ergo in primis *error contra fidem*, seu contra veritatem, quae ab ecclesia tanquam dogma *fidei divinae* est proposita. Hinc ubi ecclesia aliquam propositionem et quidem ceu falsam et erroneam, non tamen ceu haereticam damnat, qui assertioni taliter damnatae inhaerere pergit, lugubriter quidem errat, in sensu tamen stricto nondum haereticus dicitur. *Ex parte voluntatis* vero requiritur pertinacia, dum quis, etiamsi in interiori mentis recessu de falsitate suae sententiae persuasus sit, vel tamen, si veritatis amans foret, eam facile perspicere posset, nihilominus asserta sua propugnare pergit, et spiritu contradictionis ductus, non in veritate indaganda, sed solum in rationibus contrariis retundendis occupatur. Haec voluntatis pertinacia plerumque cum ignorantia affectata jungitur; nec enim opus est, ut quis veritatis, cui obnititur, plene sibi conscius sit, sed quisquis ex perverso animi affectu errori suo inhaeret, et meliorem instructionem aspernatur, absque dubio notam pertinaciae incurrit. 2) Haeresis formalis et exterius manifestata, ut diximus, excommunicationem summo Pontifici reservatam involvit, si peccans praeviam hujus censurae notitiam habuit. In Germania tamen Episcopi vi quinquennialium tum per se tum per vicarium specialiter deputatum possunt ab haeresi, et apostasia a fide, et schismate absolvere, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi sacrum Officium exercetur etc. — Ubi haeresis publica et notoria fuerit, iidem Episcopi Germaniae etiam pro *foro externo* absolvunt, tumque, sublata scilicet censura, peccatum ipsum non amplius reservatum censetur.

Ceterum juvat, nonnullos alios casus censurà summo Pontifici reservata notatos vel breviter attingere, quo magis fideles absterreantur a patrandis hujusmodi criminibus, praesertim quoad ea, quae valde atrocia sunt, et nihilominus interdum patrari solent. Et quidem

1) *Excommunicationem* Pontifici reservatam praeter supra allatos casus involvunt: violenta et injusta manuum injectio in Clericum, si gravis fuerit ¹⁾; — sacrilega effractio et spoliatio ecclesiarum ²⁾; — duelli, etiam non solemnitis, commissio; cooperatio ad illud; item spectatio facta ex professo ³⁾; — Simonia realis circa ordines, beneficia, et ingressum Religionis; item simonia confidentialis ⁴⁾; — indignum mercimonium circa stipendia Missarum. Laici in hoc delinquentes excommunicationem, clerici ipso facto suspensionem incurrun ⁵⁾.

in c. 5. Extrav. commun. de poenit. et remiss. (5. 9): Sixtus. IV. (Constit. Etsi Dominici gregis. de 1478. in c. 5. eodem; Conc. Trid. Sess. XXIV. cap. 6. de Reform. — Benedict. XIV. Pastoralis item de Syn. dioecesis. Libr. IX. cap. 4. n. 9.

¹⁾ c. 29. e. XVII. q. 4. Cfr. clem. 3. de poen. (5. 8.) — ²⁾ c. 22. X. de sent. excomm. (5. 39.) ³⁾ Trid. Sess. XXV. cap. 19. Benedict. XIV. 1752. Detestabilem. — ⁴⁾ Benedict. XIV. 1741. Pastoralis. — ⁵⁾ Benedict. XIV. *Quanta cura*.

2) *Suspensionem* ipso facto inter alia incurrit sacerdos, qui, non accepta ab Episcopo jurisdictione, Sacramentum Poenitentiae administrat tanquam ex privilegio¹⁾. Item qui ausus fuerit, sponsos alterius Parochiae sine licentia illorum Parochi conjungere aut benedicere²⁾. Suspensioni subjiciuntur defendentes praxin interrogandi nomen complicitis in confessione³⁾.

3) Interdicitur ipso facto, qui munus ecclesiasticum alia ratione, quam per viam canonicam obtinuit. Demum notandum, Clericum, qui censuram violaverit, incurrere irregularitatem.

Jurisdictio, quantum ad casus summo Pontifici reservatos.

§. 48. In concilio Tridentino Episcopis conceditur facultas absolvendi in quibuscunque *casibus occultis* Sedi Apostolicae reservatis. Dicit enim Tridentina synodus: „Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea (scilicet irregularitate), quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, et in *quibuscunque casibus occultis*, etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos, in dioecesi sua per se ipsos aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiae gratis absolvere“⁴⁾.

Hanc facultatem communior theologorum sententia Episcopis vindicat quoad casus occultos Tridentino posteriores ex nova lege Sedi Apostolicae reservatos; quae tamen assertio exceptiones patitur in iis casibus, quos summus Pontifex expresse et disserte *sibi soli* reservat, derogans facultati per Tridentinum concessae Episcopis. E. g. excommunicationem ob attentatam absolutionem complicitis, calumniam, qua quis Sacerdotem falso de sollicitatione accusavit. Ceterum Episcopi Germaniae inter facultates singulis quinquenniis renovandas illam quoque accipere solent, videlicet: absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, in locis tamen, ubi impune grassantur haereses⁵⁾.

Occultum hic opponitur publico illi, quod vel in judicio probatum est, vel nulla tergiversatione in tota vicinia celari potest. Hinc quod in judicio probatum non est, at aliqua tergiversatione celari potest, licet laboret infamia, dicitur occultum. Cl. Navarrus in suo opere ait: „Occultum hoc dicitur, quod a nemine, vel a tam paucis scitur, quod neque sit famosum, neque manifestum, neque notorium juris vel facti. (*Notorium juris* est, quod constat per confessionem

1) Bened. XIV. Apostolica indulta. — 2) Trid. Sess. XXIV. c. i. — 3) Bened. XIV. „Ubi primum“ ddo. 2. Junii 1746. — 4) Sess. XXIV. c. 6. de Reform. — 5) Hac expressione facultas absolvendi ultra casus occultos extenditur.

rei in iudicio, vel per sententiam iudicis; *notorium facti*, si res gesta tot hominibus innotuit, ut in communitate, collegio, vel parochia delinquentis jam nullo modo celari possit). Unde, etiamsi aliquibus notum sit, et etiamsi secundum se probabile sit in iudicio (praesumptionis), dum interim non probatur, neque ad iudicium deferretur, est adhuc occultum¹⁾.

Per Vicarium ad id specialiter deputandum, non solum Vicarius generalis, sed quivis poenitentiarius intelligitur, quem Episcopus hunc in finem deputare voluerit. Hinc emergente tali casu recurrendum est ad Ordinarium loci. Quia tamen *delegatio specialis* requiritur, per se patet, illum qui facultate absolvendi a casibus Episcopi reservatis pollet, nondum a censuris Pontifici reservatis absolvere posse.

Quantum ad usum hujus facultatis, theologiae magistri sequentia monent:

a) Quia in his principaliter *poena* summo Pontifici reservatur, recte infertur, illum, qui censuram, e. g. ob ejusdem ignorantiam non incurrit, ab ipso peccato per quemvis confessarium absolvi posse.

b) Idem obtinet, si censura extra Confessionem per Superiorem vel ejus delegatum sublata fuit, ubi pariter *peccatum* adhuc remanens non amplius reservatum censetur. Quid vero, si poenitens censura innodatus coram Superiore confitetur et ab eo absolvitur, ita tamen, ut haec confessio postmodum deprehendatur sacrilega? — Auctores graves respondent: si ea peccata, quibus censurae adnexae sunt, fideliter fuerunt exposita, quamvis confessio ex alio capite fuerit sacrilega, censuras tamen probabilius auferri. Ratio est, quia censurae vincula a vinculis peccatorum diversa constituunt, et exinde, ut in absolutione extra sacramentali, peccatis adhuc remanentibus, relaxari possunt, ita quoque, ubi confessio fuit invalida; simulque in hoc casu *finis primarius* reservationis obtinetur, ut scilicet peccator coram Superiore se sistat, ac deposita contumacia satisfaciat laesae parti. Attamen id tum solum obtinet, si censura vel per *ipsum Superiorem* vel per *absolute privilegiatum* sublata fuit; dum enim tempore *Jubilaei* confessariis facultas datur absolvendi a censuris, haec juxta declarationem Benedicti XIV. tantum *conditionate* in ordine ad lucrandum Jubilaeum conceditur; consequenter si confessio fuit sacrilega, neque censurae remittuntur.

c) Gravior est quaestio, an aliquis, censuris nondum sublati, a peccatis absolvi possit? — Quamvis haec sententia ab aliquibus defendatur, nullatenus tamen concedi potest. Etenim summi Pontifices una cum censura indirecte ipsum quoque peccatum reservant, ita, ut nullus confessarius ab eo absolvere possit, donec

¹⁾ In Man. c. 27. de delict. notor. n. 250.

censura remissa fuerit, id quod universalis etiam praxis prae se fert, vi cuius absolutio a censuris, illam, qua peccata remittuntur, semper praecedere debet. Quid ergo, si sacerdos ipse excommunicationem Pontifici reservatam incurrit, cui necessitas celebrandi incumbit? — Ast quantacumque infelicis hujus sacerdotis calamitas sit, a peccatis tamen absolvi nequit, quamdiu vinculo excommunicationis constringitur. Quare aliud non restat, quam ut, mediante plerumque Episcopo suo quantocius a censura liberari petat, interim vero ad evitandam irregularitatem, quae violationem censurarum sequitur, a Sacris quantum sine gravi scandalo fieri potest, absteineat, quae vero omittere non potest, nonnisi *animo perfecte contrito* administret.

Casus Episcopis reservati.

§. 49. Ad casus Episcopis reservatos pertinent illi, a quibus absolvendi potestatem Episcopus dioeceseos *propria* et *ordinaria* auctoritate restrinxit, et sibi aut a se specialiter ad id deputatis reservavit. Dicimus autem: *propria* et *ordinaria auctoritate*, quia, ut paragrapho praecedenti monuimus, quandoque ad Episcopum facultas devolvitur, etiam a casibus Summo Pontifici reservatis, aut per se, aut per vicarium absolvendi. Dum Episcopi certos casus sibi reservant, non delinquentium vindictam, sed eorundem potius emendationem intendunt, ut scilicet, qui talia crimina perpetrarunt, horum atrocitatem magis perspiciant, et efficacius corrigantur. Casus episcopales raro junctam habent censuram, unde in illis non excusat ignorantia, neque requiritur inobedientia, qualis in casibus papalibus locum habere debet, ut quis eos incurrat. Gravitas peccati sufficit, ut casus sit reservatus, nec interest; utrum peccator reservationem sciat, nec ne. — Quosnam casus in singulis dioecesibus Episcopus sibi reservaverit, ex propriis statutis patebit.

In aliquibus dioecesibus casus reservati existunt, simul tamen omnibus confessariis facultas ab iis absolvendi conceditur, ast vel *sine* vel *cum* restrictione ad modum conferendae absolutionis, v. g. ut poenitentem peccato reservato implicitum ad duas tresve hebdomades (nisi necessitas aliud suadeat) differant, et peculiare opus satisfactorium ab Episcopo designatum injungant ¹⁾.

¹⁾ Cfr. Linzer Monatschrift VIII. Jahrg. p. 21. Et: „Verba salutis“ scripta ad venerabilem suum Clerum a Gregorio Thoma, Episcopo Linzensi. 1843.

Casus in Archidioecesi Viennensi reservati.

Casus conscientiae in Archidioecesi Viennensi ab Eminentissimo et Reverendissimo S. R. E. Cardinali et Principe Archiepiscopo Josepho Ottmaro sibi reservati, a quibus nullus, exceptis Consistorii archiepiscopalis Consiliariis, Praelatis, Decanis et illis, qui specialem obtinuerint potestatem, absolvere valet, sequentes numerantur:

I. Homicidium voluntarium.

II. Sodomia.

III. Perduellionis crimen.

IV. Incendiarii crimen, etiamsi effectus praeter voluntatem poenitentis non sequutus fuerit.

V. Perjurium solemniter emissum.

Circa hos conscientiae casus pro uberiori intelligentia sequentia notare juvat, et quidem ad casum, qui est

I. Homicidium voluntarium.

1. Homicidium est occisio injusta hominis per hominem facta. Datur quidem genus homicidii, quo vita hominis indirecte et modo subtiliori subvertitur; quia tamen in legibus humanis interpretatio semper stricta locum habet, etiam praesens reservatio non nisi caedem directam comprehendit. Insuper ex Theologia morali constat, dari etiam occasionem licitam, dum scilicet per supremos Principes in homines facinorosos poena capitalis decernitur, vel quae committitur servato moderamine inculpatae tutelae tum in justo bello, tum in defensione privata, quatenus quis viam vi repellens occidit, ne occidatur. Sed de his non sermo, cum solum de crimine homicidii agatur.

2. Dum dicitur *voluntarium*, requiritur intentio alterum occidendi; et distinguitur ab homicidio casuali, quod fortuito casu evenit, quia vel in se vel in causa intentum aut praevium fuerit. Reservatur homicidium voluntarium *commissum*, seu directe et positivo medio patratum. Neque distinguitur, quibus quis mediis hunc in finem usus fuerit, utram atrocioribus mitioribusve, an e. g. alicui venenum mox vel lente mortiferum praeberit.

Quia tamen leges humanae, potissimum actus et effectus externos respiciunt, a reservatione immunis est: a) Qui mortem alterius, quamvis culpabiliter, *solum permisit*, vel non impedivit, quin illam intenderit, vel ullatenus positive promoverit. b) Qui homicidium equidem *attentavit*, quin tamen mors ipsa secuta fuerit. Hinc qui aliquem lethaliter vulneravit, sub hac ratione a quovis confessario absolvi potest, quamdiu vulneratus adhucdum vivit; quia homicidium nondum commissum censetur.

3. Pariter homicidium *in causa duntaxat voluntarium* reservationi subjacet, quale est, si quis cum gravi culpa causam

ponit, ex qua illud secuturum praevidet. Ratio est, quia homicidium omne voluntarium reservatur. Excusatur vero a reservatione, qui vel homicidium ejusque periculum nullatenus praevidet, vel quantum ad causam, quam posuit, ab omni vel saltem gravi culpa immunis censetur v. g. dum medicus in magno discrimine et ubi mitiora haud sufficere videbantur, medium periculosum adhibuit.

4. Sub hoc casu etiam comprehenditur *procuratio abortus*, ast tum solum, ubi foemina praegnans hac cum intentione sufficientem causam abortus subsecuti posuit; e. g. sumendo medicinam hunc in finem comparatam, semet urgendo ad periculosos saltus vel labores, comprimendo alvum etc. Neque tamen hanc reservationem incurrit mater, quae labore vel quocunque alio modo absque intentione causam abortus, licet graviter culpabilem, praebuerit. Pariter deest reservatio, ubi effectus non est secutus.

Antiquiores foetum *animatum* ab *inanimato* distinguunt autumantes, foetum masculum die post conceptionem circiter 40., foemineum vero circa diem 80. animari. Recentiores hanc distinctionem rejiciunt, docentes foetum in ipso conceptionis momento animari. Quo assumpto dum foetus evocatur, quocunque tempore id fiat, semper homo occiditur. Attamen distinctio illa quoad poenas ecclesiasticas adhucdum obtinet. Qui itaque tempore a lege statuto jam paeterlapso foetum directe abigunt, vel quodcumque modo efficaciter et directe cooperantur juxta Constit. Gregorii XIV. „Sedes Apostolica“ 31. Maji 1591. effectu secuto incurrent a) excommunicationem latae sententiae reservatam episcopo, b) irregularitatem summo Pontifici reservatam, c) si clerici fuerint, privationem beneficij et dignitatis, si quam habeant et d) ad dignitates vel beneficia obtinenda sunt inhabiles, imo ipsi degradationi obnoxii.

5. Nostro casu, quo homicidium voluntarium simpliciter nulla uberiori extensione addita reservatur, mandantes, consulentes, consentientes etc. a reservatione eximuntur, juxta regulam communem: „Solve mandantes, nisi jura reservant.“

II. Sodomia.

Apostolus hoc teterrimum flagitium ceu summam et *supinam* hominis a Deo avulsi ignominiam designavit, scribens Rom. I. 26. sqq. „Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae. Nam foeminae eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu foeminae, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia; tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quae non conveniunt.“

Dicitur vero *Sodomia* nefandus coitus duorum ejusdem sexus, maris sum mare, vel foeminae cum foemina, seu ut S. Thomas 2. 2. q. 154. art. 11. scribit: „Sodomia est peccatum contra natu-

ram, quo ex affectu ad indebitum sexum vir concumbit cum viro; vel foemina cum foemina." Ut autem sodomia peccatum reservatum constituat, non sufficiunt inverecundi tactus invicem habiti vel admissi, sed turpis coitus vel concubitus requiritur, quo duo ejusdem sexus contra naturam luxurientur.

III. Perduellionis crimen.

Codex criminalis austriacus notionem praebet criminis perduellionis §. 58. Videlicet: „Das Verbrechen des Hochverrathees begeht: wer etwas unternimmt, a) wodurch die Person des Kaisers an Körper, Gesundheit oder Freiheit verletzt oder gefährdet, oder eine Verhinderung der Ausübung seiner Regierungsrechte bewirkt werden soll; oder b) was auf eine gewaltsame Veränderung der Regierungsform, oder c) auf die Losreissung eines Theiles von dem einheitlichen Staatsverbände oder Länderumfange des Kaiserthums Oesterreich, oder auf Herbeiführung oder Vergrößerung einer Gefahr für den Staat von Aussen, oder einer Empörung oder eines Bürgerkrieges im Innern angelegt wäre, es geschähe solches öffentlich oder im Verborgenen, von einzelnen Personen oder in Verbindungen, durch Anspinnung, Aufforderung, Aneiferung, Verleitung durch Wort, Schrift, Druckwerke oder bildliche Darstellung, Rath oder eigene That, mit oder ohne Ergreifung der Waffen, durch mitgetheilte zu solchen Zwecken leitende Geheimnisse oder Anschläge, durch Aufwiegelung, Anwerbung, Ausspähung, Unterstützung oder durch was sonst immer für eine dahin abzielende Handlung, wenn dieselbe auch ohne Erfolg geblieben wäre."

„Wenn die vorstehend erwähnten Handlungen gegen die Existenz, die Integrität, die Sicherheit oder die Verfassung des deutschen Bundes gerichtet werden, so sind sie ebenfalls als Hochverrath zu beurtheilen und zu bestrafen."

Jam ut hoc crimen legi reservationis subsit, juxta allatas conditiones requiritur, ut sit eo sensu imputabile, quatenus quis eidem *positive* cooperetur; hinc reservationem incurrunt, qui perduellionis facinus vel consensu tantum, ast signis externis manifestato approbarunt; a reservatione vero eximuntur, qui solummodo hujus criminis conscii illud nec impediverunt, nec denuntiarunt.

Eo ipso autem intelligitur, confessarium stricte obligari ad id, ut poenitentem de obligatione sua faciendae denuntiationis commoneat.

IV. Incendiarii crimen, etiamsi effectus praeter voluntatem poenitentis non sequutus fuerit.

Incendiarius censendus est is omnis et solus, qui privata auctoritate et animo saltem implicito nocendi, rei alienae, puta domui sive profanae sive sacrae, segetibus, silvae etc. ignem admovet. Non

autem requiritur, ut totam vel ejus partem, quantum ad peccatum lethale satis est, in cineres redigat, quando quidem etiam effectu non secuto jamjam incurritur. Ast qui tentavit hoc crimen et opere explere coepit, verum poenitentia tactus iterum impediit, quominus incendium erumperet, liber est a reservatione.

Dum dicimus a) *privata autoritate*, immunes a peccato et reservatione declaramus, qui in bello justo hostilia quaeque gladio et flammis disperdunt. Dicimus b) *ex animo saltem implicito nocendi*; qui enim exitiales herbas igne consumpturus, vento adversum exurgente, vicinam domum perimit, ut a culpa liber esse potuit, sic et a reservatione. Simili modo qui ex negligentia domum comburit, nisi hunc effectum praeviderit, reservationem non incurrit. Dicimus c) *alienae rei*, domui, segetibus, silvae etc. Si quis namque propriam flammis absumat, non est proprie et stricte incendiarius, nisi vicinae domus incendium trahat ex formali sive virtuali iniqua intentione vel domum vicinam periculo incendii exponat. Pariter hujus criminis reservatione detinetur, qui semoto omni alienae domus periculo domum propriam flammis comburit eo consilio, ut incendio vastata domus per sic dictam assecurationem (Feuer-Assecuranz) melior pulchriorque restauretur, quia licet non alienae domui ignem et ruinam admovet, tamen rei alienae, videlicet societati assecurationis, per incendium damna infert; vel si domus, cui incendium parat, propria quidem, ast debitis onusta sit, quo fiat, ut ob id, quod incendio diruatur, jura aliorum violentur.

V. Perjurium solemniter emissum.

Perjurium hoc loco intelligitur falsum juramentum, quo quis interposita autoritate divina vel aliquid ex sua persuasione falsum tamquam verum asserit vel aliquid promittit, quin in ipso juramenti actu voluntatem habeat illud exsequendi.

Ut autem hoc crimen sub reservatione comprehendatur, *solemniter emissum* sit oportet. Jam quaeritur, quorsum haec solemnitas spectet, utrum eo, ut intervenientibus solemnibus ritibus quales forent candelae accensae, imago Crucifixi cum tactu Evangeliorum, sanctarum reliquiarum etc. depositum fuerit juramentum adeo, ut reservatio etiam tunc incurratur, si coram persona privata emittatur? an vero eo tantum, ut in judicio secundum Canones et Leges emissum fuerit? Dicimus ultimum, quia ex usu loquendi communis solemnitas juramenti iudicium—ecclesiasticum vel civile,—supponit. Unde qui non a legitimo iudice interrogatur, etsi perjurus sit, liber est a reservatione, quia non jurat falsum juramentum solemniter emissum. Subjacent autem reservationi, qui aequivoce jurant, et sic iudicem, quantum de se est, in errorem inducunt; qui uti certum asserunt, quod sibi dubium est; aut ut dubium, quod sibi indu-

bie constat; — qui ut verum asseverant, quod, etsi verum est, ipsi tamen pro falso habent; — qui interrogati veritatem vel ejus essentiali circumstantiam coram iudice reticent. A reservationis onere immunes sunt, qui promissioni coram iudice sincere factae et sacramento jurisjurandi confirmatae non stant; hi enim perjuri quidem fiunt, sed extra iudicium; ast aliter res se habet, si perjuri peccatum committitur in ipso jurisjurandi actu.

Casus Regularium Superioribus reservati.

§. 51. Semper et enixe cavit Apostolica Sedes, ut pauci iique atrociores, aut ad christianam disciplinam retinendam magis necessarii casus ab Episcopis reservarentur, prout late probat Benedictus XIV. ¹⁾. Idem nec immerito constitutum fuit quoad Regularium Superiores, jurisdictionem quasi episcopalem habentes, qui in subditos suos, quaedam peccata reservandi jure gaudent. Sanxit in hac re Clemens VIII., ne plures quam undecim casus in Religione reservari possent, nisi Generalis Capituli pro toto Ordine, aut provincialis pro Provincia, matura decisione et consensu ²⁾. Neque tamen eos adstrinxit ad sancendam omnium undecim reservationem. Sunt vero; 1) „Veneficia, incantationes, sortilegia. 2) Apostasia a Religione, sive habitu dimisso sive retento, quando eo pervenit, ut extra septa Monasterii seu Conventus fiat egressio. 3) Nocturna ac furtiva e Monasterio sive Conventu egressio. 4) Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale. 5) Juramentum falsum in iudicio regulari seu legitimo. 6) Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non secuto. 7) Falsificatio sigilli manus officialium Monasterii aut Conventus. 8) Furtum de rebus Monasterii seu Conventus in ea quantitate, quae sit peccatum mortale. 9) Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 10) Occisio vel vulneratio, seu gravis percussio cujuscunque personae. 11) Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum a Superioribus ad inferiores et ab inferioribus ad superiores.” De his vix alios secure consules, quam pios et eruditos Monasterii Praelatos et Superiores, aut qui probatius de iisdem scripserunt. Nos paucis absolvimus rem. Qui ordinarii Regularium sunt confessarii, a Superiore constituti, casus eidem reservatos rescire debent, quo fiat, ut casu a Superiore sibi reservato occurrente, poenitentem vel ad Superiorem vel ad sacerdotem pro hujusmodi casibus a Superiore deputatum remittant, nisi ipsi specialem a Superiore facultatem obtinuerint. Si vero Regularis confitendi causa praes-

¹⁾ De Syn. dioec. lib. V. c. 5. — ²⁾ Const. „*Sanctissimus Dominus*“ dd. 25. Maji 1593.

byterum secularem accedit, id vel cum licentia Superioris, vel inscio illo, urgente necessitate agit. Si primum, ex concessa Superioris permissione omnis reservatio sublata esse videtur, nisi non obstante hac facultate contrarium circa peccata reservata stauerit; si alterum, decisio Benedicti XIV. servanda instat „Literis nostris sub forma Brevis die 30. Martii 1742, cuilibet eorum sive sacerdote sive converso, dum extra claustrum moratur cum bona venia, et in loco, ubi non alius quispiam ex eorum ordine reperiatur, facultatem concessimus confitendi peccata et absolutionem recipiendi a quocunque sacerdote, qui vel secularis a suo Ordinario, vel Regularis a suo Superiore ad confessiones audiendas sit approbatus. Quam facultatem extendimus etiam ad casus juxta Constitutionem Ordinis servatos, et ad censuras, in quas inciderunt, addita tamen obligatione, ubi primum potuerint, coram Superiore (vel confessario a Superiore deputato) se sistendi, et novam ab illis casibus et censuris absolutionem impetrandi”¹⁾.

Jurisdictio quantum ad casus servatos.

§. 52. De casibus servatis absolvere potest 1) *Potestate ordinaria*, a) qui servavit; b) ejusdem successor, quia eadem est successoris potestas, quae praedecessoris, cum prior posteriori manus ligare non potuerit; c) ejus in foro Poenitentiae Superior. 2) *Potestate delegata*, tum qui ad hoc legitime deputatus est, tum sacerdos omnis in articulo mortis.

Cum facultatem non habet confessarius a casibus servatis absolvendi, et aliquem eorum in poenitentis sui confessione apprehendit, non potest eum absolvere, sed vel mittat ad confessarium pro servatis deputatum²⁾, vel si illum adeundi difficultatem poenitens habuerit, ipse a Superiore, nimirum Episcopo vel Vicario ejus, facultatem a casu occurrente absolvendi, tacita persona petat. Excipiendus est tamen necessitatis casus, qualis existimandus non est solum mortis periculum, in quo poenitens versaretur, verum etiam ex sententia plurium, scandalum vel praepudicium, quod ex negata absolutione oriretur; puta, si esset puella, cui ad sacram sinaxin mater oculatissima praestolaretur. In nonnullis dioecibus expresse simplici quoque confessario conceditur absolvendi a casu servato facultas, tunc, ubi poenitens sine gravis infamiae periculo SS. Communionem vel Missae celebrationem intermittere non potest, sed cum onere, ut poenitens postea coram confessario pro servatis deputato se sistat³⁾. —

1) De Sacrificio Miss. libr. III. c. 11. n. 8. — 2) Conc. Trid. Sess. XIV. cap. 7. — 3) Rit. Bamberg. — Brixin. Trident. Vide de hac re: Suarez, de Poenit. disp. 30. sect. 3. nr. 11. seqq. et disp. 31. sect. 3. nr.

Circa jurisdictionis potestatem quaedam multi momenti quaestionis exsurgunt, quibus satisfacere oportet :

a) Confessarius communis, i. e. pro-reservatis minime deputatus, poenitentem alienum, seu, ut hic intelligimus, alterius dioecesis, absolvere non potest a casibus, qui in dioecesi poenitentis reservati non sunt, sunt vero reservati in dioecesi confessarii. Ratio est, quia tota confessarii jurisdictionis ab eo dimanat, cujus in dioecesi confessiones excipit; atque is nullam pro praesenti casu jurisdictionem tribuit, quia alienigenae ad tempus subditi fiunt saltem quoad receptionem Sacramentorum Ordinariis locorum, per quae transeunt; quia qui certa hypothese commodum sentit, in alia onus et incommodum sentire debet. — E contra vero a casibus, qui in dioecesi poenitentis sunt reservati, non autem in dioecesi confessarii, valide poenitentem absolvere potest. Id a contrario probant rationes allatae communisque, quae viget, praxis. Idem habet Clemens X. in Bulla: „Superna,” sed conditionem apposuit summus ille Pontifex, scilicet *modo non* cognoverit confessarius poenitentem in *reservationis fraudem* ad aliam dioecesin migrasse pro absolute surripienda. Nemini enim sua fraus et dolus patrocinantur, nec dignus est Ecclesiae indulgentia frui, qui leges ejus eludere nititur, puta correctionis et remediorum, quae tunc praescribi solent, severitatem.

b) Cum poenitens bona fide accessit ad sacerdotem facultatem habentem a reservatis absolvendi, et reservati alicujus oblitus est, quod aperuisset, si ejusdem meminisset, juxta decisionem Sylvii et S. Thomae¹⁾ aliorumque reservatio tunc ablata esse censetur, adeoque satis esse, ut peccatum illud communi etiam confessario declaratur. Nam, ut illi opinantur, sufficit, si absolvens reservationem tollere velit, idque aliquibus indiciis manifestet; jam vero vult de facto, et id manifestat satis, cum tritam absolvendi formulam secutus, declarat, *se ab omni vinculo excommunicationis absolvere in quantum ipse potest*, et *indiget* poenitens; quae verba ex usu communi ad peccata, oblivione omissa aequae ac ad declarata, extenduntur. Verum his non obstantibus, alii existimant peccata hujusmodi omissa adhuc esse reservata. Sic Cl. Habertus²⁾, S. Ligorius³⁾ cum pluribus aliis docent. Ratio hujus sententiae adfertur, quia *reservatio* non tollitur, nisi *peccatum* subjiciatur iudicio sacerdotis ad reservata deputati, cujus est, opportunum remedium et poenitentiam adhibere. Exeipiunt tamen casum, si confessio haec facta fuit tempore *Jubilaei*, et intuitu Jubilaeum lucran-

1. seq. — Bonacina de Sacram. disp. 5. quaest. 7. pct. 5. §. 3. nr. 6. — S. Liguori libr. VI. tract. 4. de poenit. nr. 585.

1) Summ. theolog. Supplem. III. q. 20. a. 2. — 2) Tractat. de Poenit. cap. 7. quaest. 10. — 3) Theolog. moral. libr. VI. n. 597.

di, atque omnia praestita fuere ab illo, quae requirebantur ad Jubilaeum lucrandum; tunc etenim poenitens apud quemlibet sacerdotem peccatum illud confiteri potest, et ab eo absolvi. Hoc enim Jubilaei privilegium est.

Aliter se res habet, si quis peccata reservata apud sacerdotem confitetur, qui absolvendi a reservatis facultate pollet, dein vero de confessionis editae valore dubitat, tunc eam apud communem approbatum sacerdotem iterare potest. Reservatio enim per priorem confessionem et absolutionem sacramentalem sublata est, nisi confessio ex poenitentis culpa, puta, quando ob verecundiam ex proposito mortale peccatum reticuerit, invalida certo constet; quia tunc a confessario reservatio sublata non est, utpote qui sacramentaliter tantum a reservatis absolvere et secundum communes sacri tribunalis regulas operari tenetur.

c) Quid vero, si confessarius pro reservatis non deputatus quempiam reservatis obnoxium absolvit? Tunc Ecclesia jurisdictionem tacite supplet, sive sacerdos peccet, ut cum mala fide absolvit, sive non peccet, ut cum longa confessionum serie obrutus ex inadvertentia ad reservationem aliquem ceteroquin rite dispositum absolvit. Cfr. §. 39. n. 5. Ceterum cum restrictio et extensio jurisdictionis ab intentione dependeat Superioris, a quo confertur, praeplacet ad intentionem potius Superioris, quam ad Ecclesiae supplementationem respicere.

d) Qui licentiam obtinuit a casu reservato absolvendi aliquem, quem quacunquē demum ex causa non absolvit, v. g. si is non comparuit; vi facultatis hujus alium quempiam ejusdem peccati reum absolvere nequit. Facultas enim haec talem numero personam spectabat, non aliam, et Superior nihil aliud voluit, quam quod voluit confessarius ipse, cum facultatem absolvendi petiit. Facultatem vero absolvendi in gratiam talis personae, non autem alterius, et postulavit et obtinere voluit confessarius.

e) Quando Episcopus generalem dat facultatem sacerdoti a casibus reservatis absolvendi, per hanc licentiam nondum conceditur facultas absolvendi a censuris Episcopo reservatis, nisi exprimat. — Ceterum parochus vel alius curatus habens generalem licentiam a reservatis absolvendi, subdelegare nequit potestatem istam alteri sacerdoti approbato, alias hac facultate destituito. Denique facultas absolvendi absoluta a peccatis reservatis per mortem concedentis non exspirat; cum haec facultas sit gratia et beneficium actu concessum; gratiam autem et beneficium Principis actu concessum decet esse mansurum¹⁾.

De modo procedendi cum iis, qui casum vel cum vel sine

¹⁾ Regula juris 16. in 6.

censura reservatum exponunt, vide Part. II. Sect. II. §§. Casu reservato innexi et Censura irretiti.

Jurisdictio confessoriorum tempore Jubilaei.

§. 53. Tempore Jubilaei a Summo Pontifice speciales absolventi facultates Confessariis concedi solent, quae in literis encyclicis expressae leguntur. Sunt hae facultates plerumque ferme eadem in genere suo, ast quoad tenorem ambitu plus minusve extensae.

Pro uberiore intelligentia has facultates, prout in literis encyclicis die 21. Nov. 1851 datis exhibentur et postea die 1. Augusti 1854 denuo concessae erant, singillatim tyronibus Confessoriorum exponere haud abs re esse ducimus.

1. Dum poenitens accedit ad confessionem eum in finem, ut per Sacramentum se disponat ad indulgentiam Jubilaei lucrandam, quilibet confessarius ab Ordinario ad confessiones audiendas approbatus ipsum „ab excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis et censuris a jure vel ab homine quavis de causa latis, praeter infra exceptas, nec non ab omnibus peccatis — quantumvis gravibus et enormibus etiam Locorum Ordinariis aut Sedi Apostolicae speciali licet forma reservatis, et quorum absolutio alias per generale hujusmodi indultum non intelligitur concessa, in foro conscientiae et hac vice tantum“ absolvendi potestate gaudet. *Excipiuntur* tamen a) Quoad *personas* Moniales aliaeque mulieres intra Claustra commorantes, quae ad hunc effectum sibi eligere confessarium alium non poterunt, nisi talem, qui approbatus sit pro Monialibus. b) Quoad *Censuras* excipiuntur illae, quibus quispiam *nominatim* punitus vel in quas incidisse declaratus fuit; praeterquam si intra praedictum mensem obligationi suae satisfecerit, aut si hoc praestare nequeat, obligationem serio susceperit, satisfaciendi, quam primum poterit.

2) Insuper ut omnibus facilior sternatur via, quo ad salutis iter possint redire, iisdem confessariis facultas tribuitur, ut eos omnes, qui sectis se misere adscripserunt, ac vere poenitentes ad reconciliationis Sacramentum accedunt, absolvere illosque ab obligatione denunciandi complices dispensare queant ad effectum consequendi plenariam indulgentiam, consultis adhibitis conditionibus et exceptis casibus, in quibus ad evitanda majora et graviora damna denuntiatio omnino necessaria videatur.

3. Praeterea facultas confessariis tribuitur, „dispensandi super *irregularitate ex violatione censurarum* contracta, quatenus ad forum externum non sit deducta nec facile deducenda, praeter hanc vero Confessarii praedicti nullam facultatem habebunt dispensandi super alia quavis irregularitate — aut super alia inhabilitate quomodocunq; contracta.”

4. *Iidem confessarii possint vota quaecunque etiam jurata et Sedi Apostolicae reservata in alia pia opera dispensando commutare. Excipiuntur* autem vota castitatis perpetuae et integrae, Religionis, et obligationis, quae a tertio accepta fuerit, seu in quibus agatur de praedictis tertii; nec non vota poenalia, quae praeservativa a peccatis nuncupantur, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refraenet, quam prior voti materia.

5. Ut indulgentiam lucrari etiam possint Moniales seu aliae personae in claustris perpetuo degentes, nec non quicumque in carcere existunt vel corporis infirmitate aut alio quovis impedimento prohibentur, quo minus aliqua ex praescriptis operibus peragere valeant, confessariis facultas tribuitur, ut eadem in alia pietatis opera commutare vel in aliud proximum tempus prorogare possint, cum facultate etiam dispensandi super Communionem cum pueris, qui nondum ad primam Communionem fuerint admissi.

6. In omnibus Literis encyclicis, quibus Jubilaeum aut Indulgentiae plenariae in forma Jubilaei indicuntur, omnes Pontifices minime intendunt per concessionem facultatum absolvendi poenitentibus ut ut amplam Constitutioni Benedicti XIV. cum appositis declarationibus, quae incipit: „Sacramentum Poenitentiae” derogare. Summus Pontifex Pius IX. in praefatis literis plene vigore servari voluit et quidem a) quoad inhabilitatem absolvendi complicem, quatenus Benedictus XIV. declaravit, quod nec etiam in vim cujuscunque Jubilaei possit quis suum in peccato inhonesto complicem extra mortis articulum unquam absolvere; utpote qui in hujusmodi peccati et poenitentiae genere jurisdictione careat et absolvendi facultate privatus existat; et b) quoad obligationem denuntiationis confessarii sollicitantis a persona sollicitata faciendae. Ast quaeres, an infelix sacerdos, qui complicem in peccato turpi ab eodem absolverat, et propterea in excommunicationem Papae reservatam incurerat, in confessione ad lucrandam indulgentiam jubilarem suscepta, ab ista excommunicatione tempore Jubilaei per confessarium quemque approbatum absolvi possit? Respondemus affirmative, spectato ejusdem Bullae tenore, quo datur intelligi, ipsum vere poenitentem in vim Jubilaei ab excommunicatione hac absolvi posse, remanente tantum etiam tempore Jubilaei, ipsius inhabilitate ad absolvendum suum complicem.

7. An quis durante Jubilaeo indulgentias plenarias bis aut pluries lucrari possit? Et qui jam lucratus est Jubilaeum, denuo a reservatis, in quae postea decidit, vi facultatum tempore Jubilaei concessarum absolvi valeat? Benedictus XIV. hanc quaestionem in Bulla: „*Convocatis*” §. 52 definiit, ubi haec: „Qui hoc anno sancto bis aut pluries omnia et singula Jubilaei opera iteraverit, bis quoque aut pluries poterit hoc anni sancti Jubilaeum lucrari. Nos

enim habita ratione annui spatii, ad quod hujusmodi Jubilaeum pro- tenditur ita de Apostolica liberalitatis plenitudine concedimus. Hoc tamen declarantes, neminem posse nisi *semel* id est prima tantum vice frui seu potiri favoribus huic Jubilaeo, adjunctis. „quales sunt, ut ibidem dicitur, absolutio a censuris et casibus reservatis, com- mutatio votorum etc. Ergo omnino tenendum est, eum qui semel a reservatis absolutus Jubilaei gratiam promeruerit, ab iisdem altera vice absolvi non posse. Huc etiam spectant verba Bullarum communiter notata: „hac vice tantum.” E contra ex verbis Benedi- cti XIV. sat clare patet, in Jubilaeo quod ad unius anni spatium protenditur, indulgentias plenarias bis pluriesve obtineri posse.

Jurisdictio in articulo mortis.

§. 54. Pie admodum, ne hac ipsa casuum reservatorum oc- casione aliquis pereat, in Ecclesia custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis. Cum enim Sacramentum hoc sit in remissionem peccatorum institutum, et mortis articulus sit, ubi res agitur aut perpetuae felicitatis, aut perpetuae damnationis, non ageret Ecclesia, quae Spiritu sancto gubernatur, secundum am- plissimam Dei misericordiam, si non omni remedio exeunti ab hac luce promptissime succurreret, atque adeo si quod peccatum tunc reservatum vellet, aut aliquem sacerdotem suspensum, ne munus absolutionis impenderet. „Atque ideo docet Tridentina synodus¹⁾, omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et cen- suris absolvere posse.” Pro faciliiori usu et applicatione haec sunt: In mortis articulo non tantum ita nulla est reservatio, ut quilibet sacerdos alias jurisdictione gaudens, ab omnibus censuris et peccatis possit absolvere; sed Ecclesia insuper, saltem ubi confessarius le- gitimus deest, omnibus sacerdotibus, etiam simplicibus, qui ad munus confessarii deputati non sunt, vel excommunicatis et suspensis, imo et illis, qui cum poenitente in peccato turpi complices fuerunt, jurisdictionem tribuit, ita ut poenitentem in articulo mortis versan- tem, dumodo rite dispositus sit, ab omnibus tum peccatis tum censu- ris absolvere possint²⁾. Attamen etiam articulo mortis quidam inter sacerdotes ordo servari debet. Et primo sacerdos jurisdictione donatus praefendus est sacerdoti simplici, hic iterum nominatim excommunicato vel suspenso, vel complici infirmi in peccato turpi; pariter sacerdos simplex praefendus foret, si jurisdictionatus superveniat confessione penes sacerdotem simplicem jam incepta; demum si jurisdictionatus nollet vel non posset audire confessionem infirmi³⁾. Inter sacerdotes jurisdictione donatos quantum ad valo-

¹⁾ Sess. V. cap. 7. — Rit. Rom. de Sacram. Poenit. c. 1. — ²⁾ Cfr. Carol. Blach. Dissert. 2. de Poenit. — Tobenz Instit. theolog. mor. Part. III. p. 94. — ³⁾ Cfr. S. Alph. de Lig. theolog. moral. libr. VI. n. 563.

rem nullus ordo praescribitur, eo quod in articulo mortis *nulla sit reservatio*. Si peccata tantum sunt reservata, quibus nulla adhaeret censura, opus non est, ut poenitens e periculo elapsus adeat denno sacerdotem constitutum pro absolvendis peccatis reservatis, quia quum ex Tridentino Concilio in mortis articulo nulla sit reservatio, certum est, eum directe ab iis absolutum fuisse; secus vero, si censura innodatus fuerit. Vide infra Parte II. Sect. I. §. Censura irretiti.

Quod de *articulo mortis* diximus, idem sentiunt auctores de *periculo mortis*, quia in jure *articulus* et *periculum* mortis sumuntur pro eodem, quantum facit ad rem praesentem, ac ratio consulendi animarum saluti etiam urget pro concedenda omnibus sacerdotibus facultate absolvendi versantem in periculo mortis¹⁾. Mortis autem periculum tunc adesse censetur, cum timor prudens seu solidum dubium mortis proxime secuturae occurrit, sive proveniat ex morbo, vulnere, partu, lapsu, apoplexia, sive ex praelio, naufragio etc.

Caput III.

De sigillo confessionis sacramentalis.

Sigillum sacramentale.

§. 55. Sigillum sacramentale est religiosa obligatio secretum servandi perpetuum circa ea, quae per confessionem sacramentalem, aut occasione ejus quomodocunque cognita sunt, et quorum manifestatio poenitenti molesta esse, et Sacramentum Poenitentiae molestum et odiosum reddere posset. Appellatur vulgo *sigillum*, metaphora ducta a sigillo, quo claudi solent et obsignari, quae secreta esse debent. Dicitur autem sigillum *confessionis* vel *sacramentale*, quia ex confessione sacramentali oritur et distinguitur a sigillo naturali, quo quis jure naturae tenetur ad ea reticenda, quae sub secreto accepit. Obligatio isthaec plane inducitur, si quis in ordine ad obtinendam absolutionem pacandamve conscientiam peccata sua exponit, etiamsi fors absolvi nequeat. Imo etsi quis sciens volensque sacrilege confiteatur, dummodo non solius joci causa accesserit, confessio tamen sacramentalis dicitur, et sigilli sacramentalis obligatio enascitur. Ubi autem quis confessionem simulatam deponeret, qua Sacramento illuderet, exinde quidem non sacramentalis sigilli obligatio prodit, verum vel ideo potius est de ejusmodi nefario ausu silere, quoniam alias saltem apud homines rudiores eorum confidentia in sigilli sacramentalis sanctitatem labefactari posset.

¹⁾ Cfr. Rit. Rom. Paul. V.

Confessarii fides in sigillo confessionis servando.

§. 56. Sigillum confessionis, ex ipsa confessione sacramentali ortum, confessario sacerdoti competit, in quantum est minister hujus Sacramenti¹⁾. De S. Ambrosio Paulinus, ejus discipulus, ita scribit: „Erat gaudens cum gaudentibus et flens cum flentibus. Siquidem quotiescunque illi aliquis ob percipiendam Poenitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et illum flere compelleret. Videbatur enim sibi cum jacente jacere. Causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli, nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur, bonum relinquens exemplum posteris sacerdotibus, ut intercessores apud Deum sint magis, quam accusatores apud homines.”

S. Augustinus eodem sensu, quia eodem spiritu, ita scribit: „Si transgredimur in aliquo peccato post baptismum, id est, fontem lacrymarum, ordinavit nobis Poenitentiam propter fragilitatem nostram; ideo debemus nostras confessiones veraciter confiteri, et fructus dignos facere, id est, praeterita ne iteremus, secundum justificationem Deum timentis sacerdotis; qui sacerdos, ut sapiens et medicus, primum sciat curare peccata sua, et postea aliena vulnera detergere, et sanare, et non *publicare*”²⁾. Item Sozomenus, dum scribit de presbytero super poenitentes ad audiendas confessiones et imponendas poenitentias praeposito, ait: „Ad hanc rem presbyterum bonae conversationis *servantemque secretum* ac sapientem virum statuerunt.” Unde et ex plurimis aliis testimoniis, quae brevitate studio non commemoramus, liquido constat, non nuper natam, sed antiquissimam esse hanc secreti obligationem, tegendi ea, quae in confessione dicta sunt. Repetitur vero haec confessarii obligatio ex triplici jure:

1) Ex jure naturae, eo quod omnis confitens sub hac tantum conditione occulta et arcana sua exponat, ut strictissimum silentium servetur, unde quisquis confessiones excipit, hanc tacitam conditionem acceptat. Accedit, quod lex naturae in genere praecipiat, ut quae secreto nobis commissa sunt, eo non revelemus, ut depositum servemus illaesum; ut famae proximi consulamus; ut alteri non faciamus, quod nobis fieri nolumus.

2) Ex jure divino, quia quamprimum sigillum istud relaxatur, aetum erit de integritate confessionis, adeoque Sacramentum Poenitentiae effectu suo, quem Christus intendit, frustrabitur. Prout ergo divinus Redemptor jussit, ut poenitentes peccata sua confiteantur, ita etiam sacris conscientiarum arbitris absolutum silentium injunxit; id quod ex traditione et constanti Ecclesiae usu abunde constat³⁾.

¹⁾ S. Thom. Summ. theolog. Supplem. III. q. 2. a. 3. -- ²⁾ Ad aul. Epist. 3.

³⁾ Vide: Binterims Denkwürdigkeiten. V. Band, 3. Thl. 8. K.

3) Demum ex jure Ecclesiastico, vi cuius haec strictissima sigilli custodia tanto cum rigore praecipitur, ut secundum jura antiqua ¹⁾ in transgressores poena depositionis ab officio sacerdotali, et per totam vitam ignominiosae peregrinationis, et secundum Canonem „*Omnis utriusque*“ Concilii Lateran. IV. perpetuae detrusionis in arctum monasterium statuatur. Gravius enim peccat sacerdos, qui revelat, quam homo, qui committit peccatum.

Obligatio aliorum in servando silentio.

§. 57. Confessario obligatio servandi *sigillis sacramentalis* incumbit, ast praeter illum servandi silentii lege obstringuntur omnes, quibus res sigillo subjectae quademuncque ratione innotuerunt. Scilicet silentii vinculo tenentur: a) interpret, per quem quis confitetur; b) adstantes, coram quibus ex necessitate, puta morbi, naufragii etc. fit confessio sacramentalis; c) qui de alterius confessione vel fortuito et sine culpa, vel studio, quod grave est peccatum, vel ex verbis, vultu et gestibus confessarii aliquid percipiunt. d) Idem complures etiam de illo asserunt, qui chartam, ubi descripta est peccatorum confessio vel facta vel facienda, legit, etiamsi schedulam non divulget.

Ast vero poenitens ipse de laeso sigillo accusari nequit, si forte peccata sua, quaestiones sibi caute et prudenter factas, monita pie data, satisfactiones impositas, quae graviore apparent, quia nescitur, quibus de causis impositae sint, vel confessarii errata aut defectus aliis manifestet; nam lex isthaec non poenitenti, sed in favorem poenitentis statuta fuit. Attamen non convenit, ut poenitentes de peractis confessionibus inter se confabulentur, imo fieri potest, ut exinde reverentia vel sacerdoti vel ipsi Sacramento debita violetur.

Materia sigillo sacramentali subjecta.

§. 58. Ambitum materiae sacri sigilli constituit, quidquid confessario in ipsa confessione innotuit, atque, ubi manifestatur, qualemuncque poenitentem molestiam facessit. In specie extenditur:

1) *Ad omnes personas*. Confessario non licere poenitentes ipsos eorumque complices manifestare, per se patulum est. E. g. Cajus furtum, Bertha adulterium commisit, Crispus mercator cum aliis merces prohibita clam invexit. Imo legibus ecclesiae severe cautum est, ne de nomine complicis interrogetur, quanto magis, ne illud manifestetur, licet poenitens ipse illud fors indicarit. Quamvis enim poenitens teneatur vel efficere, ut admoneantur, vel eos pro-

¹⁾ C. 2. D. VI. de poenit.

dere ad prohibendum, ne malum perseveret: nihilominus, si hoc in casu ille id neque facere vellet, neque permittere, deberet quidem ei confessarius absolutionem negare, sed eorum, qui participes fuerunt sceleris, nomina revelare non posset. — Sed et altum silentium de omnibus tenendum, quos confessarius vel causam, vel occasionem, vel objectum peccati fuisse, ex sola confessione sacramentali cognoverit. E. g. Furantur filii, quia pater eorum avarus est. — Titi cum Cajo religionis cavillatore conversatio priorem a Sacramentorum usu retinuit. — Materfamilias nocturna famulorum conventicula tolerat. Tullia lasciva cum aliis vivit, quia vir ejus impotens est.

2) *Ad omnia poenitentis peccata*, aut gravia aut levia, aut clandestina aut publica, aut cogitatione commissa aut ad extra quoque prodeuntia, ita ut confessarius dicere nequeat, utrum poenitens se ipsum accusaverit sceleris, quod tota inspectante civitate patravit. Huc quoque spectant *defectus naturales* aut *naturalia poenitentis vitia*, si ex sola confessione cognita sunt; e. g. defectus natalium, ignorantia, ruditas, hernia, epilepsis, scrupulositas. — In propatulo est, confessarium de complicitis quoque peccatis tacere debere, licet sint alius generis quam ea, quae poenitens est confessus, v. g. foemina in confessione dicit, amatorem, quocum peccavit, domino suo furatum esse.

3) Sigillum sacramentale complectitur omnes *ad peccatorum confessionem* aliquo modo *spectantes circumstantias*, quae suspicionem aut minus gratam de poenitente opinionem parere possent; veluti si diceret confessarius, se Antonium non absolvisse, Paulum pro confessione minus praeparatum invenisse, Sempronii confessionem sibi nequaquam placere. Pariter sub sigillum cadunt res aliae, quae non sunt peccata, ex quarum manifestatione posset veniri in notitiam peccati aut peccatoris. Ut si quis, dum homicidium confitetur, narrat, quemadmodum faber gladium rei inscius ei vendiderit; vel si narrat, quemadmodum amicus crimen ei dissuasit. Illa enim, licet in illis personis non sint peccata, possent tamen, si detegerentur, vestigium aperire explorandi peccatum, vel personam. Eodem modo si confessarius diceret: Petrus fuit tali hora in tali loco; posset enim tunc Petrus in suspicionem venire homicidii, quod illic fuerat perpetratum.

4) Huc spectat quoque *directa quorundam laudatio*, quodam *quasi indirectum aliorum*, qui non ita praedicantur, *vituperium*; etenim quoad hos vix non vera fractio sigilli est, utpote quos confessarius vel tacendo ejusmodi praeconiis indignos declarat. Accidunt plura adhuc incommoda, nimirum quod poenitenti ingenue etiam ejusmodi laudes molestae accidunt; aliis poenitentibus minus ingenue, ubi laudare se a confessario audiunt, uti et ceteris, qui hisce encomiis offenduntur, sinistrae suspensiones facile oriuntur, in

ipsis sic laudatis studium assentandi suoque laudatori placendi fovetur, atque in confitendo candor imminuitur.

Absoluta sigilli sacramentalis integritas.

§. 59. Sigillum sacramentale omni exceptione majus est adeo, ut nec unquam liceat quocunque praecepto humano interveniente confessionem revelare. Etenim peccata aliorum in confessione confessarius, non ut privata quaedam persona, neque ut ipsemet, sed tanquam is, qui publico hac in re ministerio Ecclesiae fungitur, et veluti Deus, percipit et intelligit. Non enim ut homo homini, peccator sacerdoti se ipsum cum tanta humilitate et animi submissione in confessione offert, et cuncta tam cordis, quam operis malefacta reserat, sed ipsimet Deo, omnia in sacerdote percipienti, se totum expandit, et reclusis animi visceribus patefacit. Audit igitur Deus confitentem in sacerdote et in eodem sacerdote ligat et absolvit confessum. Hinc sigillum sacramentale omnino nullam patitur exceptionem, sed obligat:

a) In perpetuum, ratione temporis; sive poenitens sit mortuus, sive in vivis adhuc. Molestissima quippe fieret confessio, si constaret, peccata a nobis exposita post mortem divulgatum iri.

b) Neque exceptioni datur locus respectu certarum personarum. Sic confessarius non licet de peccatis aut iis, quae cum illis sunt conjuncta, loqui, et quidem α) neque cum ipso poenitente extra confessionale, sed ita te conversari oportet, ac si nunquam tibi confessus fuisset, quamvis bono animo ad poenitentem melius instruendum vel efficacius corrigendum id facias. S. Carolus: „Sacerdos necessitate coactus, extra tribunal cum ipsomet poenitente de peccatis loqui si debeat, id non nisi praefata venia faciat”¹⁾. β) Neque cum aliis confessariis, ne quidem cum illo, qui eandem ejusdem personae confessionem exceperat. Si enim consilii captandi gratia cum aliis confessariis conferre opus fuerit, id non nisi tecto nomine tectisque circumstantiis, ne ulla de poenitentis persona suspicio oriatur, fieri oportet. γ) Neque cum poenitentis cognatis aut praepositis, ut eum a peccato et proinde a damno sibi inferendo retrahere studeant. δ) Neque cum iudice seculari, si fors velit scire, quaenam hic illeve sit confessus.

c) Neque valet ullus, qui posset obtendi, titulus speciosus. Confessarius quoque ad silentium tenetur, ubi ex confessionis manifestatione magnum damnum a se, aut poenitente averruncare, insigne commodum sibi, aut poenitenti parare, imo bonum commune promovere posset. Nam qui exinde oriretur contemptus Sacramenti Poenitentiae, est malum, quod non singularia quaedam membra, sed

¹⁾ Instr. P. II. c. 20.

integram catholicam Ecclesiam, bonum totius divinae oeconomiae attinet; damnum est, quod cum spiritali aeterna hominum salute nexu arctissimo continetur, ad quam comparate utique omnes reliquae rationes evanescent ¹⁾.

Frustra nonnulli politici effutiunt, silentium tam severum saluti publicae adversari; imo potius salus publica hoc ipso rigore egregie promovetur. Si enim crimina, quae in perniciem reipublicae tendunt, a confessario licide manifestarentur, nemo talium sibi conscius eadem confiteretur: nunc vero ubi de absoluta sigilli integritate constat, erunt, qui conscientiae remorsibus acti, de illis se accusent, tumque confessarius occasionem nanciscitur, eos ad saniora reducendi consilia, ut et ipsi a coeptis desistant, et suos simul socios omni modo retrahere conentur. Nullo itaque in casu confessario detegere licebit, quae ei ex confessione tantum innotuerunt, nisi poenitens ipse permiserit. Et si vel in unico casu sigillum nostrum pateretur exceptionem, poenitentibus foret timendum, ne apud ipsos hic casus revera obtineret, aut saltem confessarius hunc casum obtinere putaret et peccata manifestaret: Qui timor eos a Sacramento arceret, et sic medium ad salutem animarum gravissimum et admodum necessarium iis surriperet.

Si confessarius suum peccatum citra sigilli violationis periculum declarare ipse in confessione non possit, debet id nunc in praesenti confessione reticere, et in alia, ubi hoc periculum abest, deinceps exponere. Nam strictius sigillum, quam confessionis integritas obligat, nec in ullo casu violari potest.

Quid sentiendum de illis secretis, quae sacerdoti extra omnem confessionem quidem, ast sub expressione: „Dico tibi sub sigillo confessionis“ committuntur? S. Thomas respondet, quod non facile quis quidquam hoc modo, recipere debeat. Quodsi tamen recipiat, tenetur ex promissione hoc modo, ac si in confessione haberet, celare, quamvis sub sigillo confessionis non habeat. Sacramentale enim sigillum soli confessioni a Christo institutae proprium est, talis confessio in praedicto non adest, ergo neque sigillo sacramentali, sed solummodo secreto naturali ad tacendum sacerdos, qui taliter committenti silentium servare promisit, obligatur. Addit Sylvius, hanc admissionem seu exceptionem alicujus secreti a sacerdote factam, non carere irreverentia Sacramenti Poenitentiae, quia nullum arcanum possit secreto confessionis aequiparari.

Casus practici.

§. 60. 1. Judex criminalis catholicus invitat parochum N. in cancellariam; comparet hic et rogatur, ut sincere dicat, an quid sciat de violenta arcae nummorum fractura a Cajo quodam commissa. Parochus raptorem novit, ast ex confessione, extra quam eum nominari non audivit. Quid faciendum? Salva conscientia dicere valet, se nihil scire, imo si opus foret, hoc effatum suum jurejurando con-

¹⁾ Cfr. Cl. Frint. Ephem. liter.

firmare poterit. Cum enim confessarius praesumatur interrogari ut **h**omo, non vero ut Dei vicarius, quando respondet, se nescire illud, **q**uod ex sola confessione novit, sensus responsionis est, quod non **s**ciat ut homo, qui sensus est verissimus.

2. Quid, si sacerdos a magistratu protestantico aperte et **e**x-
presse quaeratur, num ex confessione nihil sciat? v. g. de Cajo
Catholicae Religioni addicto, et non longo abhinc tempore apud
eundem sacerdotem confesso, qui ob suspicionem perduellionis con-
tra principem protestanticum suum incarceratur. Tunc responden-
dum est: leges catholicae Religionis non pati, ut quidquam dicamus
de iis, quae in confessione percepimus, sive in unam sive in alte-
ram partem; et si hujusmodi responsione iudex non fuerit conten-
tus, potius moriendum est, quam ut confessionis sigillum violetur.

3. Interrogatur confessarius, non quid hic illeve sit confes-
sus, sed tantum, an absolutionem sacramentalem sit adeptus? Quid
respondeat confessarius? Feci, quod mei muneris esse duxi, officio
neo satisfeci. Similiter respondeat confessarius, si de pluribus e.
g. quinque poenitentibus interrogetur, an eos absolverit. Non licet
dicere: Bertham et Sempronium absolvi, quia indirecte manifestaret,
reliquos tres a se non esse absolutos aut propter casum reserva-
tum, aut propter eorum indignitatem.

An confessarius teneatur, schedam confessionis dare illi, qui ob defectum
Confessionis non est absolutus? Si petat, ubi ex negatione periculum
foret manifestationis, talem absolutum non fuisse, schedam confessionis
illi tradenda est. Verum in schedam tantum exprimi debet, quod talis in
hac Ecclesia confessionem peregerit, non vero quod absolutus fuerit. Ex
quo apparet, incongrue in istis schedis confessionum poni, quod confes-
sionem et *Communionem* paschalem talis peregerit. Dans enim hanc sche-
dam testaretur, quod nescit, an nimirum talis *Communionem* accesserit,
et si absolutionem poenitenti negavit, insuper mentiretur, quia suppo-
nere debet, eum abstinuisse a *Communione*.

Regulae prudentiae, si quid manifestare poenitens ipse sacer- **d**oti permiserit.

§. 61. Confessarius iis, quae ex confessione rescit, uti potest,
poenitens voluntarie et expresse in bonum finem id permiserit.
Poenitens scilicet juri, quod in silentium confessarii habet, renun-
tiare potest, et per alium fieri permittere, quod ipse facere valet,
nempe de secretis suis loqui. Igitur de iis, quae in confessione sunt
patefacta etiam alibi loquendi facultatem dare licitum est poenitenti,
licitumque confessario ea facultate uti, quin Sacramenti sigillum
vaedat. „Confitens potest facere, ait S. Thomas Aquinas, ut illud,
quod sacerdos sciebat tantum ut Deus, (i. e. Dei vicarius), sciat
etiam ut homo, quod facit poenitens, dum licentiat eum ad dicen-
dum, et ideo confessarius si dicat, non frangit sigillum confessio-

nis." — Haec tamen licentia duabus conditionibus coërcenda est. 1^{ma} ut sit liberrima; si enim metu aut alia quavis ratione extorqueretur, ut nulla habenda esset; 2^{da} conditio est, ut ea licentia sit expressa, non vero praesumta duntaxat, i. e. confessarius non tantummodo putet, quod confitens hanc facultatem non denegaturus sit, si ab eo petatur, sed licentia ex parte confitentis expressis fiat verbis. Si enim licentia praesumta valeret, nonne laederetur sigillum? nonne redderetur odiosa confessio sacramentalis ipsi poenitenti, et aliis, qui id rescirent? an non vererentur homines, ne confessio eorum fieret publica, si confessarius consensum ipsorum nonnunquam praesumere posset? Verum ut licitum est, ex consensu poenitentis expresso et liberrimo sigillum confessionis non servare, et de quibusdam in confessione auditis loqui, haec tamen poenitentis facultas, rarissime tantum, et nonnisi propter maximam utilitatem recipienda ¹⁾, et multa cum prudentia in usum deducenda est. Quarae sequentes notamus regulas prudentiae:

1) Confessarius confitenti, praecipue sexui foemineae alioque adcusanti, non facilem habeat fidem, quia non raro adcusantur insonites, ubi aut livor aut malitia a parte adcusantis intervenerit.

2) Molestum nec non admodum delicatum adcusatos admonendi munus sine necessitate in se nunquam suscipiat, sed moneat confitentem, ut eosdem viro in auctoritate constituto, aut eorum praeposito, aut aliis, qui malo mederi possunt, nominatim indicet.

3) Si confitens, quia neminem alium huic negotio aptum cognoscit, petat, ut ipse confessarius adcusatos commonere velit, moneat poenitentem, ut haec omnia sibi extra confessionem patefaciat. Sic liberius agere hac in re poterit confessarius, et reo accusato, si necesse fuerit, affirmare, se extra confessionem rem omnem percepisse, et non solum ex consensu expresso, sed vel precibus alterius enixis inductum fuisse, ut de his loqueretur.

4) Si patefactio et admonitio rem gravissimam et admodum delicatam spectet, confessarius, ut sit securior, facultatem *scripturae* sibi exhiberi postulet.

Ex his prudentiae regulis facile patebit, quo modo confessarius se gerere debeat in casibus: a) Coniux junior maritum luxu frequentioris, et liberiorum cum foeminis aliis jocosum adcusat, et rogat, ut parochus eum desuper severius arguat. b) Junior quaedam foemina confitetur, se cum vitrico suo rem habuisse, et eum, ex eo tempore non cessare ipsi insidiari. Domo paterna excedere non potest, matri id detegere minime consultum est, et vitricum, quod attinet, in foro externo seu vir honestus aestimatur. c) Reli-

1) Puta propter aliquod notabile bonum procurandum, vel malum evitandum, quod praeponderet famae confitentis; alioquin nec permittendum est sacerdoti, nec ei facta potestate integrum est uti.

giosus confitetur, se aliquando clandestino fratris cujusdam conventiculo cum lasciva foemina in clauastro interfuisse et participasse; se quidem saepius jam hucusque deflevisse peccatum suum, attamen perpetuo premi angore, cum sciat eandem foeminam diligenter frequentare dictum religiosum, aliosque juniores clericos quoque suas in partes trahere conari.

Violatio sigilli sacramentalis.

§. 62. Tanta est sigilli confessionis integritas, ut omnis omnino qualiscunque modus prohibitus sit, quo quidquam ex confessione propalari possit. Quod quum fieret, sigillum sacramentale violari dicitur. Est autem haec sigilli violatio a) *directa*, cum per sermonem vel actionem expressam de aliquo per solam confessionem cognito dicatur, quod tale peccatum commiserit. Et dicitur *plena*, cum nominetur, aut etiam sine nomine determinetur α) persona, quae confessa fuerat, β) peccatum, de quo se accusaverat, et γ) quod hoc peccatum confessione expresserat. Si vero horum trium momentorum unum alterumve reticeatur, ita tamen de rebus ex confessione notis sermo fiat, ut alius supplere per conjecturam deficientia queat, *partialis* sigilli violatio est. b) *Indirecta*, cum de confessione sibi facta ita confessarius loquatur, ut nihil eorum, quae ipsum vi sigilli celare oportet, prodatur, sed tamen loquendo vel agendo ansam praebet, quidquam de poenitente rescindi, quod huic ignominiosum aut molestum esse possit. Ex dictis facile patet, nefas esse, quidquam de confessionibus a se auditis referre, quo vel singulae personae, aut communitas diffamari aut suspectae reddi possint item Sacramenta vivorum, ob petentis indignitatem ex sola confessione notam coram aliis denegare; — vetitum esse, impedire matrimonium personae, quam ex sola confessione constat impedimento irretitam esse, — suam agendi rationem erga quempiam ob causam ex sola confessione rescitam mutare etc.

Casus practici.

§. 63. 1. Rusticus confitetur, se ante octo dies aliquos manipulos in agro furatum esse, et in furto deprehensum, et modo rem in toto pago jam divulgatam. An licet parochi, qui de furto hucusque nihil audivit, cum aliis desuper loqui incipere, aut illud confirmare? R. Violaret sigillum, et si detegeretur, illum notitia ex confessione hausta uti, scandalizaret alios, et Sacramentum redderet odiosum.

2: Confessarius ex sola confessione rescians peccata filii, parentes poenitentis sui monet, ut moribus filii circa hoc illudve peccatum magis invigilent. Haec sine dubio sigilli fractio foret.

3. Confessarius in casu difficili non audet rem decidere, sed interrogat alium virum prudentem et doctum; licetne nominare personam, aut circumstantias addere tales, ex quibus persona agnosci posset? — Violaret sigillum confessionis. Confessarius in hoc casu non tantum nomen poenitentis taceat, sed et circumstantias loci, temporis et omnia, quae ad notitiam poenitentis viam sternere possint. Et si poenitentiarium A. ob manifestationis periculum interrogare nequeat, quaerat ex alio B., si vero alium nullum inveniat, tutius est, prius a poenitente facultatem consilii exquirendi causa expressis verbis impetrare.

4. Parochus confessionem excipit Caji, qui mox moritur. Eo mortuo ait: Vix credidissem, Cajum ita pronum fuisse ad mentiendum, (quod solummodo rescire poterat ex confessione). — Violat directe sigillum confessionis, quod omni tempore obligat, quia nemo vult etiam post mortem diffamari.

5. Titus, qui omnibus ceu fur innotuit, confitetur tempore paschali suo parocho. Licetne huic dicere, istum furem insigni animi contritione deflevisse omnia malefacta, etiamsi verum sit? — Violaret sigillum confessionis poenitentem dicendo „furem.“ — Quod vero attinet contritionem vel non-contritionem poenitentis, illa sub sigillum confessionis cadit, quatenus fors quoad alios poenitentes posset esse quaedam indirecta sigilli violatio.

6. Mater in confessione narrat, a se filiam heri in scelere deprehensam, et propterea male habitam fuisse. Eodem die et confitetur filia, quin hujus sceleris mentionem injiciat. Licetne confessario crimen expressis verbis ei objicere? — non licet, nisi mater consensum dederit, nam proderet quidquam e sola confessione cognitum. In his et similibus casibus, e. g. apud sponsum et sponsam, confessarius quidem poenitentem peccati omissi directe commonefacere non potest. Interim quaestiones proponat, quae quidem omnem secludunt suspicionem, quasi confessarius alterius confessione uteretur; attamen ita informet poenitentem, ut peccatum omissum, si fors oblitus illud non confiteatur, mediate aut per idearum associationem ei in mentem veniat. Insuper quasi fortuito, et sine violenta applicationis specie tales instructiones et admonitiones inspergat, quae (si peccator data opera peccatum omiserit) eum ad sinceram confessionem commoveant et instigent.

Quibus omnibus tentatis, si tamen negare persistit, absolvatur; strictius enim sigillum, quam confessionis integritas materialis obligat, nec illud ad impedienda poenitentis aut aliorum peccata, aut ad quodcunque bonum procurandum violari potest.

7. Parochus de testimonio morum rogatur a juvene, quem male moratum ex confessione sola agnovit. Licebitne, illud eidem denegare, an in illo de vitis quidquam innuere? — Solutio quaestionis ex eo pendet, an poenitens confessario notus sit aliunde.

nec ne. Si primum, exhibebit ipsi testimonium morum juxta notitiam aliunde haustam; si alterum, testimonium dare nequit; moneat tamen de causa, ne offendatur.

8. Confessarius ad confessiones audiendas in exiguo pago invitatur. Narrat ad mensam, se hodie maximam partem audisse gravia peccata, adulteria, furta etc. — Violat indirecte sigillum confessionis; nam talia verba infamiam causant communitati. — Idem valet, si v. g. confessarius narret, se in confessione res turpissimas de quodam conventu vel societate audisse; — vel si dicat: „Jamjam ex confessionali abiturus eram, cum adhuc unus inde a quinque annis non confessus veniret;” contingere enim posset, ut alter, qui confessarium talia loquentem audit, poenitentem viderit et cognoverit; — aut paucis tantum confitentibus aures praebens: „Hodie adulterium in confessione mihi obvenit;” etenim suspicio saltem de persona oriri posset.

9. Confessarius non quidem nominat peccatum, attamen dicit, se Petro absolutionem denegasse, Paulo prorogasse, Andreae gravem satisfactionem injunxisse. — Violat sigillum confessionis, quia alii ex his dictis ad peccatum grave ab iis commissum, aut saltem ad eorum indispositionem concludere possunt. Insuper garritatem talem pro se ipsis timerent, et a confessione deterrerentur, qui haec audirent.

10. Parochus Cajo denegat absolutionem et prohibet, ne sacram Communionem accedat; verumtamen ille comparet inter alios communicantes. Quid agendum? Communionem sacram non denegabit parochus, quia hoc casu publice eum diffamaret, et si fors alii ipsum viderint confitentem, sigillum confessionis indirecte violaret. Ceterum in genere non licet uti notitia confessionis in gravamen poenitentis.

11. Parochus ex confessione certum habet, inter personas modo matrimonium inituras impedimentum dirimens obtinere. Declarat ipsis opus esse expectare, donec dispensatio impetrata fuerit. Promittunt quidem, ast nihilominus cum testibus et cognatis veniunt in Ecclesiam et sacramentaliter conjungi postulant. An tenetur parochus eas conjungere? — Violaret sigillum confessionis, si ex hoc titulo solo benedictionem matrimonialem denegaret.

12. Parochus ex confessione famuli sui aegroti rescit, se ab ipso saepius esse deceptum. Famulus sanitati restituitur, et parochus eum domo sua pellit, quin alia assignari possit causa, quam peccatorum confessio. — Violat sigillum confessionis, quia notitia ex confessione hausta utitur in actibus externis cum gravamine poenitentis. Consimili modo

13. Superior Ordinis religiosi fratri Anonymo aliquod beneficium promisit. Hic infirmatur, et fortuito contingit, ut Superiori

debeat confiteri. Superior ita rescit vitam ipsius lascivam. Frater mox sanitati restituitur. Quaeritur jam, num illi beneficium conferri debeat nec ne? Respondemus verbis Clementis VIII. decreti anno 1594. emanati: „Tam Superiores pro tempore existentes, quam confessarii, qui postea ad Superioris gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur.” Etenim confessionis sigillum non exigit tantum, ut ea, quae confessione patefacta sunt, non revelentur, sed etiam, ut nihil fiat, quod invisam hanc et formidabilem faciat. Jam praedictus confessionis usus eam gravio-rem et odiosam multis efficeret ¹⁾. Talem usum confessionis pariter prohibet decretum auctoritate Inocentii XI. editum anno 1682. die 18. Novembris, quo sequens propositio doceri prohibita fuit: „Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione, et gravamine poenitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.” Offendiculum propositionis latet in exceptione, ultimis verbis: *nisi aliud*, concepta.

14. Parochus ex confessione ancillae suae observat, eam noctu ad procum suum domo exire, aut parochi suffurari de iis, quae minus bene ab eodem custodiuntur. Licetne parochi portam claudere clavi apud se servata, et rebus suis magis invigilare, quamvis poenitens, unde hoc eveniat, animadversura sit? Respondemus negative, quia cognitio ex confessione hausta nullum effectum producere in externa gubernatione, sed esse debet, ac si non existeret. Sed via datur ad scopum pertingendi, si nimirum poenitens moneatur, ut ipsa haec faciendi det licentiam.

15. Novitiorum magister vultu aut verbis prodit, se eundem minus favere, aut reapse severius eum tractat, ex quo hic peccatum onaniae est confessus. — Violat sigillum confessionis indirecte, quia sic factis exprobrat poenitenti peccatum ab eo confessione expositum; quod si autem hoc licitum foret, confessio multum odiosa redderetur, praesertim inter eos, qui simul cohabitant.

16. Parochus concionem suam de *seductione* memoriae jam mandavit; antequam sacrum ascendit suggestum, rogatur confessionem cujusdam excipere. Hic confitetur peccatum seductionis. Quid faciendum sacerdoti, ne suspicionem apud poenitentem incurrat, se statim quod ille confessus est, coram populo fidei producere velle? Confessarius dicat, se hodie in concione sua illud thema de seductione innocentium pertractandum selegisse; nequaquam itaque existimet, ipsius confessionem esse causam dicendi de hoc horrendo

¹⁾ Fr. Lucii Ferraris prompta bibliotheca. Tom. VIII. Vocab. *Sigillum confessionis*.

peccato; gratias potius agat Deo, qui pro infinita sua bonitate et misericordia ita rem disposuit, ut ad agnitionem peccati eum perduceret.

Modus servandi sigillum sacramentale.

§. 64. Ne sigillum sacramentale directe vel indirecte violetur, ut taceam preces ad Deum pro gratia ad mortem usque silendi fundendas, et firmissimum propositum saepius elicited, confessarius sequentes observet regulas:

1) Sine causa gravissima neque in genere, neque in specie loquatur de rebus, quas solummodo ex confessione cognitae habet, etiamsi nullum subsit periculum sigilli violandi; sic enim tanto facilius cavebit sermones, quibus vera et formalis violatio sigilli committeretur.

2) Nunquam praesumat de simplicitate, ignorantia, rusticitate, scrupulis, linguae erroribus etc. confitentium joculari et ludere, praecipientibus praecipue rudioribus et minus cultis laicis.

3) Abstineat in societate referre ridiculas historias de confessariis et poenitentibus, etiamsi sint fictae, vel jam satis tritae. Nam licet sigillum ejusmodi narratiunculis non violetur, infirmiores tamen, quibus essentia sigilli confessionis est incognita, scandalum paterentur, opinarique possent, confessariis silentii officium non ita sacrum videri, adeoque neminem certum esse, an non similes joci et de ipsius vitiis proferantur, et bona fama in periculum adducatur etc. Sic animus promptus Sacramenti Poenitentiae suscipiendi perit, suspicio in omnes confessarios alitur, at in posterum verecundi et timidi plura peccata omittunt, quae alias confessi fuissent, actumque non jam amplius habent sanctum et necessarium, de quo ipsi sacerdotes joculari non verentur.

Sed quid? si confessarius in societate est, ubi alii de confessionibus petentes proferunt jocos, et curiosas proponunt quaestiones, ad quas respondere nequit? „Tunc ejusmodi quaestiones et jocos vel indignanti silentio, vel gravi quadam sententia rejiciat“¹⁾.

Usus cognitionis ex confessione haustae.

§. 65. Ex dictis patet, confessarium iis, quae ex confessione aut occasione confessionis ipsi innotuerunt, apud alios homines nequaquam uti posse, seclusa etiam revelatione directa et indirecta confessionis, quoties usus ille vel in gravamen poenitentis, vel in odium conversi cederet. Assertio haec fundamento nititur eo, quo supra probavimus, obligationem sigilli esse de jure divino, quia

¹⁾ Cfr. Schenkl Theolog. pastoral.

nempe Christus, qui sacramentum Poenitentiae in Ecclesia sua instituit, et in ea perpetuo conservari desiderat, ex consequenti etiam prohibuisse censetur omnem illum scientiae acquisitae ex confessione usum, per quem homines a Sacramento illo averterentur; talis est autem usus ille, de quo in assertione. Quaeritur, an omnis usus in commodum *poenitentis*, et in *sui ipsius (poenitentiarum)* bonum sit prohibitus?

A. Quod attinet usum, qui in poenitentis commodum fiat, distinguendum est, an fiat *in* vel *extra* confessionale.

1) Confessario licere, cum poenitente *in* confessionali (etiam impertita jam absolutione) de iis, quae confessione manifestata sunt, colloqui, nulli subjacet dubio, quia, ut ajunt Moralistae; sacramentale iudicium moraliter perdurare censetur. Accusans et accusatus adhuc sunt coram tribunali. Nec minus licebit confessario, in confessionibus subsequentibus res prius jam auditas ad salutem poenitentis denuo proferre. Juvabit porro, de quibusdam priorum confessionum defectibus ipsum commonefacere, ob emendationis tarditatem, ob iteratos in peccata jam saepius confessione exposita relapsus arguere, et in circumstantias, quas scire opus est, accuratius inquirere; insuper praecedentes confessiones respicere licitum erit, ad specialiores instructiones impertiendas, ad aptiores poenitentias imponendas etc. Nam confessarius in foro Sacramenti semper obit munus medici, unde ipsum officio stringi censemus, peccata jam confessione exposita, aut alias a poenitente patefactas circumstantias in usum convertendi, et desuper loquendi in confessionali, ut morbum moralem melius agnoscat, eumque efficacius sanare queat. Accedit, ajunt moralistae, confessarium agere ut Dei Vicarium, proinde uti potest notitia, quam ut talis habet.

2) Si vero confessarius *extra* confessionale cum poenitente de rebus in confessione occurrentibus loqui, consultum et necessarium ducat, ut, cum errantem edoceat, damnum aliquod ab eo avertat, clariorem de re quadam instructionem exhibeat etc. quid faciendum? Id non fiat absque poenitentis expresse et libenter data facultate, secus enim poenitens tale colloquium tanquam sui ipsius confusionem et quamdam redargutionem, imo apertam sigilli violationem habere posset, unde confessionis negotium ipsi molestum et odiosum redderetur. Quare bene monet S. Carolus Borromaeus: *Quodsi postea necessitate coactus cum ipsomet poenitente de peccatis loqui contingat, id nonnisi praefata venia faciat, et ipsum colloquium obtinebit vim confessionis, quantum ad sigilli silentium attinet.*

B. Quibus sub conditionibus, et in quos fines confessario licitum erit, res in confessione auditas in *usum suum* deducere, quin expressam desuper obtinuerit facultatem a poenitente? — Sub con-

ditionibus talibus, ut usus hic locum habeat in eiusmodi actionibus, quae poenitenti nec minimum damnum aut molestiam creent; porro, ut neque directa, neque indirecta sigilli violatio fiat; denique, ut fidelibus confessionis institutum exinde non reddatur molestum et odiosum. — E. g.

1) Ut confessarius *oret* ad Deum pro Salute poenitentis.

2) Ut *consulat libros*, qui de peccatis eiusmodi insolitis, quae audivit in confessione, agunt.

3) Ut *viros doctos* consulat in casibus extraordinariis, sed ita, ut ne a longe quidem in certam personam oriatur suspicio.

4) Ut suam laxitatem, aut nimiam lenitatem aut rigorem nimium in audiendis confessionibus *corrigit*, si ex poenitentis accusatione rescierit, talem agendi rationem uni alterive nocuisse.

5) Ut apte, et ad indigentias hominum accommodate elaboret *conciones suas, casuisticum* quemdam, aut *moralem librum* componat; attamen et hic praecavendum est, ne cui noceatur, aut infirmioribus scandalum detur. Nunquam dicat confessarius et publicus concionator, se hoc illudve ex confessionali scire; nam, si minus instructi homines sunt praesentes, facile crederent, his verbis sigillum confessionis laedi, et ipsos quoque non esse securos, ne quando eorum peccata in concione publice proponantur.

6) Ut *evitet insidias*, quae in certo loco, aut a certis quibusdam hominibus parantur, licitum est, locum aut personas eiusmodi fugere, dummodo nemo animadvertat, id ex notitia in confessionali hausta fieri, et insuper illa periculi fuga ad detegendum poenitentem non perducatur, nullam contra illum suspicionem excitet, nullumque damnum aut confusionem ei contrahat.

7) Ut sibimet *ipsi* eo diligentius *caveat a tentationibus*, quae, ut ex confessione audivit, aliquem ad peccandum propulerunt, novos concipiat stimulos *perfectioni propriae studendi. Medium sane efficacissimum virtutis hoc sacrum ministerium praebet confessario*. Et quidem, a) dum alios sua peccata explicantes audit, eorumque gravitatem et turpitudinem illis demonstrat, atque ad illa radicitus extirpanda adhortatur, *meminerit*, se aequè peccatorem esse, vel uni alterive peccato obnoxium; vel saltem tentationi subiectum, ita, ut cum Apostolo loquatur: „Qui stat, videat, ne cadat,” ne poenitens retorquere in illum omnia ea salutaria monita possit. Medice cura te ipsum! b) Dum alios tam tenera conscientia, aliisque virtutibus praeditos esse advertit, erubescat ex corde, quod ipse tot mediis et occasionibus instructus a Deo, tantum tamen profectum non fecerit, nec Dei amore id praestiterit, quod alii effecerunt minus instructi. Specialiter vero *meminerit*, quantum solatium capere soleat, si quem ex poenitentibus suis consiliis persuasum magna cum alacritate virtutis studium amplecti, et insignem in eo fructum facere advertat, et inde concludat, quanto majorem animi

felicitatem ipse sit percepturus, si se ipsum ad similem profectum faciendum induxerit. — c) Dum animadvertit, quam amanter et liberaliter Deus poenitentibus peccata dimisit, atque inde occasionem sumit, eos hortandi, ut quemadmodum illis cum M. Magdalena remissa sunt peccata multa, ita et diligere multum studeant, hunc ipsum stimulum in se convertat, et sicut magnitudinem remissorum sibi peccatorum, multitudinemque longe majorem advertit, ita majoris quoque erga Deum Christum charitatis exercendae motivum arripiat. Atque sic ex auditis confessionibus propriam perfectionem promovere potest poenitentiarius.



P a r s II.

De principiis in administratione Sacramenti Poenitentiae observandis.

Sectio I.

De principiis generalibus in administratione Sacramenti Poenitentiae observandis.

Ordo dicendorum.

§. 66. **E**xpositis requisitis, quae in confessario, ut non solum valide ac licite, sed etiam digne et cum fructu Poenitentiae Sacramentum administrandum accedat, jure meritoque supponuntur, ordo rei jam postulat, ut ipsam hujus Sacramenti *administrationem* perlustremus, atque principia in exercitio hujus muneris sacri necessaria tradamus. Quibus in enarrandis ordinem secundum partes, quae Sacramentum Poenitentiae constituunt, sequimur. *Tria* nimirum in poenitente, tanquam Sacramenti hujus digne suscipiendi *conditiones*, requiruntur, scilicet *confessio*, *contritio* et *satisfactio*, (parata satisfaciendi voluntas, quae in ipsam satisfactionem abeat oportet), quibus ex parte ministri *absolutio* accedere debet. Hinc de principiis generalibus in administratione Sacramenti Poenitentiae observandis acturi, ordimur ab iis, quae spectant confessionem, contritionem et satisfactionem, subjuncturi, quae absolutionem sive absolutionis exercitium attinent. Licet enim confessionis, contritionis et satisfactionis actus, qui in Sacramento Poenitentiae ex dogmate catholico requiruntur ¹⁾, ejus generis partes sint, quas poenitens ipsemet ponere tenetur, nihilominus tamen ex parte confessarius eas procurare potest et debet; et quidem ubi suas partes poenitens non impleverit per se, eas praevio confessarii juvamine ductus adimpleat necesse est. Habito igitur respectu ad partes Sacramenti Poenitentiae, principia in munere saeri tribunalis observanda, I. capite, quae circa confessionem, II. capite, quae circa contritionem, III. capite, quae circa satisfactionem, IV. capite, quae circa absolutionem versantur, exponenda veniunt.

1) Eugen. IV. in Decreto Concil. Florent. — Conc. Trid. Sess. XIV. can. 4. Cap. 3. Catechism. Rom. P. II. c. 5. q. 12.

Caput I.

De principiis generalibus circa confessionem observandis.

Divisio.

§. 67. Respectu habito ad poenitentis confessionem sacramentalem confessarius tenetur: a) poenitentium confessiones excipere; b) poenitentes examinare aut interrogare; c) eosdem instruere ac monere, nec non consiliis adjuvare. Triplex haec obligatio, quam tribus articulis comprehendimus, ordinem dicendorum constituit.

Articulus I.

De poenitentium confessione excipienda.

Obligatio confessarii *specificam* excipiendi confessionem.

§. 68. Confessio sacramentalis est accusatio peccatorum suorum post baptismum commissorum, a poenitente sacerdoti facta, ad eorum remissionem et veniam virtute absolutionis seu clavium Ecclesiae obtinendam. Dicitur *accusatio*, quoniam nostra delicta non ita commemoranda sunt, quasi otiosis auditoribus rem gestam narraremus, sed accusatorio animo ita sunt enumeranda, ut ea etiam in nobis vindicare cupiamus ¹⁾. Fieri debet *sacerdoti*. Debet equidem omnis homo Deo primum confiteri interius adversus se injustitias suas in amaritudine animae suae ²⁾; sed eas deinde accuset sacerdotibus necesse est, quibus collata est ligandi et solvendi potestas. Finis denique confessionis est *remissio* peccatorum obtinenda per *absolutionem sacramentalem*. Solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum, quae cum digna reperitur sacerdotalis absolutionis beneficio, a Domino remissionem adipiscitur ³⁾. Est autem confessio vere a Christo instituta, et jure divino necessaria ita, ut Christi fideles *omnia mortifera* crimina, in quae ceciderint, ad sacerdotes tanquam praesides et iudices deferant, qui pro potestate clavium remissionis et retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Id patet ex Scriptura sacra ⁴⁾, ex SS. Patribus et Ecclesiae Doctoribus, qui confessionis necessitatem et probant et commendant, ex perpetua et constanti Ecclesiae praxi, ac sancta et inviolabili observatione, qua discimus, confessionem, et quidem

¹⁾ Catech. Rom. P. II. c. 5. q. 33. — Conc. Trid. Sess. XIV. can. 6. —

²⁾ S. Hier. in Psalm. XXXVI. — ³⁾ Ambr. libr. 2. de Poenit. c. 6. Cyp. de Lapsis. 14. — ⁴⁾ Matth. XVI. 19. XVIII. 18. Joan. XX. 22. col. §. 2.

specificam et distinctam omnium peccatorum graviorum, ceu divinitus institutam et necessariam ad consequendam veniam et gratiam, a primis fidelibus agnitam fuisse et frequentatam ¹⁾. Quare, sicut Christi fideles ex mandato Sanctissimi et Benignissimi Salvatoris obligantur confiteri peccata singula, etiam occulta, et omnia, quae corde, ore et opere deliquerunt, statumque conscientiae et animi candide aperire; ita quoque sacerdotes ad munus confessarii deputati, iudices et vicarii Christi, poenitentium confessiones *specificas et distinctas excipere*, quin imo urgere in officiis habent. Atque hoc officii genus adeo est planum, ut ne opus quidem esset, illud pluribus inculcare, nisi compertum ex confitentium narrationibus haberetur, dare hinc inde viros officii hujus aut ignaros aut incurios, qui ne patiantur quidem poenitentem confessionem persolvere. Proh dolor! hi non tantum confitentibus scandalo sunt, sed et ruinae permultis. Quomodo prudens iudicium exercere, in poenis injungendis aequitatem servare, in remediis adhibendis prudentiam tueri poterunt, si poenitentium peccata non in specie et singillatim exceperint? Qua ratione praeoccupatum in aliquo delicto instruent in spiritu lenitatis, nisi delicti speciem (quod divina instructione et remedio amputandum est) perceperint prius? Quo pacto sermone Dei et testimoniis Scripturarum, et exhortatione virtutum utentur, ut solvant ligatos, nisi vitiorum nodos, quibus ceu totidem funibus peccatores constringuntur, arte quadam non vulgari extricare, explicare et dissolvere curaverint? Qualis sententia a iudice causa incognita fertur? Accedit, quod non parum solatii afferatur afflictis, et sub onere peccatorum suorum pressis, si intimas animi sui latebras et sinus, et quidquid animum affligit, pio, et condolare et compati haud nescio confessario aperire queant! Si fidelis amicus thesaurus est immortalitatis, quanto magis confessarius pius et prudens, cui intima cordis pandere dulce erit, aestimabitur? Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Quid vero, si poenitens singillatim peccata confiteri detrectet? Tunc confessarius eum vel directe vel indirecte moneat, partim edocendo necessitatem peccata singillatim confitendi, partim removendo obstacula, quae impedire solent, quo minus singillatim peccata confiteri quis velit, partim exponendo emolumenta, quae ejusmodi confessio sincera adferat. „Omnia etenim in confessione lavantur, conscientia mundatur, amaritudo tollitur, peccatum fugatur,

¹⁾ Vide Cl. Tournèlli Praelect. theolog. de Sacramento Poenit. qu. 6. art. 2. — Cl. Liebermann Inst. theolog. — Die Beichte ist ein wesentliches, und in der katholischen Kirche immer festgesetzter Theil des heil. Buss-Sacraments. Rothweil 1821. — Kurze Geschichte der Kirchenbusse, und Apologie der sacramentalischen Beichte, von P. Brunnquell. Bamberg 1814. — Die Beicht, eine hist. kritische Untersuchung von Dr. Heinrich Klee.

tranquillitas redit; spes reviviscit, animus hilarescit" ¹⁾. „Tantum relevat confessio delictum, quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciae" ²⁾. „Quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab aliis publicata, si ea confiteri aut emendare noluerint, Deum, quem habent testem, ipsum habituri sunt ultorem. Et quid eis prodest, *humanum vitare iudicium*, cum si in suo malo permanserint, ituri sunt in aeternum Deo tribuente supplicium" ³⁾.

Obligatio confessarii exigendi confessionem *integram*.

§. 69. Integritas confessionis in eo posita est, ut *omnia* peccata mortifera non in genere, sed quoad speciem, numerum, una cum circumstantiis necessariis sacerdoti aperiantur. Distinguunt integritatem duplicem, materialem scilicet et formalem; prior est adaequata omnium plane, quae quis commisit, peccatorum accusatio, posterior est accusatio omnium peccatorum mortalium, quae hic et nunc Ecclesiae clavibus subijcere poenitens tenetur, quae post diligens conscientiae examen redeunt in memoriam. Posterior necessario ad Sacramentum Poenitentiae requiritur. Concilium Tridentinum ita praecipit: „Oportet a poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint" ⁴⁾. Id autem praestatur confessione sic dicta formaliter integra. Quod vero attinet confessionem materialiter integram, quamvis foret optanda, tamen in hominis potestate plerumque ea non est, quare Concilium Tridentinum ait: „Peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: „Ab occultis meis munda me Domine." Semper etiam intellexit Ecclesia, confessionem, quam a Christo accepit, (formaliter) integram esse debere. Hinc: „Si quis dixerit, in Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum non necessarium esse jure divino confiteri *omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur*, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant, — — anathema sit" ⁵⁾.

Finis hujus praecepti est remissio peccatorum, ergo sicut a Deo sperari non potest dimidiata remissio, ita non potest fieri dimidiata confessio. Deus non potest unum peccatum mortale remittere, quin

¹⁾ Tract. *de inter. domo*, apud S. Bern. cap. 21. n. 43. — ²⁾ Tertul. libr. de Poenit. — ³⁾ Julian. Pomerli (juxta alios Prosper.) Vita contempl. II. 7. — ⁴⁾ Sess. XIV. cap. 5. — ⁵⁾ Sess. XIV. can. 7. Cfr. S. Iren. 3. n. 6. Tertul. de Poenit. c. 3. S. Cyp. de Laps. Orig. in Lev. hom. 3. n. 4. Conc. Cabillon. II. c. 32.

remittat omnia. Atque illud est, quod inquit S. Augustinus : „Impium est a Deo sperare dimidiatam veniam.” Cum igitur iudicium sacerdotis per omnia debeat conformari sententiae divinae, necessarium est, ut omnium criminum habeat cognitionem confessarius, si poenitens vult omnium consequi condonationem. Alioquin si sacerdos ab iis duntaxat absolvat, quae per confessionem excepit, et ea retineat, quae poenitens reticuit : hinc conficitur, et Deum duntaxat dimidiatam largiri veniam, nec non gratiam amicitiamque divinam cum peccato et Dei inimicitia in eodem homine consistere, quorum utroque nihil potest absurdius cogitari. Et si diligenter advertamus, intelligemus, Christum hic non obscure id insinuasse, dum inquit : „Quorum remisistis etc. et quorum retinueritis etc.,” et non hoc modo : „Quae remisistis, et quae retinueritis,” scilicet indicavit, se non quaedam remittere, alia vero retinere, sed vel omnia simul, vel nulla. Suadent atque commendant hanc fidei veritatem et doctrinam etiam complures ex naturali ratione argumentationes depromptae.

Primo probatur per similitudinem, quam habet peccatum, sive morbus animae cum morbo corporali. Nam aeger pluribus confectus morbis, si desideret ope medici curari, debet omnem morbum ipsi pandere, eo, quod saepenumero unus morbus per alium aggravetur, ut cognito morbo, et his, quae ipsum aggravant, medicus debitam adhibeat medicinam. Etiam confirmatur hoc idem, quia nonnunquam medicina huic medetur morbo, alterum vero exasperat ; ac proinde necessarium est, ut si aeger recte atque ordine sanari velit omnem morbum medico pandat. Quare qui multis morbis animae, id est peccatis, laborat, omnes eos medico aperire debet spiritali, i. e. sacerdoti, vicem Dei tenenti, ut debite curetur ; nam haud secus unum peccatum alterius accessione aggravatur, atque unus morbus alterius adjunctione.

Secundo confirmatur idem, quia peccator non solum indiget medicina, qua peccati morbus tollatur, sed etiam praeservativo a lapsu, seu a peccato futuro, quale est consilium sacerdotis, seu praeceptum de vitandis peccatorum occasionibus. Consulere autem sacerdos commode non potest, nisi sciat integre vitia et peccata, et vitae rationem ipsius poenitentis, cum consilium ad unius peccati deviationem accommodatum, alteri peccato perpetrando aperire possit fenestram occasionemque praebere.

Tertio idem probatur ex eo, quod signum et res signata debeant inter se conformari et respondere. Confessio autem vocalis signum est contritionis mentalis, sed contritio debet esse integra, de omnibus mortalibus ; qui de uno conteritur, necesse est de omnibus conteratur, ut vera ac salutaris sit contritio. Igitur confessio debet integre de omnibus fieri, ne ficta sit et inutilis.

Quarto probatur inde, quod confessio dimidiata est contra usitatum formam Absolutionis, qua dicitur : Ego te absolvo a pec-

catis tuis, scilicet omnibus. Si ab omnibus absolvitur, necesse est, ut etiam omnium confessio praecedat. „Confitendum igitur est, ut propheta docuit, ex toto corde, non ex parte, neque alia adhuc cognitorum peccatorum operatione residente”¹⁾).

Quodsi igitur confessarius animadverterit, poenitentem integram confessionem haud deposuisse, aut deponere, in officiis suis habebit, necessariam ex fidei catholicae dogmate et munere, quo fungitur, judicis, medici et doctoris, confessionis integritatem exigere et procurare. Quomodo id efficiat, hujus capituli articulus secundus docebit.

De peccatis venialibus, et de jamjam expiatis quantum ad confessionis integritatem.

§. 70. Quid in materia confessionis de veniabilibus et jamjam expiatis peccatis censendum sit, quaestio eo majoris momenti est, quod Concilium Tridentinum circa confessionem sacramentalem nonnisi peccatorum mortalium mentionem faciat. Dicimus igitur, materiam confessionis esse peccata post baptismum commissa. Peccatum mortale post baptismum commissum est materia necessaria, quia necessario in confessione exponi debet. Peccata venialia, aut mortalia jam rite confessione exposita et expiata, sunt materia sufficiens et libera²⁾, quia quamvis sunt materia apta pro absolute, non tamen necessario in confessione exponi debent. Peccata venialia, quae gratiam Dei non tollunt, quamvis multis aliis remediis expiari possint, uti bonis operibus condonatione injuriarum, precibus aliisque abnegationis et mortificationis actibus³⁾, tamen ubi clavibus Ecclesiae subjiciuntur, perinde ac mortalia per Sacramentum Poenitentiae remittuntur, nam Deus sine exceptione dixit: Quorum remisistis etc. Adeoque Sacramentum Poenitentiae eodem prope modo se habet erga peccatum, quo erga morbum medicina, quae de se ad morbos graves et lenes sanandos dirigitur; hinc justorum pia praxis, qui etsi sola habeant peccata venialia, sese tamen clavibus Ecclesiae subjiciunt per sacramentalem confessionem. Et Concilium Tridentinum expresse statuit: „Si quis dixerit, — non licere confiteri peccata venialia, anathema sit”⁴⁾. Confessio venialium etiam magnopere suadenda est, eo quod delicta, quae venialia tantum putantur, mortalia esse possint, nam discretio perquam difficilis est. „Quae sunt peccata gravia, et quae

¹⁾ S. Hil. in Psalm. CXXXVII. — ²⁾ S. Cypr. de Laps. (p. 382. Bal.) Epist. 52. S. Bern. de Circumcisione serm. 1. n. 5. Lege Philoth. P. II. c. 19. — ³⁾ Caesar. Arel. hom. 2. et 3. S. Greg. Nyss. Epist. can. ad Lectoj. c. 6. S. Aug. de Fide et opp. c. 26. Enchirid. c. 71. et 78. S. Isid. Hisp. Exhortat. ad poenit. Alcuin. de Off. div. c. 13. — ⁴⁾ Sess. XIV. can. 7.

sunt levia, non humano, sed divino iudicio sunt pensanda" ¹⁾). Praeterea uberiori gratia ac validioribus auxiliis sese defraudaret per Sacramentum conferendis, qui venialia sacramentaliter confiteri negligeret ²⁾). — Eodem modo, licet de necessitate non sit, peccata graviora, in confessione jamjam expiata iterum confiteri, iterata tamen eorumdem peccatorum confessio *nonnunquam* salutaris esse *potest*, tum ratione humilitatis ipsius peccatoris, tum ratione reiteratae contritionis, ex qua denuo confessio procedit, tum ratione verecundiae, quam in ipsa peccatorum confessione habet, tum denique ratione consilii et correctionis, qua ei confessarius subvenire potest. Clarissimum hujus doctrinae testimonium peti potest, tum a communi doctorum et sanctitate eminentium virorum sententia, qui poenitentem, cum spe veniae sua peccata saepius confitentem, optime suae saluti consulere decernunt: tum etiam ex praxi Ecclesiae, quae hujusmodi confessionem, non modo eorum, qui Religioni alicui ab Ecclesia approbatae initiuntur, verum etiam et eorum, qui in seculo permanent, vehementer approbat, atque ad eam sedulo adhortatur. Si peccata solum venialia vel etiam gravia, sed jam directe remissa, exponuntur, Sacramentum Poenitentiae praeter illorum remissionem, in gratia divina nos confortat, atque *hinc* augmentum operatur, imo pro contritionis fervore poenas etiam temporales avertit.

De peccatis dubiis.

§. 71. Peccata dubia, circa quae poenitentes saepenumero haerent, multum negotii facessunt confessario, nisi sana et definita teneat principia, quae in dijudicandis illis ipsum dirigant. Plerique triplicem quaestionis statum distinguunt; vel quis dubitat de actus substantia, videlicet, an fecerit nec ne; vel de gravitate peccati, num mortale sit, an veniale; vel de confessione, utrum jam hoc confessus sit, nec ne? His praemissis respondemus: Inprimis si ejusmodi dubia ab hominibus vere scrupulosis afferuntur, contemnenda potius quam audienda sunt. Nam praeterquam vix non vana sunt hujusmodi dubia, minus malum est, quod forte dubius scrupulosus peccata quaedam omittat, quam ut perpetuo voretur anxietate, seipsum et confessarios jugiter defatiget, moerore obruatur, sensus et cerebri periculum subeat. Quodsi vero homines a nota anxietatis immunes taliter dubitant, saepenumero ex commu-

¹⁾ S. August Enchir, c. 78. — ²⁾ Propositio pseudo-synodi Pistoriensis de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait, non tanto pere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur hujusmodi confessiones; tamquam temeraria, pernicioza, sanctorum ac piorum praxi a s. Concilio Tridentino probata contraria condemnata est a Pio VI. P. „Auctorem fidei“ 28. Aug. 1794. n. 39.

niter contingentibus, atque ex praedominante illorum indole prudens praesumptio inferri potest. Scilicet qui generatim ab omni gravi peccato sincere abhorret, et insuper suas confessiones rite instituere satagit, vel quantum ad vitam praeteritam, magna cum diligentia confessionem generalem peregit, hujus generis dubia nisi ratio praeponderans in oppositum premat, prudenter contemnere potest. Ast contrarium in iis obtinet, vel qui in mortalia passim consentire solent; vel peccata commissa absque debita semper diligentia confiteri, vel omnino quaedam voluntarie omittere consueverant, quin hos defectus per generalem confessionem hucusque reintegrarint. Tales etiamsi de uno alterove peccato tantummodo dubitare videantur, praesumptionem tamen sat solidam contra se sustinet. Pro illis tamen casibus, ubi neque talis praesumptio locum habet, haec subjicimus: a) Qui prudenter dubitat, utrum peccatum grave, a se olim commissum, rite confessus fuerit, ad confessionem tenetur; tum enim lex est in possessione. b) Dubitans, utrum peccatum vere lethale commiserit, ex sententia sat communi non tenetur illud confiteri, attamen consultius certe faciet illud exponendo; id quod etiam praxis omnium piorum habet. Et nescio, an non tum pietas nobismetipsis, tum reverentia sacris debita, veri nominis obligationem involvat. Etenim difficultas semet sub dubio accusandi est tamen exigua, si cum interna pace et securitate comparetur, quae inde subsequitur; ut quid ergo statum tuum occultes? Si confessarius contra peccatum dubium certam sententiam ferre nequit, saltem mederi potest, ut quidquid sit, jam tranquillus esse queas. Quid demum in articulo mortis faceres, coram tribunali divini judicis mox sistendus? Fac ergo modo, quod tunc te fecisse laetaberis. c) Interim peccata dubia vel minus certa quae talia fateri oportet, ne plus sit in confessione, quam quod est in conscientia¹⁾.

Diligentia in examine conscientiae.

§. 72. Quali opus sit examine, ut quis a culpa circa confessionis integritatem immunis sit, eo magis quaerere licet, quo fieri possit, ut praetermissa per negligentiam hac conscientiae discussione confessio nulla et sacrilega sit.

1. Certum est, quod poenitens debeat se prius diligenter examinare, antequam confessionem sacramentalem peragat. Patet hoc ex saepius jam laudato Concilio Tridentino, ubi definit, clavibus Ecclesiae subjicienda esse omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum *diligenti et debita praemeditatione* habetur. Est vero talis diligentia in faciendo ante confessionem examine con-

¹⁾ Cfr. Stapf Theolog. moral. tom. IV. pag. 21.

scientiae adhibenda, qualis communiter inter homines prudentes in re seria et quae multum cordi est, pro illius gravitate adhiberi solet, ac proin non requiritur anxia vel summa, strictissima et exactissima discussio.

2. Certum est, hanc diligentiam non requiri aequalem in omnibus; plurimum enim interest, a) cujus conditionis sit poenitens, quae et quales illi obligationes incumbant, quibus periculis et occasionibus sit expositus; b) et quantum temporis a praeterita confessione effluxerit. Minus enim diligentiae requiritur in homine Deum timente, quam in vitioso; pariter qui frequenter v. g. singulis hebdomadibus confitetur, breviori tempore opus habebit ad discutendam conscientiam, quam qui omnibus peccandi periculis exponitur, et ad menses et annum confessionem distulit.

3. Si confessarius ex modo confitendi vel aliunde animadvertat, poenitentem non satis conscientiam examinasse, caveat, ut eum propterea sine absolute dimittat, sed adjuvet sua industria ipsum, atque opportunis quaestionibus defectum suppleat, paterno tamen affectu admonens, ut in posterum conscientiam suam melius examinare conetur.

4. Quamvis integritas confessionis necessario requiritur, illorum tamen scrupulorum conscientiae discussionem non probamus, qui non nisi de proluxa peccatorum suorum expositione solliciti ad amissim usque, in ea autem totam Sacramenti virtutem collocant. „Qui peccata sua occultat, et erubescit salubriter confiteri. Deum, quem judicem habebit, habebit et ultorem”¹⁾. Verum memores simus, quod S. Gregorius M. docet: „Signum verae confessionis non est in oris confessione, sed in afflictione poenitentiae.”

Obstacula integritatem confessionis impediencia.

§. 73. Praeter ignorantiam religiosarum veritatum et status sui ipsius interni, obstacula, quae integritatem confessionis impediunt, praecipua numerantur: 1) Negligentia in conscientia examinanda, 2) Verecundia et pudor, 3) Timor poenitentiae, 4) Timor infamiae apud confessarium incurrendae, 5) Diffidentia et desperatio peccati vitandi, 6) Pertinacia et obstinatio quaedam in odio erga inimicum concepto. Jam ad haec obstacula removenda juvabit, et quidem:

Ad 1. Si ostendat confessarius a) gravitatem hujus negligentiae, ut quae non minus facit, ut confessio sit irrita et sacrilega, ac si deliberate et scienter confitens peccatum aliquod omisisset; b) stultitiam hujus negligentiae, dum a confessario absolvi sanarique petit, ast peccata sua eidem, prout opus est, non exponit;

¹⁾ Aug. Serm. 66. de temp.

c) necessitatem emendandae hujus negligentiae, utpote qua stante frustra fit omnium aliorum peccatorum confessio, quia unum sine altero non dimittitur, quamdiu adest possibilitas physica et moralis omnia confitendi.

Ad 2. S. Franciscus Xaverius magnopere hortatus est confessarios, ut in confessionibus audiendis comiter benigneque confitentes exciperent, quo spiritualium medicorum lenitas eos pelliceret ad omnia conscientiae vulnera haud cunctanter aperienda. Itaque P. Gasparo Armuziam ituro hoc praeceptum dedit: „Flagitiis eliciendis non alia via expeditior, quam denunciare, nos longe foediora gravioraque aliorum cognovissē facinora, et simul illa ipsa, quae timide et cunctanter exposuerint, aptis extenuare verbis, ut facilitate confirmatus pudor fidentius reliquas aperiat vitae noxas”¹⁾. In hoc hominum genere cautio adhibenda est vel maxima, ne pudore impediti commissa scelera majori scelere suppriment, salubri confessionis remedio in perniciem verso. Non abs re quoque erit, si pudor olim coram toto genere humano et angelis universis sustinendus ante oculos ponatur, sique pudor coram unico homine tolerandus illo universali pudore velut clavus clavo pellatur. „Pro anima tua ne confundaris dicere verum: est enim confusio adducens peccatum: et est confusio adducens gloriam et gratiam”²⁾. Si pudore victus peccatum tuum celaveris, illud amplius augebis, si tamen pudore victo illud confessus fueris, eximiam in coelo gloriae coronam pro hac victoria, quam confitendo culpam obtinuisti, consequeris.

Ad 3. a) Si leviozem, quam putabat, poenitentiam impositurum se promittat; b) si ipse confessarius promittat se partem poenitentiae in se suscepturum; c) si in memoriam illi revocet poenam pro peccatis commissis aut in hac aut in altera vita subeundam esse.

Ad 4. a) Si ostendat, quam vanus sit hic timor, cum confessarius eum potius ob generosam sui victoriam et emendationis desiderium magni aestimaturus sit; b) si ei in memoriam revocet, quam honorificum fuerit S. Petro, S. Paulo, S. Magdalенаe, S. Augustino aliisque gravibus peccatoribus, quod post lapsus graves toto orbi manifestatos insignem poenitentiam egerint; c) si ei ostendat, confessario nihil novi esse si ejusmodi peccata audiat, notamque illi satis esse humanam fragilitatem. S. Augustinus: „O homo, quid times confiteri? illud, quod per confessionem scio, minus scio, quam quod nescio. Cur confiteri erubescis peccata tua? Peccator sum sicut tu. Homo sum, humani a me nihil alienum puto. Confitere homo homini, homo peccator homini peccatori. Elige, quod vis, si non confessus lates, inconfessus damnaberis. Ad hoc Deus exigit confessionem, ut liberet hominem humilem, ad hoc

¹⁾ In Vita ejus libr. 4. c. 25. — ²⁾ Eccli. IV. 24.

damnat non confitentem, ut puniat superbum." d) Doceat, etsi peccata, quae confiteri erubescit, hominem lateant, Deo intime perspecta esse adeoque infamiam apud illum contractam eum non effugiturum. e) Considerare jubeat, quod haec ipsa peccata olim sint omnibus manifestanda. f) Ostendat, quam grave tormentum ex hac peccati suppressione sit passurus. g) Repraesentet illi infortunium, quod ipsi parat peccati reticentia, qua in re haud absimilis est, illi, qui grave ulcus in corpore ferens, chirurgo illud revelare nollet, sicque malum semper invalescere permetteret; quantum vero e contra solatium percepturus sit, si ulcus hoc confessario aperire medicinamque admittere satagat.

Nota. In personis ceteroquin piis sedulo attendendum est, ne timor infamiae apud confessarium incurrendae, nimius evadat, vel studium bonae aestimationis aucupandae nocivum enascatur; quo fit, ut proh dolor! in peccata, quae pudor reticere velit, prolapsae de iis sileant.

Ad 5. Si ei ostendat, quam multi homines ab eo vitio, cuius fugam ipse impossibilem putat, sine difficultate abstineant: an igitur tu non poteris, quod isti et istae potuerunt? An gratia Dei et generosa animi resolutio non poterunt, quod infirmitas corporis non potest? Si ei demonstret, quam paratum a Deo ad hoc vitium debellandum auxilium habeat, si modo illi cooperari velit. Enarra illi gaudium, quod in coelo oritur ex conversione unius peccatoris, et quanta cum tranquillitate sit reversurus domum, benedicens diei illius, qua conscientiam suam tanto pondere exoneravit.

Ad 6. Si praeter specialia ad inimicitias deponendas et extinguendas remedia et praecepta exhibeat, quantum bonorum jacturam faciat interea, dum confessionem differt et inimicitias fovet, eam nullum illius opus, quamdiu in hoc statu permanet, Deo gratum et meritorium esse possit, juxta illud Matthaei: „Si offers munus tuum ad altare et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo: et tunc veniens offeres munus tuum”¹⁾.

Haec et similia monita, qua potest maxima lenitate ac comitate Confessarius proferat. Torva enim severitas avertit animos; quem oderint, quomodo ei sua prodant? Clavis ferrea pectus non aperit; nec soli, nisi serenius arridenti intimos recessus flores expleant, minus tibi cordium aditus patere sinent homines, nisi amoeno, affabili, et amanti. „In universum te cunctis mitem, jucundum, affabilem praebeas, ut ea comitate illecti omnes tibi pectorum suorum latebras ac recessus aperiant.”²⁾.

¹⁾ Cap. V. 23. 24. — ²⁾ S. Xav. apud Maff. libr. 1. ep. 2.

Causae ab integritate confessionis certe excusantes.

§. 74. Quamvis autem integritas confessionis ad Sacramentum Poenitentiae necessario requiratur ita, ut confessarius obligetur, eam non exigere solum, sed et procurare, tamen non desunt impedimenta, quominus ea retineri queat. Cujusmodi sunt *oblivio inculcata et impossibilitas physica vel moralis*. Ea de re quid sentiendum sit, sequens expositio declarabit.

1) Oblivio inculcata a confessionis integritate excusat. Idem valet de ignorantia invincibili. Ratio est, quia Deus impossibilia non jubet, nam praecepta non dantur, nisi de actibus humanis, qui nostrae subsunt facultati, et ideo confiteri peccatum, cujus memores esse non possumus, sub praeceptum cadere non potest. Hinc Concilia non alia postulant aperiri peccata, quam quorum post accuratum examen recordatur poenitens, atque conscientiam gerit. Haec tamen peccata, si postmodum redeant aut detegantur, erunt clavibus subjicienda. Manet enim obligatio haec, sicut manet obligatio suscipiendi baptisma in iis, qui per votum ejus remissionem peccatorum consecuti sunt. Sic Concilium Tridentinum peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse docet, ast eo sensu, quod inclusa sint quoad effectum remissionis, non vero ita, ut, quando occurrerint memoriae, non sint expresse in confessione dicenda. Tunc autem non erit necesse, reliqua, quae prius confessus est poenitens, peccata denuo confiteri, seu eidem seu alii confessario, nisi in generali: „alias quando fui confessus omisi ex oblivione tale peccatum.”

2) Excusat etiam ab integritate confessionis impossibilitas (impotentia) vel physica, vel moralis, (si confessio integra esse nequit ob collisionem cum officio gravioris momenti, vel ob extrinsecum grave periculum damnumve), sive actualis, sive imminens tam ex parte poenitentis, quam ex parte confessarii. Ergo absolvi debet poenitens vere conversus, quin integre confessus sit, a) cum vereri est, ne in amentiam vel phrenesin incidat; b) cum, qui mutus, surdus, balbus, vel pene imperitus linguae, omnia ad amissim confiteri non potest; c) cum in ipso confessionis actu ingruit mortis periculum; d) cum gravi laborans infirmitate candide fatetur, superesse alia, quae confiteri velit, sed se ultra ob defatigationem atque imbecillitatem non posse prosequi; e) cum tempore pestis, instantis naufragii, praelii, relative ad poenitentem periculosi incendii plenae viris domus, quibus desit exitus, non possunt integrae multorum confessiones excipi; tunc enim vel distincti cujuspiam peccati confessio ab unoquoque excipienda est, idque strictis juris est, si fieri possit; vel omnes, si urgeat tempus, puta, praelii, confessionem simul et dolorem per exteriora signa exhibere debent, tumque praemissa ante, prout poterit, vivida et brevi ad

contritionem exhortatione, absolutio detur: „Ego vos absolvo a censuris et peccatis.”

Ceterum qui urgente periculo generalem absolutionem a sacerdote nihil confessi acceperunt, debent postea, si tempus fert, distincte peccata sua confiteri.

Ex parte confessarii ab eo necdum integre confesso imperienda est absolutio: cum poenitens simul et confessarius, qui unus praesto est, aequa ad interitum vergunt, adeo, ut vereri sit, ne sacerdos linguae usum et forte vitam amittat, priusquam absolvi possit poenitens, si omnia confiteatur. b) Cum certum impendet mortis periculum confessario, si cum poenitente commoretur, quantum opus foret ad plenam confessionem, puta tempore pestis, tunc auditis aliquibus potest ipsum pacificare et absolvere. c) Aequae sacerdos, qui peccatum suum pandere nequit, nisi auditum in confessione alterius confessario noti peccatum declaret, suum illud silentio premere potest. Strictius enim obligat praeceptum de non revelanda confessione, quam praeceptum de confessionis integritate. Et si demus, utriusque praecepti par esse vinculum obligandi, attamen illud, quod saepius aliter se habet, nec observatur semper, ei debet cedere, quod nunquam aliter, se habet, et perpetuo religiose observatur. Jam constat, multis ex causis non retinendam esse confessionis integritatem, semper vero confessionis sigillum. Quare hoc in casu potius amputandum est aliquid de integritate confessionis, quam ut accusatione nostri confessionis alterius reveletur sigillum.

Necessario in his casibus requiritur, ut desit confessarius alter, cui mentem totam rite ac secure aperire valeas, et ut confessio in aliud tempus differri nequeat. Porro peccatum, quod ex justa causa celatum est, quando erit opportunitas, confitendum esse doctores praecipunt.

Casus practicus.

§. 75. An absolvi possit aegrotus, qui omnino confiteri non potest? Hoc aliquo tempore inter Theologos fuit controversum. Nihilominus hodie passim docent: nihil requiri ultra id, quod fieri potest, et in casu necessitatis absolutionem dari posse aegroto, etsi nullum peccatum possit exprimere, si signis testetur, se petere absolutionem, aut si sint, qui testentur illum petivisse, sic enim aliquo modo et quantum potest, confitetur. Haec sententia magnis et insignibus testimoniis nititur, uti Concilii Carthaginensis IV., ubi sic habetur: „Is, qui in infirmitate poenitentiam petit, si casu, dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, et accipiat poenitentiam. Et si continuo credatur moriturus, reconcilietur, et infundatur ori ejus Eucharistia.” Rursum hunc in modum statuitur: „Si per se respondere non possunt, cum voluntas eorum suum testimo-

nium dixerit, baptizentur, similiter de *poenitentibus* agendum est¹⁾. Praeterea Concilium Arausicanum statuit: „Subito obmutescens et Baptismum et Poenitentiam accipere potest, si voluntatis praeteritae testimonium habet”²⁾. Leo. M. inter alia hac de re consultus respondit: „Quodsi aegritudine gravati, (illi, qui poenitentiam petunt) quod ante poscebant, sub praesentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium et circumstantium prodesse debebunt, ut simul et Poenitentiae et reconciliationis beneficium consequantur”³⁾. Confirmatur assertio nostra ex Rituali Romano Pauli V., ubi haec: „Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela aegrum deficiat, nutibus et signis conetur sacerdos, quoad fieri poterit, peccata poenitentis cognoscere, quibus utcunque vel in genere vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium sive per se sive per alios ostenderit, absolvendus est.” —

Sacerdos itaque ad infirmum accersitus primum omnium, si fieri potest, audiat ejus aliquod peccatum in particulari. Quodsi ita invaluerit infirmitas, ut voce destitutus sit, studiose observet signa, an aliquod prae se ferat confessionis desiderium, et tunc ne dubitet absolvere. Si vero neque loqui, neque nutu aut signo quopiam manifestare sensus suos infirmus valet, confessarius adstantium quaerat testimonium de aliquibus contritionis signis, quae si adfuerint, absque scrupulo potest absolvi.

Causae ab integritate confessionis non excusantes.

§. 76. Non excusat ab integritate confessionis 1) *frequens populi concursus* in die solemni. Patet ex propositione damnata per Innocentium XI. anno 1679.: „Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus poenitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnae alicujus festivitatis vel indulgentiarum.” *Quomodo ergo agendum in confitentium concursu?* Quoad parochianos non abs re erit, eos commonere, ut, quoad fieri potest, justo ordine se dividant, ne premendo longiusque expectando distracti in necessaria praeparatione impediuntur. Pueri, qui scholam adhuc frequentant, diebus ferialibus admittantur. In plerisque locis de more est, populum fidelem jam in Vesperis dierum festorum magnorum ab opere servili in agris et vineis quiescere; determinentur itaque horae tales pro confessionibus excipientibus. Quid agendum, si Ecclesia parochialis a peregrinis frequentatur? Etiam hoc in casu multitudo confitentium non sit causa festinae in absolvendo levitatis. Ad summum absolutionis formulam confessarius abbreviet, et cum prudentia applicet institutiones suas ad peccata graviora, attamen non ita, ut qui leviora confitentur,

1) C. 75. D. IV. de consecr. — 2) Cap. 12. — 3) Epist. 82. alias 91.

plane omni admonitione eximantur. Id prohibet finis Sacramenti, quin imo prudentia, ne suspicio oriatur, eos quibus monendis diutius immoratur confessarius, gravissima delicta aperuisse. Ceterum in extraordinario poenitentium concursu et multitudine, quando duo haec conveniunt, temporis angustia ex parte confessarii, et in poenitente summa necessitas, ut interrogetur ad procurandam confessionis integritatem, copia, inquit, eorum quibus confessarius circumdatur, non debet immutare ordinem iudicii. Oportet confessarium habere cor simile arenae maris, veluti sibi optaverat Salomon, quae nec majori nec minori alluvione unquam movetur. Quid refert multos esse poenitentes, qui exspectant? Melius est sanare paucos quam medicinam applicare multis nullo consequente fructu. Verum cum possit contingere, ut turba confitentium in quibusdam angustiis ea non concedat uti temporis mora, quae alias exigeretur, notandum est, num necessitas Communionis sumendae incumbat poenitenti, an vero possit differri; si prorogationem admittat, suaviter ipsi exponatur, plus temporis exigi ab hoc negotio, quod commodius et majori conscientiae securitate alias confici possit. Nomina diem, quo redeat, si tua uti velit opera. Quodsi in aliud tempus rejici nequeat sine scandalo et admiratione, exige peccata graviora pro temporis brevitate, et si dignus est, hac lege absolve, ut paulo post in proxima confessione dicat, quae modo exponi nequiverant.

2) *Necessaria complicitis* apud solum confessarium *infamia* non excusat ab integritate confessionis. „Si poenitens speciem peccati exprimere non possit nisi exprimendo personam, cum qua peccavit, puta, si cum sorore concubuit, necesse est, ut exprimendo speciem peccati, exprimat personam; sed si fieri potest, debet quaerere talem confessorem, qui personam sororis penitus non cognoscat”¹⁾. Ratio est, quia quamvis contra charitatem peccet, qui alteri creat infamiam, aut detrahit ipsi, nulla tamen ibi veri nominis detractio, ubi occurrit legitima revelandi criminis occulti causa. Numquid scilicet detractor est, qui nefarium hominem patriae exitium molientem magistratui revelat? Numquid detractor est amicus, qui admonet amicum, ut caveat ab homine sibi insidias parante? Numquid detractor est reus, qui iudicibus criminis sui reos manifestat, quando id exigit bonum publicum? Quodsi igitur dantur casus, in quibus tuta conscientia alterius crimen detegere quis potest, quodsi prout omnes concedunt, consilii vel subsidii causa peccatum alterius fido amico aperire licet, quanto magis in confessione sacramentali, ubi, quidquid iudici innotescit, inviolabili sigillo obseratur? Dicimus autem, quando aliter stare non potest confessionis integritas, et urget ipsius praeceptum. Si enim differri possit, aut detur alterius sacerdotis copia, cui minime nota sit persona criminis parti

¹⁾ S. Thom. Opusc. 12. q. 6.

ceps, tunc differendum est, alioque sacerdote utendum. Ut complicitis famae apud confessarium parcat, necesse tamen non est, ut poenitens aut *diu* differat confessionem, aut cum *notabili* molestia confessarium mutet.

Causae confessionem irritantes.

§. 77. Quoniam confessio sacramentalis ex causis pluribus irrita esse potest, quas confessarium scire oportet, ut saluti poenitentium consulere queat, brevi compendio eas indigitare juvat, ex iis, quae jam dicta sunt, aut infra dicentur, promanantes. Et quidem ratione confessarii irritatur sacramentalis confessio et iteranda est, si confessarius careat potestate Ordinis vel Jurisdictionis, vel si ipsius jurisdictio per censuram ecclesiasticam sit impedita. (Vide Caput II. Part. I.) Idem dicendum, si absolutionis formam non dicat vel corrumpat.

Ratione poenitentis omnis confessio irrita est et iteranda, a) quae fit absque intentione suscipiendi Sacramentum ipsum Poenitentiae. b) Quae ex intentione mutilatur extra casus a jure permisos. c) Quae caret omni dolore ac detestatione peccati. d) Quae fit cum insufficienti dolore, cujus imperfectio a poenitente facile cognosci potest. e) Quae fit sine justa conscientiae discussione. f) Quae fit absque voluntate satisfaciendi. Verumtamen si quis, dum confitetur, statuatur satisfacere, postea vero non impleat, illius confessio non est iteranda. „Sine poenitentia enim sunt dona Dei” ¹⁾. g) Quae deponitur extra mortis articulum apud sacerdotem in materia lubrica et turpi complicitem. Vide §. 42. n. 2. Postremo propter casus reservados iteranda est confessio, si videlicet facultate ab iis absolvendi confessarius careat. — Ceterum tenendum est monitum P. Segneri, quo sapienter docet, non dari obligationem repetendi confessiones, nisi in casu manifestae necessitatis, et in quo error sit evidens.

Partitio confessionis.

§. 78. An partitio confessionis fieri possit, quantum ad confessarium, i. e. ut quis quaedam peccata uni, reliqua alteri confiteatur sacerdoti? Praeter integritatem confessionis ex parte poenitentis requiritur ad sacramentalem confessionem integritas quoque ex parte ministri, i. e. ut uni eidemque dicantur omnia peccata, quia, sicut Deus non remittit unum peccatum mortale sine alio, ita ejus minister non potest unum remittere, quin omnia remittat. Neque enim ullum peccatum tollitur, nisi per inhaerentem gratiam sancti-

¹⁾ Rom. XI. 29.

feantem, quae conciliari et consistere non potest cum peccato gravi et mortali. Alias enim fieri posset, ut quis simul esset in gratia et damnatione, ac simul poenam aeternam propter peccatum, et gloriam aeternam propter gratiam mereretur. At id plane absurdum et impossibile est; „nihil enim damnationis est in iis, qui sunt in Jesu Christo”¹⁾. Hoc non obstante licet peccata mortalia, per oblivionem vel ob quamvis impotentiam juste omissa in priori confessione alteri sacerdoti in subsequa confessione, praetermisso priori, confiteri.

Confessionis forma externa.

§. 79. Confessio, quam *poenitens* ad conscientiae suae maculas eluendas facere, et *confessarius* excipere atque exigere tenetur, ut ex dictis constat, specifica et integra esse debet. Exposita hoc modo confessionis natura interna — quantum attinet confessarium — ejusdem quoque forma externa respicienda venit, non solum ex parte poenitentis, sed vel maxime ex parte confessarii, cui nonnisi ita comparatis confessionibus operam dare licitum est. Quaeritur primo, an confessio omnino voce fieri debeat? Nisi articulus necessitatis occurrat, sacerdoti facienda oris confessio exigitur. Nam a) militat pro hac thesi universalis Ecclesiae usus ac praxis, quae gravibus ex causis nullo non tempore viguit, nempe ne erubescat peccator confiteri, qui non erubuit Deum offendere et plerumque de peccato gloriari; b) quia multum satisfactionis obtulit, qui erubescantiae dominans nihil eorum, quae commisit, nuntio Dei aperire denegavit; c) quia vel ipse vocis sonus poenitentis dispositionem indicat, quod v. g. scriptura muta praestare nequit. Ab ea tamen praxi excusat impotentia physica vel moralis, qualis occurrit v. g. in iis, qui prae morbi gravitate vocis usu destituti sunt, vel si aeger pectore oppresso nonnisi aegre loqui possit; si unus, qui praesto est confessarius, quia vel ipse vel poenitens surdaster sit, non possit, puta in xenodochio confessionem excipere, quin poenitens ab aliis audiatur audiri que merito formidet. In his casibus fieri poterit confessio vel per signa, manuum tactus, scripturam, ostendendo in libello precum, ubi expositio peccatorum habetur, et genus et speciem peccati etc. Ex dictis sat patet, num et quantum in officio confessarii sit, a poenitente exigere vocalem peccatorum confessionem eorum, quae confessario ex poenitentis commercio vel conversatione alioquin nota sunt.

Quid vero, si poenitens scripta coram sacerdote porrigeret peccata, nonnisi dicens: „Haec sunt peccata, de quibus dolens me accuso?” Melchior Canus Theologus exceptionem hanc admittit, ut si puella verecundiae plena voces edere non queat. Verum ejusmodi

¹⁾ Rom. VIII. 1.

confessione vitium haud parvum inest, quod communi Ecclesiae consuetudini repugnet; in tota enim Ecclesia hic usus est, ut confessio non admittatur, (excepta impotentia oretenus confitendi), nisi poenitens peccata sua voce proferat.

Confessio per literas aut internuntium.

§. 80. Non nos latet, hanc quaestionem, an confessio in ordine ad absolutionem absentis sacerdoti fieri possit per literas aut internuntium? ante decretum Clementis VIII. multum fuisse disceptatam. Verum quid post decretum hocce juris sit, nulla potest esse inter catholicos controversia. In hoc decreto, quod 20. Jul. 1602. emisum est, summus Pontifex propositionem, quae dicit: *licere per literas sive per internuntium confessario absentis sacramentaliter confiteri, et ab eodem absentis absolutionem obtinere*, ad minus ut falsam, temerariam et scandalosam damnavit et prohibuit. Et cum in decreto simul prohibeatur, ne deinceps quovis modo ad praxin deducatur, sequitur, absolutionem ejusmodi, etsi forsitan antea valere potuisset, post decretum certo non illicitam tantum fore, sed prorsus invalidam. Quam sapienter hoc a Sancta Sede fuerit statutum, cuilibet perspicuum est; nam si ita liceret confiteri, jam nullus fere esset pudor peccandi, nulla in confessione verecundia, nulla pene Sacramento reverentia. Accedunt multa alia incommoda, atque illud inter cetera, quod sacerdos absens ignoraret, an poenitens post literas non iterum peccaverit, aut mutaverit voluntatem recipiendi absolutionem. Deinde illud praecipuum, quod non insolitum modo, verum etiam inauditum sit, in Ecclesia iudicium sacramentale unquam inter absentes exercitum fuisse. Postremo absolutionis formam humana et proprie dicta voce exprimendam esse, demonstrat tum Ecclesiae praxis, voluntatem Christi manifeste indicans, tum Florentini Concilii auctoritas, ubi Poenitentiae forma in his verbis, cum dicit sacerdos; „Ego te absolvo a peccatis,” posita esse declaratur. Jam pronomen *te*, vel aliud aequivalens, in forma absolutionis ad personam praesentem non minus dirigi videtur, quam vox „hoc est” in consecratione ad praesentem dirigitur materiam. Aliud est in absolutione a censuris, quae quia scripto, hinc et absentis impertiri potest.

Quod vero attinet *praesentiam*, quae ad absolutionem imperitiendam requiritur, sufficit adhuc *moralis*, quae in eo consistit, ut sacerdos et poenitens se invicem audire possint, ea voce loquentes, qua homines in communi colloquio uti solent. Hinc quamvis poenitens jam exivisset ex confessionali, si tamen adhuc sit in praesentia morali, absolvi potest et debet.

Confessio per interpretem.

§. 81. Etsi propter periculum famae et scandali nemo obligetur ad confitendum per interpretem, nisi forte in articulo mortis¹⁾, certum tamen est, licitum esse cuique linguae ignaro confiteri peccata in praesentia sacerdotis per interpretem; quae utique confessio valida erit, ut absolutio conferri possit. Est enim diversa ratio, quam ubi de internuntio agitur: quia quando internuntius refert peccata sacerdoti, poenitens non est praesens; per interpretem autem signo et nutu ostendit poenitens, se ejus reum esse, quod interpretes dicit, et sic verum est Sacramentum. Interpretes autem monendus est, ut, quae audivit, omnino occultet peccata.

Modus excipiendi confessiones.

§. 82. Antequam confessarius ad confessiones audiendas se accingat, 1. brevi sese armet ac praeparet oratione et meditatione. Hoc enim sacri tribunalis opus, etsi pium, tamen usque adeo difficile est, ut, nisi singularis Dei gratia praesto sit, nullae vires humanae ratioque nulla ad illud recte perficiendum sufficiant, testante Scriptura: „Quod nemo possit corrigere, quem Deus deseperit”²⁾. Cui haud absimile est illud: „Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam”³⁾. Quare confessarius, ne suae et alienae periculum salutis incurrat, accessurus ad sacrum tribunal, magnam concipiat in Deum fiduciam, suae sapientiae et prudentiae diffidens; lumen dirigendi animas, quas Salvator noster sanguine suo acquisivit, et auxilium difficultates sine offensione superandi imploret, praemuniens se firmo proposito leges patientiae et mansuetudinis observandi, una cum intentione absolventi, prout cujusque exigit dispositio. S. Carolus Borromaeus pie de hac re confessarios monet: „Quia in hujus Sacramenti tractatione, praefatur S. Praesul, multa inveniuntur pericula, ne scilicet errent in variis quaestionibus et obligationibus decidendis, quae in illud forum veniunt, vel absolutionis gratiam re ipsa indignis impertiant, vel aliquo modo animam suam inquinent, dum multorum inquinamenta et foeditates audire necessarium est; nunquam ad tantum hoc officium sese confessarius accingat, quin prius brevi aliqua oratione, prout res fert, lumen et gratiam a Deo petat, ut non solum in nullam reprehensionem vel errorem incidat, verum aliorum sordes si abstergere valeat, ut se ipse non polluat: simul etiam Deum orabit pro vera emendatione eorum, quorum confessiones auditurus est.” — Versiculi orationi praemit-tendae accomodatissimi sunt:

¹⁾ Reiffenstuel Theol. mor. tract. 14. dist. 7. q. 1. — ²⁾ Eccle. VII. 14. —

³⁾ Psalm. CXXVI. 1.

Cor mundum crea in me Deus, et Spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui, et Spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas, et impii ad Te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae, et exultabit lingua mea justitiam tuam ¹⁾.

2. Sic praeparatus accedat ad sacrum tribunal prompto animo et cum gaudio, quod Deus ipso dignetur uti adjutore ad opus tam praecellens; cum affectu miserationis pleno, memor illius, quod Salvator optinus dixit: „Misereor super turbas”; cum vero animarum zelo, quo ardebant sancti confessarii, Franciscus Xav., Carolus Borr., Franciscus Salesius, Philippus Neri et alii. Accedat demissis modeste oculis, caput bireto opertum, cum veste talari et superpelliceo vel rochetto, cui conveniens esset superimponi stolam coloris violacei.

3. Memor, se a poenitente patris nomine compellari, ejus confessionem amore affectuque paterno excipiat. „Intellige, quae sunt proximi tui, in te ipso”²⁾). Modestiam singularem in tota corporis compositione servet. Nunquam intueatur in vultum poenitentis, quem audit, potissimum si de sexu altero sit, utatur auribus, non oculis. Neque circumspiciat huc illuc in aliorum adstantium vultum. Cautela haec est necessaria, ne aut poenitenti incommodus accidat, aut tentationi, aut suspicionibus sinistris semet objiciat. „Debet sacerdos, ait S. Franciscus Salesius, cavere, ne vultum sibi confidentis, maxime mulieris, respiciat, ne confitens confundatur, et ne ipse delectatione illicita capiatur.”

4. Durante confessione praesentem, quantum fieri potest, Deum menti suae habeat, corque suum ad illum attollat, quo dona Spiritus sancti in se et poenitentem adducat.

5. Accusationem poenitentis ex regula non interrumpat, sed sinat poenitentem dicere, quae in conscientiae examine dicenda praeparavit, etsi nec numerum peccatorum, nec circumstantias aggravantes, neque etiam ea, quae ex peccato consequuta sunt, commemoret; metus enim est, ne quaestionibus interjectis ille perturbetur, et ceterorum reliquorum obliviscatur. Male hinc agunt confessarii, qui intempestive poenitentem urgent, ut quam citissime negotium suum absolvat. Neque aegre ferat, si ad unum alterumve poenitentem expediendum tempus consuetolongiusrequiratur. Hinc ea, quae inquirenda vel monenda videntur, ad finem reservanda sunt, nisi aliae rationes aliud suadeant; scilicet, si longae et generales

¹⁾ Psalm. L. — ²⁾ Eccli. XXXI. 18.

confessiones fiant, et multo magis, si a pluribus annis vitiatæ fuerint, consultum esse potest, ut poenitentes interpellentur, ast nunquam non suaviter et amice, ne terreantur; vel si communes confessiones scripto fiant, haud erratum arbitramur confessarium, si mature confitentem interpellat, cum sic timendum non sit, ne poenitens confessarii interpellatione turbatus, peccatorum aliquorum obliviscatur, ut qui ea in charta annotata habet: Quodsi poenitentem ex quacunque ratione non intellexeris, mox interroges, ut repetat.

6. Ubi poenitens multa inserit ad rem non pertinentia v. g. rei familiaris, peccatorum ab aliis admissorum expositionem, vel si, quæ satis jam exposita sunt, denuo repetat, discrete et comiter monendus est, ut confessionem ad ea restringat, quæ propriae conscientiae curam attinent. Monendus etiam est, ut a nominandis complicibus absteat, verum suaviter, et qui durius corrigatur.

7. In decursu confessionis, si confessarius poenitentem animo perplexum animadvertat, aut aliquo pudore retineri, potissimum si peccata habeat declaratu difficiliora, adjuvet eum dicatque, quæ eum solari, aut ei fiduciam ingerere possunt, benigne commonendo, peccati cujuslibet confessionem esse actum virtutis Deo acceptum, ipsique poenitenti honorificum; peccare quidem humanæ conditionis et infirmitatis esse, peccatum vero per poenitentiam diluere, virtutis.

8. Dum poenitens de enormi aliquo scelere se accusat, caveat poenitentiarius, ne stuporem suum aut horrorem quocunque demum modo prodatur, ne illi os obturet, antequam totum dixerit; potius ad novam illum fiduciam adhortetur, ne quid eorum, quibus conscientia pravatur, occultet. Illud etiam propterea cavendum, ne adstantibus suspicionem peccati alicujus gravis confessione expositi præbeat, et subsequentes peccata sua confessuros absterreat, timentes, ne et ipsi hac ratione manifestentur. Quare in excipienda confessione faciem diligenter strophilo, aut alia re obtegat, ne ex vultu signum aliquod displicentiae, ex narratione peccatorum haustae, colligatur; manum sinistram, si forte eam super genua depositam habet, quietam tenere advescat, ne varia agitatione suspicionem aspicientibus moveat commotionis ob gravia poenitentis delicta conceptae.

9. Neque cotemendum est monitum, ut non altiori nimis voce loquatur, ne adstantes contra voluntatem nonnunquam peccata audire cogantur, et, quod pravissimum est, ipsimet postea a confessione tali sacerdoti facienda deterreantur.

Postremo sit lex universalis, ne unquam confessarius poenitentem moneat, aut urgeat, ut sibi et non alteri confiteatur. Absit omnis aegritudo, si alium adeunt derelicto priori. Quid enim? „Dum omni modo — Christus annuntietur, in hoc gaudeo et gaudebo”¹⁾.

1) Phil. I. 18.

Locus et tempus excipiendae confessionis.

§. 83. Quod *locum* attinet, praescribitur in ritualibus diocesanis *sedes confessionalis in Ecclesia*. Minus convenire saepenumero confessiones excipere in sacristia inter turbas et colloquia ibi versantium, exeuntium et intrantium, facile perspiciet qui reverentiae, quae omni, et nescio cur minus Sacramento reconciliationis cum Deo debeatur, ubi tot et tanta Dei beneficia conferuntur, immemor non est. Pariter praecipitur, ut *sedes poenitentiales* cratibus ferreis vel ligneis munitae existant. Prohibitum autem omnino est, in aedibus privatis confessiones foeminarum praeterquam aegrotantium audire.

Dubium non est, quin pastor animarum subditorum suorum confessiones eo tempore, quo videlicet ipsi confiteri tenentur, utpote tempore paschali, et in articulo mortis, necessario audire cogatur. Sed et extra illos casus necessitatis plurimum congruit, decetque sacerdotem ad confessiones excipiendas deputatum, ne hac in parte Christi fidelibus ullo unquam tempore desit, aut in se aliquid jure merito desiderari patiatur. Sane animarum curatores, ratione officii eisdem injuncti, tenentur solliciti esse pro ovibus suae curae commissis juxta illud Ezechielis: „Vae pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne greges a Pastoribus pascuntur? Lac comedebatis et lanis operiebamini?” Et sequitur: „Quod infirmum fuit, non consolidastis, quod aegrotum, non sanastis, quod confractum est, non alligastis, et quod perierat, non quaesivistis etc.”¹⁾ Ex quibus colligitur, obligatos esse eos, quibus cura animarum demandata est, pascere gregem, non solum in necessitate, sed extra eam quoque, si qua ovis sit confracta, si aegra etc., adeo, ut non excusentur a peccato, si, quoties petierit poenitens sanari et consolidari, Sacramentum Poenitentiae ab eo petitum non ministretur. Igitur fidelis animarum pastor omnibus peccata sua confiteri volentibus, nullo non tempore praesto erit, atque vocatus a poenitentibus, quamvis tempore minus commodo, absque omni tamen aegritudine, et pia potius alacritate sacrum tribunal adibit, ut intelligant, rem plenam solatii illi esse, salutem aliorum curare. Profecto omnem animum et fiduciam adimit ille, qui poenitenti vel vultus sui signo ne dicam verbis morosis, sat luculenter testatum facit ab eo se nunc molestari. Non negamus quidem, grave nonnunquam accidere confessario, se saepe saepius turbari a poenitentibus: ast bonus animarum pastor — ad exemplum Sanctissimi Salvatoris, poenitentes omni tempore benigne suscipientis²⁾ — has molestias facile supportabit, si perpenderit, quantopere per hoc ministerium Dei gloriam pro-

¹⁾ Cap. XXXIV. 2. 4. — ²⁾ Joan. III. 2. Matth. XII. 12. Luc. VII. 50.

movere, proximoque prodesse, et proprium meritum augere possit. **A**mor onus non sentit, et labores non reputat. Quo amore inflammatus non tantum *vocatus* officio incumbet, verum etiam *sponte* in vespere diei solemnioris, omnique die dominico atque festivo in Confessionali statuta hora comparebit, sive poenitentes adsint, sive non adsint.

Der Geistliche höre an jedem Tage (Werktage oder Feiertage) den Sünder, der beichten will. Er trachte, dass es in seiner Gemeinde an jedem Sonn- und Feiertage Beichtende gebe. — Er erscheine an jedem Sonn- und Festtage unaufgefordert im Beichtstuhle. Muster ist hierin Jesus Christus, unser Oberhirt, der vom Himmel auf die Erde gekommen ist, um zu *suchen*, was verloren war; ja sich selbst mit einem Hirten vergleicht, der nicht wartet, bis ein Schäflein ihn suchet; sondern die neun und neunzig in Sicherheit befindlichen verlässt, um das verlorne wieder zu finden. Luc. XV. Was unser Oberhirt that, hat auch der Geistliche als Knecht Christi um so mehr zu thun, als die Nichtnachahmung seines Beispiels gross und unübersehbar in ihren Folgen ist¹⁾.

Articulus II.

De poenitentibus interrogandis sive examinandis.

Jus et obligatio confessarii poenitentes examinandi.

§. 84. Si, quod res est, fateri velimus, nullius plus interesse debet, quam poenitentis, ut peccata sua integre et plene fateatur, quandoquidem tribunal istud a ceteris peculiare hoc habet, quod in eo absolvatur, qui crimen fatetur, damnetur, qui tacet; ut itaque confessarius potius audiat, quam interroget poenitentem: tamen teste experientia aliter res se habet. Saepe usu venit, ut poenitentes sive ex ignoratione, sive defectu cognitionis sui ipsius vel legum divinarum, sive ex perplexitate, sive ex immaturo pudore, sive quia conscientiam suam non sufficienter scrutati sunt, sive denique, quod propria ipsorum nequitia cor eorum excaecavit, et conscientiae stimulos suffocavit, quia abstinere a peccato non volunt, sinant ignorare confessarium, quibus ipsi malis spiritualibus conficientur, et quantis in angoribus haereat eorum conscientia. Quo fit, ut nec confessio sit integra, nec ullum Poenitentiae Sacramentum. Confessarii autem interest, quantum per ipsum fieri potest, efficere, ut integra sit confessio. Et quidem ratio est, quia cavere tenetur minister, ne quid Sacramento, quod administrat, desit. At confessio est materia Sacramenti Poenitentiae, igitur confessario pro virili conandum, ut sit integra, sicut Jesus Christus praecepit. Ad hoc igitur confessarius et jure gaudet et obligatione stringitur, poenitentem interrogandi sive examinandi, si ipse non satis peccata

¹⁾ Schmid's Liturgik. 2. Bd. S. 116—120.

sua explicaverit, omnemque animi sui statum explanaverit. Utrumque per se promanat ex triplici munere *judicis, medici et doctoris*, quo in sacro tribunali confessarius fungitur. Accedit *amor Dei et proximi*, quo scilicet abusum sacrae Religionis omneque sacrilegium pro virili impedire jubemur. Hoc poenitentium examen inculcant sacri Canones sanctique Patres. Canon: „Omnis utriusque” Concilii Lateranensis IV. sub Innocentio III. Summo Pontifice celebrati id a confessario verbis claris exigit. „Sacerdos sit discretus et cautus, ut more periti medici superinfundat oleum et vinum vulneribus sauciatis; diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati.”

Materia quaestionum.

§. 85. Ex dictis in propatulo est, non semper, et in omnibus interrogandum esse. Ubi nimirum confessarius ex ipsius poenitentis confessione et peccata et omnem animi statum integre pernoctat, munere suo fungatur, quippe causa alioquin cognita, quin quaestionibus tempus inutiliter perdat, aut confitentem molestat. Quodsi autem poenitentis vel *peccata*, vel *animi status*, videlicet *character moralis*, et *dispositio* ex propria ipsius confessione non satis pateant, examen poenitentis a confessario instituitur. De iis autem omnibus interrogare juvat et oportet, quae scitu necessaria sunt ad procurandam *confessionis integritatem* quoad *peccata* in se, atque ad obtinendam *de characterem morali et dispositione poenitentis* cognitionem necessariam. Est enim confessarius poenitentis iudex, medicus et doctor. Utut haec quaestionum momenta facile se offerant, tamen ob rei gravitatem, in commodum tyronum confessariorum, principaliora quaestionum objecta in medium proferre, breviterque discutere placet, Confessarius nimirum, si opus fuerit, tenetur poenitentem examinare:

a) De peccatis probabiliter ab ipso commissis; b) de peccatorum specie, c) numero, de circumstantiis necessario exprimendis; e) de peccatis omissionis et status; f) de characterem poenitentis morali, et hac ratione de peccato dominanti, de occasione proxima, de consuetudine, relapsu etc.; g) de dispositione ejusdem; h) de religionis dogmatibus.

Quaestiones de peccatis a poenitente probabiliter commissis.

§. 86. Num poenitens alia praeter ea, quae in confessione expressit, peccata commiserit, haud difficulter patet a) ex ipsa accusatione, quae quippe justam ulterius scrutandi ansam praebet. Peccata, quae probabilius commissa, a poenitente autem omissa sunt, dignoscuntur, si attendimus, quod quaedam peccata aliorum

initia sint, v. g. impudicae cogitationes, cupiditates, tactus etc.; quod quaedam aliis committendis irritamenta, v. g. prodigalitas; quaedam aliorum comites, v. g. lusum in popina comitantur immo-
 dici hanstus; quaedam vero ceu effectus praecedentium sequuntur. Jam vero poenitentes nonnunquam sua peccata non ex integro confitentur partim ob linguae defectum, oblivionem, inscitiam, levitatem animi, pudorem vel astutiam, qua peccata sua aliis terminis ea non satis delineantibus extenuant. Si itaque poenitens se accusat de peccato, quod natura vel indole sua facile deducit ad aliud peccatum, de hoc quoque interrogetur; v. g. si dicat poenitens, se solum cum sola fuisse, se illa praesente et audiente verba aequivoca protulisse, interroga, quantam sibi cum illa familiaritatem, quantam libertatem indulserit. Item dum ancilla se accusat de mendacio in dominam suam, facta interrogatio te docebit fraudem, quam emendo esculenta commisit; vel si servus fatetur, se in popina duos per dominicos dies mansisse, interroga, *quando?* et videbis saepe, eum *luisse*, vel bibendo tempus transegisse durante sacro, cui interesse tenebatur. Verum licet allata regula universim valeat, tamen exceptio dari poterit, ubi scilicet, cum poenitens bene instructus sit, praesumere nequis, illum quidquam, cujus se non accusat, commisisse, atque ab interrogationibus ex solo nexu delictorum desumptis abstinere oportet.

b) Regula, quod confessarius tunc examen de peccatis instituat, quando ipsa poenitentis confessio ansam praebet, non sufficit semper ad integritatem confessionis procurandam, quia etiam de peccato aliquo nulla omnino mentio fieri potest, ubi tamen confessarius interrogare poterit et debet. Ratio enim, qua confessarius ad interrogandum de peccatis commissis, a poenitente vero omisis, movetur, alia est *ipsa cognitio*, vel ex propria experientia hausta, vel ex relatione aliorum, in vel extra confessionale parta. Sic v. g. cum *foemina*, quam matrimonii vinculo non ligatam, ast gravidam agnoscit, confitetur, quin criminis sui ream se declaret; vel *puer*, quem Catecheta, qui simul confessarium agit, aliquot abhinc diebus furti ab illo patrati causa punivit; vel *ebrius*, quem ante aliquot dies ebrietate oppressum vidit, confitentur tacito illo peccato. In his similibusque casibus confessarius poenitentes interrogabit, vel potius commonefaciet, licet horum peccatorum reos se non accusent. Quodsi vero rescierit peccatum a poenitente omis-
 sum ex relatione aliorum, tunc praepremis et sedulo inspiciendum, num haec aliorum dicta sint fide digna, ne fors poenitenti injuria infligatur et fiducia perdat. Si ad ipsam quaestionem serius urgentem, nunquam non prudentem, poenitens identidem factum neget, supponendum est a confessario, notitiam suam errore et deceptione niti, aut poenitentem ignorantia impraesentiarum invicibili teneri, vel jam confessum fuisse alteri, quare absolutionem ob hanc

reticentiam solam vix unquam denegari posse arbitramur. Denique notitia de poenitentis peccato etiam ex aliorum confessione hausta, causa esse potest poenitentem interrogandi. Verum hic summa prudentia opus est, ut variis remote injectis interrogationibus peccatum eliciatur, quin violati sigilli suspicio incurratur. Vide §. 62. cas. 6.

c) Denique ansam interrogandi poenitentem praebet etiam timor fundatus in cognita indole poenitentis aut consuetudine hominum ejus conditionis, determinata quaedam peccata, licet gravia, tacendi.

De specie peccatorum.

§. 87. Doctrina ecclesiae catholicae est, ut poenitens non in genere tantum, sed quoad speciem infimam peccata sua declaret. Vide §. 67. Qua in re confessarius interrogare tenetur. Qui itaque v. g. contra castitatem peccavit, et turpitudinem suam generatim tantum fatetur, ut specificè exponat adigendus est, interrogando, quale peccatum commiserit? utrum cum foemina et quali? libera aut uxorata? affini aut consanguinea? an cum alio quopiam? Qui Deum se offendisse ait, examinandus est, quomodo? Qui confessionem specificam generico termino finit: Et insuper magnum patravi peccatum." Quale?

Non raro contingit, ut poenitens nonnisi generatim se peccatorem confiteatur, vel fieri potest, ut aegrotus, sacramentis providendus dicta culpa: Confiteor, sileat; tunc edocendus, ut peccata sua declaret, nec non adjuvandus interrogationibus prudenter tum statui, tum conditioni et aetati ipsius accommodatis. Quid vero, si nihilominus alte silet? Tunc animadvertendum, num non α) apoplexia repentina tactus loquelae usum perdiderit, quo in casu solummodo signis contritionis sese confessarius contentet; vel β) an non alia subsit causa, cur non confiteatur, aut quod detrectet ex mala voluntate, aut pudore, aut metu retineatur, quibus stantibus agendum est secundum ea, quae dicta sunt §. 67. et 72.; vel γ) an non fors acatholicus sit, qui catholicis ad speciem adnumerari cupit in extremis vitae suae, quin tamen fidei professionem emittere velit. Hic in aegrotis obveniens casus est quidem rarus, sed tamen nonnullus.

Neque tolerandus est abusus illorum, qui nisi a confessario interrogentur, nullum unquam fatentur peccatum, sed semper adigendi sunt poenitentes, ut sua sponte peccata exponant. Excipiuntur tamen, qui petunt examinari per interrogata, utpote qui parum instructi conscientiam suam sufficienter scrutari et excutere non possunt. Perperam autem agunt confessarii, qui rudes dimittunt, ut melius se examinent; nam hujusmodi homines, quantum laborent, difficulter se examinabunt, ut par est, et ita exacte, sicut potest ipse

confessarius eos examinare: et contra cum demissi sunt, periculum erit, ne exterriti difficultate se examinandi a confitendo retrahantur, et in peccatis obdurescant. Hos itaque examinabis, qui alias peccata sua specificè haud exponerent. Examinabis autem de peccatis iis tam operis quam locutionis et cogitationis, quae tum Decalogi praeceptis, tum Ecclesiae legibus, tum praecipuis virtutibus adversantur, spectata aetate, conditione, moribus et occupationibus ejusque poenitentis, quin imo spectatis adjunctis temporum et locorum, in quibus certa grassantur vitia, deducendo eum per varios vitae status, quos decurrit, per varias, quibus obnoxius fuerit, peccandi occasiones, ac demum per circumstantias, quae vel speciem mutant, vel intra eandem speciem notabiliter aggravant ¹⁾).

De numero peccatorum.

§. 88. Si poenitens numerum peccatorum gravium non expresserit, sacerdos eum prudenter interroget. Hunc canonem praecipit ipsa rei natura; praeterquam enim, quod totidem sint peccata distincta, frequentior lapsus malitiam auget, et media etiam efficaciora exinde poscit. Accedunt sacra synodus Tridentina et Rituale Romanum, quae hac de re sacerdotem monent.

Pro computando peccatorum numero exstat regula: Tot committuntur peccata, quot praecepta formaliter diversa violantur, et quoties quis idem praeceptum transgreditur. Porro attendendum est, utrum idem praeceptum *simul et semel*, an vero *successive et saepius* infringatur. Et quidem *simul et semel* tot peccata occurrunt, quot objecta moraliter distincta dantur, in quae peccatur, v. g. dum quis uno actu plures vulnerat, scandalizat. Ubi idem praeceptum *successive saepius* laesum fuit, tot peccata censentur, quoties prava voluntas moraliter interrupta et repetita fuerat, et quot actus completi occurrunt.

Quum molestissimum esse soleat negotium iis, qui confitentibus aures praebent, numeri inquisitio, quippe quum populus bibat iniquitatem velut aquam ex amne, ut calices non numeret, quos evacuat; pro praxi confessarii haec sunt:

1) Ubi numerus certus designari nequit, talis adhibeatur, qui vero videtur simillimus, addendo peccatum *circiter toties* contigisse; quare confessarius huic assertioni acquiescat, nec ad mathematicos numeros peccatorum multitudinem exquirat, sed quaerat ex poenitente, qui saepius peccat, ubi se multis vicibus deliquisse ait, quotnam fuerint

¹⁾ Cfr. Missionsbüchlein. Wien. — S. Liguorii Prax. confes. n. 21—48. vel: Der Beichtvater, oder gründliche und vollständige Anleitung für Seelsorger in allen Verhältnissen und Beziehungen ihres Seelsorger-Amtes. Von dem heiligen Alphons Maria von Liguori. Aachen, 1836. S. 38—136.

hae multae vel paucae vices v. g. per mensem, vel hebdomadam, aut dies. Ex hoc tantum accipit confessarius notitiae, quanto opus est ad finem quemcunque confessionis consequendum.

2) Quin imo si poenitens ob multitudinem peccatorum numerum eorum indicare non posset, satis fuerit, si exponeret consuetudinem et tempus, quo duravit in illa; v. g. meretrix, dum addit, se per quinque annos in hoc vitio fuisse, et quoslibet homines admisisse. Cavendum, ne cum nausea et taedio poenitentis numerus peccatorum quaeratur, si ex dictis poenitentis probabiliter et moraliter aestimari possit. P. Segneri¹⁾ ait: „Quando certus numerus sciri nequit, sufficit probabilis; perquire in genere *tempus*, sciscitare, quoties per mensem et hebdomadam illud committere sint soliti? Imo circa quosdam actus internos odii, luxuriae etc. nihil attinet, saltem *ordinarie* in longioribus confessionibus ita rigide frequentiam examinare, quia plerumque explicari non potest absque periculo errandi, sive per defectum, sive per excessum; sed satis erit habere rationem temporis, quanto quis in discordia vixerit, quanto quis mulieri vel concubinae cohabitaverit vel fuerit familiaris; neque enim novum est, res, quae ad calculum solent numerari, expendere ad mensuram.”

3) Qui post discussam diligenter conscientiam peccatorum suorum addito verbo *circiter* approximativum numerum aperuit, non tenetur postea ex hoc uno titulo repetere confessionem, si in numero excessus, vel in se, vel respective ad magnam summam, exiguus detegatur. E contra si multitudo numerum in confuso allatum notabiliter excedat, talis redeunte hujus memoria defectum utique supplere debet. Regula haec docebit confessarium, quomodo se gerere debeat cum iis, qui de numero peccatorum suorum anxii sacro tribunali se sistunt.

Ex. gr. Sempronia confitetur, dominam suam emendis esculentis defraudasse. Num hoc saepius actum est? Saepius. Quoties ab ultima confessione? Decies. Quanta est argenti summa? Nescio. Quae fuit circiter singulis vicibus? Inde computatio a sacerdote fiat.

Cajus de mollitiei crimine se accusat; interrogatus, quot vicibus sese commaculaverit, respondet, se nescire prae multitudine actuum. Ergo quoties ab ultima confessione? in mense? in hebdomada?

De circumstantiis peccatorum.

§, 89. 1. Confessarius quaerat, ubi necesse fuerit, et poenitens haud indicaverit, de circumstantiis. Sunt vero hae duplicis generis; aut speciem mutantes, aut insigniter malitiam aggravan-

¹⁾ In Instr. Conf. c. 2.

tes, aut notabiliter minuentes. Prioris generis illae dicuntur, quae actus humanos transferunt in aliam speciem peccati ab ea, quam habent ex objecto suo. Sic circumstantia personae conjugatae transfert peccatum carnis a specie fornicationis ad speciem adulterii, dum actui luxuriae superaddit novam malitiam adulterii. Furari rem sacram facit ex furto sacrilegium ¹⁾. Circumstantiae aggravantes appellantur illae, quae malitiam actus ex objecto desumptam intra eandem speciem peccati duntaxat aggravant, seu majorem reddunt, non autem superaddunt novam speciem distinctam ab ea, quam actus habet ex objecto. Sic gravius est furtum ejus, qui furatur viginti florenas, quam qui furatur tres; gravior est detractio ex proposito, quam ex levitate animi facta.

2. Quod circumstantias speciem mutantem attinet, eas in confessione aperiendas esse Concilium Tridentinum sat clare docet ²⁾, ut et confessarius poenitentem rite dijudicet, instruat, moneat atque emendet. Quamvis autem Concilium tantum mentionem facit de circumstantiis speciem mutantibus, tamen rationes, quae pro his aperiendis militant, etiam pro circumstantiis solum aggravantibus valent. Nam sine his peccatum neque integre exponitur, neque, dum supprimitur malitia mortalis, quam nonnunquam peccato circumstantiae addunt, — ita sacerdoti innotescit, ut pro criminis gravitate ac statu morali poenitentis recte judicare, aut pro illo congruentem poenitentiam imponere possit. Quis v. g. non videt, majorem malitiam esse in eo, qui ut hominem interficiat, prius ipsi amputat brachia et pedes, et oculos effodit, quam in eo, qui solo ictu alterum occidit. Hinc Catechismus Romanus docet: „Neque solum peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa, quae unum quodque peccatum circumstant, et gravitatem valde augment aut minuunt” ³⁾. Idipsum confirmat praxis Ecclesiae, quae aliquando reservat peccata propter circumstantiam aggravantem, et constat ex multis poenentialibus et ritualibus libris, tum antiquis, tum recentioribus.

3. Circumstantiae, quae ad actionem moralem nullo modo aut leviter spectant, ut plurimum omittendae sunt, inprimis quae dicuntur mere naturales, et quae simplicitati confessionis obsunt magis, quam prosunt. Quae autem notabiliter minuunt, circumstantiae, licet speciem non mutant, eas quoque praeterire non debet poenitens, non ut quaerat excusationes in peccatis, sed ut confessarium instruat, qui de iis interrogare tenetur, ne iudicium pervertatur, e. g. si quis semisopitus, vel sui non satis compos, in turpitudinem consensit. Ast quandonam circumstantiae occurrentes notabiliter aggravantes imminuentesque censi debent? R. Momenta circumstan-

¹⁾ Cfr. Maldon. Tom. II. p. 279. — ²⁾ Sess. XIV. cap. 5. — ³⁾ P. 2. c. 15. q. 41.

tiarum sentiri potius, quam ad apicem determinari posse. Vide igitur praeter regulas doctrinae moralis, quid homines prudentes et timoratae conscientiae, de circumstantiis, quae in dato aliquo casu occurrunt, passim sentire consueverint; generatim attendi debet, an ex circumstantiis peccato principali nova malitia, vel major atrocitas accedat, vel an ejusdem numerus multiplicetur.

4. Si igitur poenitens de gravi peccato se accusaverit, quin necessarias circumstantias expresserit, ad officium confessarii pertinet, de necessario exprimendis circumstantiis speciem mutantibus et aggravantibus sedulo interrogare, ut munere suo undequaque fungi possit. Septem sunt circumstantiae, quae vel speciem peccati mutare possunt, vel illud non mediocriter augere, eaeque hoc versiculo continentur: **Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo quando.**

E. g. „Quis” personam designat. Si poenitens se contra castitatem peccasse accusaverit, quaeret ex eo confessarius: **Uxorem duxisti? esset enim adulterium. Sacris ordinibus initiatus es? tum enim sacrilegium esset. „Quid”** indicat materiam peccati: **nun** gravis an levis, **sacra** an profana; **qualitatem personae, in quam** vel quacum quis peccavit: **utrum complex peccati consanguineus** vel affinis? **quo in gradu? „Ubi”** locum spectat: **utrum in loco** sacro, an profano? **publico, vel privato? num forsitan coram alio** qui scandalum passi sunt? **„Quibus auxiliis”** innuit **qualitatem personarum, instrumentorum mediiorumque, quibus quis usus est ad** peccatum committendum; **ut si ad peccandum socios vel conscios** adhibuerit **liberos, famulos; si quis veneno, an ferro, an insidiis et** industria **positis alium occiderit; si fraude an mendacio facinus ad** jutum fuerit, etc. **„Cur”** finem respicit, **ob quem quis peccatum** patravit. **Cur mentitus es? Cur oblocutus? Num, ut oblectareris** atque **luderes, an noceres? Num per odium et invidiam, an pro** imprudentiam **vel levitatem hoc dixisti, fecisti? Cur furatus es** **Utrum ex nequitia, an ex egestate? „Quomodo”** modum designat **quo actus perficitur. Num vi, an dolo re aliena potitus es? Num vir** ginem **violasti vi, an adulando, promittendo, donando ad peccatum** allexisti? **„Quando”** notat tempus. **Festusne erat dies, an ferialis** **Num tempore SS. Missae in ecclesia, an extra illam malis cogita** tionibus **inhaesisti?**

Semperne circumstantiae temporis et loci peccatum novum indicant? Ple rique **triplicem statum ponunt. a) Vel enim peccat, aut peccare vult in** loco **aut tempore sacro eo animi proposito, ut loci temporisque sancti** tatem **violet. b) Vel admittit, aut admittere vult aliquod peccatum cur** sanctitate **loci aut temporis pugnans ratione praecepti prohibentis** **c) Vel denique admittit, aut admittere vult alia peccata cum sanctitat** loci **et temporis non ita pugnantis, non eo fine, ut sanctitatem violet, se** alio, **quem sibi peccantes proponere solent. Si primum non dubito, spe** ciale **peccatum committi ratione loci et temporis sacri, cujuacumque ge** neris **sit illud peccatum, quod pravo illo animo peccans committit, an**

committere statuit. Si secundum, etiam peccatum admittitur speciale, si quis in loco sacro sanguinem aut semen effundat, aut furetur, si quis in die festo opus servile publice faciat. Si tertium, non committitur speciale peccatum ratione temporis et loci sacri, quare nec opus est, talem circumstantiam confiteri, prioribus autem illis modis eam circumstantiam confiteri necesse est. Circumstantia peccatum non immutans esset, si e. g. puer mentiretur in ecclesia, ut poenam effugeret, vel die dominica domi irasceretur.

De peccatis omissionis et muneris sive status.

§. 90. Quoniam lex Dei non solum prohibet malum, sed et bonum inculcat, et praecepta, quibus malum prohibetur, pro fine habent bonum illi oppositum, et quoniam a sanctissimo Salvatore bonorum operum fructus ferre jubemur, confessarius etiam de officiis positivis, aut affirmativis examen suum instituet, quam primum ea a poenitente non explicite respici animadverterit. Etenim boni Christiani non ideo sumus, quia a malo abstinemus; satis est, omittere bonum, ut in Dei iudicio damnemur. Arbor, quae non fert fructus bonos, excindetur et mittetur in ignem. Gravissimam non raro materiam constituunt peccata *omissionis*, praesertim, ubi talia officia negliguntur, quibus ex *munere* et *vocatione* obstringimur. Pleraque enim mala, quae accidunt, inde proficiscuntur, quod poenitentes conditionis suae ignorent officia, vel sin minus, saltem ad illa animum non advertant. Sunt quidem ex iis, qui ad sacrum Poenitentiae tribunal confugiunt, sunt, inquam, qui confessariis et status sui obligationes, et quousque illis defuerint, plene et sincere exponant, sed proh Deus! quoti eorum, etiam qui potissimas in republica ecclesiastica et civili partes agunt, altum et exitiale habent ea de re silentium? Quoti nesciunt, aut nescire videntur, eos unos ad vitam ingredi, qui non hanc aut illam, sed omnem prorsus justitiam implent? Quoti sic *hominis* aut etiam *christiani* peccata confitentur, ut, nisi sedulo interrogentur, vix unquam peccatorum *status sui* meminerint? Non solum homines rudes et plebeji, sed multi quoque ex cultioribus de salute sua sibi satis securi videntur, ubi conscientia de peccato graviore commissionis illos non redarguit, et tamen hi ipsi officia summi momenti saepe negligunt. In officiis igitur confessarii est, poenitentem hac de re examinare, prouti ipsi visum fuerit, inprimis ubi se sistunt poenitentes, qui a longo jam tempore confessi non sunt, et nihilominus parum proferunt, de quo se accusent. Interroga patremfamilias de educatione, institutione, correctione prolium, et de exemplo, quo familiae suae ad virtutem praecurrit. Interroga virum in dignitate, in officio publico positum de iis, ad quae vi muneris obligatur, — ast *servata prudentia*. Fit enim, ut, qui irreprehensibilis sit in actionibus hominis privati, sit per omissiones aut negligentiam in rebus officii sui reprehensibilis. Nihil erat in persona summi sacerdotis Heli, quod merito

culpaveris, quia tamen erat pater adversus filios suos nimis indulgens, vindictam divinam in se et universam familiam suam provocavit.

Quaestiones de morali poenitentis characterem.

§. 91. Examen, quod confessarius cum poenitente, ubi necesse fuerit, instituendum habet, ad scopum tam instructionis et medicinae peccatori adhibendae, quam dignoscendae ejus ad veniam peccatorum a Deo obtinendam dispositionis dirigitur. Quoad utrumque finem confessarius non solum singula peccata nosse debet; verum etiam *universum poenitentis characterem moralem*, nec non maiorem radicem et fontem in praedominanti quadam cupiditate positum, nam hac demum obtenta cognitione, determinare poterit, quid et quomodo cum poenitente, quem ad sincerum et efficax emendationis et uberius perfectionis studium perducatur, agendum sit. Sic praevia mentis indole rescire oportet, num confitens literarum cultura polleat, an vero sit incultus atque ignorans. Si primum; num sciat veritates religiosas, nec ne; an eas addubitet, in iis nutu earumque indifferens sit. Si alterum; an haec ignorantia sit culpabilis vel inculcata, num versetur circa essentialia doctrinae christianae, vel accidentalia, circa externa Religionis exercitia vel interna fidei dogmata? — Pro varia affectionum indole aliae sunt instructiones, si poenitens praeditus sit animo torpescente, lento, rudi vel duro, idque aut ex nativa animi indole, aut ex defectu educationis, aut ex circumstantiis status et commercii? vel si irritabilis, vividus, vehemens, cito exardescens, tristitiae amans, asper, morosus, anxius, scrupulosus etc. — Pro varia voluntatis indole aliter tractandus est poenitens, qui ex levitate aut inanimadvertentia peccat, aliter qui ex nequitia et mala voluntate agit. Aliae sunt instructiones et medicinae ad praepedienda et debellanda peccata in peccatore, qui a) vel semel lapsus est, vel b) qui quaque occasione data relabitur, vel c) qui consuetudine detinetur certae peccati speciei. Alius agendi modus cum poenitente, qui in Religione instructus est, alius, ubi religiosarum veritatum ignorantia laborat. Quae omnia in censum venire debent, ni confessarius officio suo rite fungendo desit. Quapropter de his omnibus conscientiae arbiter quaeret, quae ad poenitentis characterem moralem explorandum inseruire possunt. Hinc in specie inquirere debet: α) Quanam fuerit occasio, qua quis ad peccandum inductus fuerit, num et haec adsit? Id enim rescire opus est, partim ad fontem peccati detegendum, partim ad danda consilia vitandi aut mutandi occasionem proximam peccati. β) Quae fuerit poenitentis praeterita vivendi agendique ratio, utrum se hoc in peccato jam ex tempore ante ultimam confessionem, et quoties commaculaverit, quo patebit, num sit consue-

ordinarius peccator nec de. γ) Quin imo interroget de relapsuum causā, utrum contingant e negligentia, quatenus in adhibendis mediis a confessario dictatis socors est, vel ex vi tentationum solito vehementiorum, vel ex mera fragilitate humana; hinc patescet, num sit recidivus censendus, vel proprie consuetudinarius inveteratus. Plura hāc de re infra Sect. II. §§. „Peccata occasione nata confidentes“, et „Peccata ex consuetudine nata confidentes.“

Ad dignoscendum statum moralem poenitentis, ut ei tum fructu mederi possit, confessarius *mali radices fontemque peccatorum in praedominanti quadam cupiditate positum* investiget. Actiones enim malae corpus sunt, seu exhibitio alicujus praedominantis affectus mali; certa peccaminosa inclinatio mater est plurium peccatorum. Sic pertinacia, rixandi cupido, inobedientia erga superiores non raro ex praedominanti superbiae affectu nascuntur; detractio, calumniae, odium, filiae sunt abominabilis invidiae; avaritia seducit ad dolum, fraudem, duritiem, quin imo ad pejorationem et perjurium; qui irae vehementiori non dominatur, proclivis est in opprobria, maledicta, calumniam etc. Intemperantia generat rixas, libidines, impudicitias, neglectum officiorum etc. Nec tamen eadem peccata, quae foras erumpunt, easdem habent radices, sed ex diversis saepe affectibus eadem extra prodeunt scelerum facies. Inimicitiae nimirum, injustitiae, damnosa officii erga Deum vel proximum neglectio in his quandoque oriuntur e dominante superbia, in illis e livore, in aliis ex avaritia, in pluribus ex insito rerum spiritualium fastidio.

Hoc qui minime norit, dum infirmum poenitentem tractare velit, id faciet unum, quod illi, qui morbum tegunt, sed nusquam sanant, quia mali radices et fontem, ut discernere nesciunt, ita nec resecare, nec obturare valent. Unde confessarius, nisi jam ex ipsa poenitentis accusatione peccatorum radices sua sponte cognoverit, tenetur per interrogata hanc sibi comparare scientiam. Interrogabit v. g. cur poenitens hoc illudve peccatum, puta furti, detractionis, odii etc. commiserit. Dicit forte alter id a se factum, quia despectus fuit, et laesa ejus fama; et is superbus est. Alter, quia sibi illatum erat damnum; et is avaritiae fuliginem praefert. Alter, quia obturbata est quies ejus atque voluptas; et is servit malae libidini. — Atque hac originis et propaginis, quae peccata nascuntur, seseque excipiunt, notitia carere non posse eum, qui salubriter muneris directoris et medici spiritualis satisfacere velit, explorata res est.

Quaestiones de dispositione poenitentis.

§. 92. Jam ex supra memoratis quaestionibus dispositio poenitentis dijudicari poterit, si omnia simul junctim pensitentur. Attamen plura alia supersunt quaestionum momenta, quae specialiter in

hunc finem servire possunt. Inter haec *primum* occupat locum 1 quaestio *de obligationibus peccatum consequentibus*, e. g. alieni restituendi, cum inimicis se reconciliandi, occasionem proximam deserendi, nempe an poenitens has obligationes jam expleverit, an explere coeperit, aut saltem explere paratus sit. Ex his enim responsionibus animadvertere est, quodnam conamen hucusque ad emendationem (vel motu proprio, vel confessariorum jussu) adhibuerit; quaeque contrariae virtutis opera exercuerit. Major minor gradus promptitudinis has adimplendi obligationes, et virtutes peccato contrarias exercendi, majorem vel minorem indicat gradum dispositionis ad sacramentalem gratiam obtinendam.

2. Quaeratur de *tempore*, quantum nimirum elapsum sit, quo poenitens criminum suorum apud confessarium se accusarit, in specie, ex quo ultima vice certae speciei peccatum commiserit. Confessionis dilatio justo longior causa est saepe, ut homines in eadem recidant peccata, et in actionibus suis Deum obliviscantur, unquam fit, ut conscientia tenera non gaudeant. Ubi vero confessarius advertit, longius intercessisse tempus, ex quo poenitens certum aliquid peccatum patravit, sciscitabitur de causis intermissi peccati num ex vera cordis emendatione, scilicet amore Dei profluxerit, an ob defectum occasionis, irritationis, aut tentationis vehementioris vel ob timorem infaustorum consecratorum id factum fuerit. In responsis procul dubio patebit, utrum ad gratiam sacramentalem obtinendam legitimo dispositus sit, nec ne.

3. Percunctabitur confessarius *de vero peccati commisso dolore*, et serio de cetero non peccandi proposito, num scilicet poenitens doleat ex animo de peccatis? an habeat propositum serium vitandi peccatum? num tempus impenderit, ut se diligenti examini praepararet, a Deo poenitentiae gratiam peteret, seque ad verum dolorem excitaret. Considerabit tamen confessarius, utrum praeparationis defectus ex poenitentis ignorantia, an negligentia processerit, atque tunc illi opitulabitur, edocendo, quomodo conscientiae examen instituere debeat, excitabitque eum ad sinceram desuper contritionem.

4. Nec inutile erit, exquirere, *numquid irrogatam sibi satisfactionem* (poenitentiam) *impleverit?* cur illam praetermiserit? hoc ex notabili accidit negligentia, quamdiu neglexerit? ubi erit, quaerere, utrum confessionis tempore habuerit satisfaciendam voluntatem; alias enim illa nulla fuisset, et esset iteranda. — In his omnibus simul junctis tam generalibus quam specialibus quaestionibus certiore se reddet confessarius de poenitentis legitima dispositione ad veniam peccatorum a Deo obtinendam.

Quaestiones de veritatibus religiosis.

§. 93. Ad statum moralem et dispositionem poenitentis, dignoscendam plurimum confert nosse, quali Religionis scientia et fide poenitens polleat. Praeterea ad suscipiendum Sacramentum Poenitentiae, quod SS. Altaris Sacramentum consequitur, debita in Religione catholica scientia requiritur. „Fides est humanae salutis initium, sine illa nemo ad filiorum Dei consortium potest pervenire, quia sine hac nec in hoc seculo quisquam justificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit aeternam”¹⁾. Quare, ubi confessarius dubitandi causam habet, an poenitens necessaria Religionis scientia et fide gaudeat, per interrogata investiget. Quem defectum de iis suspicari licet, qui rudes sunt, salutis incurii, et in frequentandis concionibus negligentes. Hoc examem quoque ad eos extendi potest mundanos homines, qui in tractandis saeculi rebus, et solertiae et acuminis pleni, imo qui mysteria Religionis in juventute edocti, ex longa Dei salutisque suae oblivione eo usque aliquando deveniunt, ut vix scitu necessarias veritates religiosas scire et credere videantur.

Ne vero poenitentis animum offendas, ita nonnisi ab initio interrogabis, quasi illum instructum putes, e. g. utique scis, quid circa hoc illudque credendum agendumque sit? Si poenitens annuat, ulterius explorabis, an reipsa id sciat, et haesitantem juvabis, erudisque ignarum. Cetera vide Sect. II. Cap. I.

Conclusio quaestionum.

§. 94. Saepenumero non praeter rem quaestio moveri poterit ultima: *num sit quidquam, quod adhuc conscientiam ungat, torqueat?* Haec interrogatio pluribus est occasio, ut quae ex timore, vel verecundia reticuerunt aut simularunt, tandem pandant et confiteantur, inprimis apud eos, quos confessarius mansueta et benigna agendi ratione, qua ipsos tractaverat, a timore liberatos, ad accuratiorem malorum inveteratorum e priori vita detectionem permotos fuisse videt. Ex iis, qui ita interrogantur, alii conticescunt, et nihil respondent, vel quia nihil habent, vel pudore et timore retinentur, qui eis adimendus est; alii respondent negative, sed frigide et perplexe, quibus contestari juvat desiderium, pacem et tranquillitatem eis procurandi; alii affirmative, quos confessarius consoletur bonoque animo esse jubeat, quod tantam ac talem eis concesserit Deus gratiam, ut se hoc peccatorum jugo excusserint. Ubi vero animadverterit, quod mala ex voluntate peccata in antecedentibus confessionibus reticuerint, ita ut ex defectu integritatis, vel

¹⁾ S. Aug. Serm. 38. de temp.

contritionis bonique propositi manca et non sincera fuerit eorum confessio, tunc edoceat opus illis esse, ut praeterita repetant per confessionem vel generalem, quae totam antea vitam completatur, aut particularem quidem, quae tamen regrediatur ad originem mali. Hinc si reperiatur confessarius, hujusmodi sacrilegia fuisse patrata, ut de numero fiat certus, interroget, quoties intra hoc tempus, a quo peccare cessavit, confessus sit, et communicaverit? et num, quotiescumque confitebatur vel communicabat, ad sacrilegium adverterit? Accidit enim aliquibus interdum sacrilege confiteri, praecipue in pueritia, et postea horum oblivisci; hi non tenentur ad repetendas confessiones oblivionis tempore factas ¹⁾). Utroque pro casu sacerdos operam suam et auxilium offerat.

Materia quaestionum vitanda.

§. 95. Ex fine confessionis jure divino faciendae sat clare patet, ea omnia revelanda esse, quae aut procurandae integritati ejusdem, vel dignoscendo characteri poenitentis morali, vel diducandae ejusdem dispositioni inserviunt. Itaque 1) abstinendum est non modo a rebus omnibus ad confessionem non pertinentibus, sed etiam iis, quae cum peccato quidem connexa sint, ast ita, ut eorum scientia necessaria non sit ad peccati speciem, prout integritas confessionis requirit, cognoscendam, neque ad dandum poenitenti salutare consilium, monitum et instructionem, nec ad injungendam poenitentiam quidquam faciunt. Absit omnis curiositas, qua quaerimus, et nosse cupimus res et circumstantias ad sacrum tribunal minime necessarias et plane inutiles. Praeterquam, quod tempus insumatur inutilibus quaestionibus, hae generant in poenitente diffidentiam erga confessarium, tanquam nimium occultorum indagatorem, ipsamque confessionem odiosam reddunt et molestam. In hunc censum veniunt quaestiones de nomine, habitatione poenitentis, aliisque rebus domesticis ad rem non pertinentibus.

2) Caveat confessarius, ne iis rebus inhaereat accuratius indagandis, quarum mentio et ruminatio phantasiam minus salubriter exercent. Satius enim est, peccata imperfecte intelligere, quam forte novi peccati periculum inducere. Adeo foetet palus ista, ut consultum non sit, eam vel a poenitente vel a confessario, *ubi opus non est*, moveri; sufficit, requirere speciem peccati patrati, non vero modum; et si ipsi poenitentes vel ex inverecundia, vel ignorantia vellent hunc declarare, suaviter eos mone, necessarium non esse. Expediit hac in re imitari philosophum, qui veritus, ne loquendo de simili materia os conspurcasset, carbone descripsit. Ceterum monere juvat, ut indagatio in poenitentis peccata totumque ejus

¹⁾ Cfr. S. Lig. Praxis Conf. n. 22.

statum moralem non sit nimia et anxia. Examen a confessario instituendum non debet esse exactissimum, sed ita adcommodatum poenitenti, ut non generet fastidium" ¹⁾. Et P. Anselmus Reiffenstuel: "Confessarius non tenetur examinare poenitentem inquisita industria et exactissimo examine, sed suavi et humano modo. Attendat quam maxime, ne per interrogationes suas confessio nimis gravis et odiosa reddatur, nec ansa detur haereticis, vocandi illam conscientiae carnificinam." Non omnes poenitentes eodem modo sunt interrogandi, sed ceteris paribus de pluribus interrogandi sunt minus periti, quam culti; pariter qui confessario noti non sunt, quam quorum conscientiam ex antea actis confessionibus satis perspectam habet; porro qui raro, quam qui frequentius confitentur etc. Nunquam autem examine poenitentium abuti licet in finem, quem abominabilem designat Illr. D. Joannes Sailer, Episcopus Ratisbonensis: „Die Geheimbeicht darf nie als Tortur des nicht bekennen Wollenden betrachtet und benützt werden; eben so nie als Kunstgriff und Beherrschungsmittel der Gewissen."

3) Denique huc spectat praeceptum ecclesiasticum de non inquirendo complice peccati, quod literae jurisdictionis in Archidioecesi Viennensi dari solitae secundum Constit. Benedict. XIV. 2. Junii 1746, quae incipit: „Ubi primum" et 9. Decembr. 1749: „Apostolici ministerii" his verbis exhibet: „Ne ovibus curae nostrae concreditis offendiculum paretur, ubi salus a Christo posita est, et ab eo divinae misericordiae fonte illae avertantur ac deterreantur, ad quem ab eodem Redemptore nostro ad abluendas dealbandasque in sanguine suo animas amantissime invitantur, graviter et districte sub divini iudicii interminatione, atque in virtute sanctae obedientiae tibi prohibemus, ne poenitentes sub quovis cogitabili praetextu, qui peccatum vel crimen aliquod confessi fuerint, cujus socium vel socios habuerint, sive in tribunali Poenitentiae sive extra illud interrogare audeas, aut praesumas de nomine socii seu complicitis, de loco habitationis, vel aliis quibuscunque circumstantiis ejusdem complicitis manifestationem concernentibus; alioquin te noveris ultra peccati lethalis incursum etiam ab hujus Sacramenti administratione a nobis suspensioni, nec non aliis gravioribus poenis subjiciendum fore ²⁾."

Ad hanc materiam dilucidandam sequentia notanda veniunt:

a) Nunquam licet confessario directe inquirere in personam complicitis, obligando poenitentem, aut etiam invitando, ut illi manifestet complicem in ipsa confessione tanquam confessario ³⁾.

b) Quando poenitens non potest exprimere speciem peccati, nisi exprimendo personam, cum qua peccavit, puta si cum sorore

¹⁾ Marianus ab Angel. — ²⁾ Cfr. S. Liguor. Mor. libr. 6. nr. 491. —

³⁾ Cfr. S. Thom. Opusc. 12. q. 6.

concubuit, nec potest alium adire confessarium, cui persona complicitis sit ignota — non peccat confessarius, indirecte inquirendo in personam complicitis, imo ad id tenetur, quod tunc fit, quando directe inquit in qualitatem complicitis, ex qua persona complicitis indirecte innotescit. Ratio est, quia tenetur confessarius inquirere in omne illud, quod poenitens tenetur in confessione aperire, et confessarius curare debet, ut confessionem poenitens instituat integram.

c) Ex regula non licet confessario in personam complicitis inquirere, obligando vel invitando poenitentem, ut revelet sibi personam complicitis extra confessionem in ordine ad correptionem vel denuntiationem complicitis per confessarium ipsum faciendam: potest enim hoc fieri per poenitentem vel personam tertiam. „Nulli dubium, S. Liguorius scribit ¹⁾, quod aliquando tenetur poenitens complicitem manifestare ad aliquod grave damnum impediendum; sed spectata tam rigorosa Pontificis (Benedicti XIV.) prohibitionem, ad finem vitandi proximi infamiam, Sacramenti injuriam, sigilli violationem, scandalum etc. prout exprimitur in Bulla, non est licitum confessario nomen complicitis exquirere ad finem faciendae correctionis. Unde casu quo poenitens verè teneatur, complicitem patefacere, tantum poterit confessarius poenitenti imponere in genere, ut complicitem revelet alicui, qui scandalum possit impedire, sed nunquam licebit confessario dicere: revela mihi. Si vero poenitens ex se et sponte sua rogaret confessarium, ut complicitem corrigeret, tunc confessario multa prudentia opus est: nam ordinarie non expedit, ut se immittat in hujusmodi rem; ipsi enim tantum incumbit curare damnum sui poenitentis, non alienum, et solummodo intra confessionem, non extra, et ex alia parte confessarius difficulter assumet hoc munus corrigendi sine periculo scandali et offensionis sacri ministerii.”

d) In casu tamen, quo poenitens tenetur procedere ad denuntiationem complicitis, et persona, cui debet fieri denuntiatio, est ipse confessarius, potest et tenetur inquirere in personam complicitis, obligando poenitentem, ut sibi extra confessionem complicitem revelet. E. g. Si confessarius est ipse Episcopus alterius confessarii complicitis poenitentis, a quo persona poenitens fuisset sollicitata ad turpia in confessione vel circa illam.

Modus interrogandi. — Conditiones quaestionum.

§. 96. Quoniam plurimum interest, ut quaestiones debito modo instituantur, ne vel *fini*, quem per interrogata assequi volumus, vel *reverentiae*, quae Sacramento, vel *modestiae*, quae poenitenti de-

¹⁾ S. Liguor. Mor. lib. 6. nr. 492.

betur, adversentur, proin paulo amplius conditiones earum declarare oportet. Sunt vero hae sequentes :

1) Ante omnia quaestiones nullo non tempore et modo sint *mansuetae et benignae*, comitatis et charitatis plenae adeo, ut ex ipsa interrogandi ratione poenitens colligere possit, confessarium in visceribus charitatis cum ipso agere paratum esse. Omnis enim quaestio affectu vere paterno facta, apta est ad fiduciam confessario adeo necessariam comparandam, efficiendumque, ut poenitens omnes cordis latebras sincere detegat; dum e contra sermo durus et asper, praeterquam quod poenitentem laedat, timido inprimis et verecundo animum penitus adimit, eumque a sincera et plena peccatorum confessione deterret, menteque turbat. Quae virtus maximopere commendatur confessario, si interrogare contingat poenitentem, qui peccata turpia dum aperit, in eorum enumeratione interrupta voce balbutit et haesitat; hujus sane plurimum sublevatur animus per interrogata, quae charitatis et benignitatis, commiserationis et compassionis affectum spirant. Nec ab hac agendi ratione unquam recedas, sive ob atrocitatem culpa, sive ob poenitentis malitiam, pravitatem, ruditatem.

Quid vero, si quos confessarius invenerit poenitentes, qui non obstantibus interrogationibus, benignis maxime et mansuetis, nihilominus sileant, eo quod confitendi peccata sua rubore suffundantur? Eos excitabit, ipsorum oculis subjiciendo paternam Dei bonitatem, divinam clementiam, humanam fragilitatem sibimetipsi notissimam, sincere confessionis utilitatem maximam, legem silentii nunquam a se violandam. Contra si inciderit in protervos et impudentes, amice quidem, verum graviter moneat, non eos ante hominem stare, sed coram Deo, cujus locum confessarius tenet, divinae majestati tanquam reos ibi esse oblatos, Deum non impune irrideri, periclitari eorum salutem aeternam, perennia et horrenda supplicia iis destinari, qui Sacramento Poenitentiae abutuntur, tantumque remedium a Deo institutum contemnunt.

2) Quaestiones sint *perspicuae*, et inprimis, *captui, aetati, statui* atque *conditioni* confitentium *appositae* usque eo, ut accurate intelligantur, rectisque juvari queant responsis. Hinc a) nec verba, nec phrases contineant, quae poenitentis indoli ingenioque haud conveniunt. Interdum ubi poenitentes valde rudes sunt, mutatis terminis iterentur. Quapropter quaestiones non sint abstractae et generales, sed specifice et concretae; non longae et accumulatae, sed breves et simplices tam verbis quam rebus. Hac enim deficiente quaestionum virtute non solum repetitis interrogationibus tempus inutiliter teritur, verum etiam poenitentes perturbantur, eo quod nescii sint, quid respondeant, dum ob exiguum intellectus perspicaciam interrogata, terminis rebusque longiora et agglomerata, non assequantur. b) Ut vero aetati, statui et conditioni poenitentis

congruant, illa tantum peccata attingant, quae ab hominibus ejusdem professionis vel aetatis, consideratis illorum circumstantiis, suspicari licet, nisi ex praemissa illorum confessione aliter agendum esse judicetur.

3) Quaestiones *justo et naturali ordine dispertitae* se invicem excipiant. A peccatorum initiis et illicitis ad consummata et sequelas, a levioribus ad graviora, ab ordinariis et communibus ad extraordinaria velut per gradus procedatur. Servata hac regula declaratio quorundam peccatorum, v. g. impudicitiae, facilius redditur, species, numerus et circumstantiae peccatorum aggravantes expeditius innotescunt, quin periculum adsit, ne vel res majoris momenti ex inconsiderantia, aut oblivione omittatur, vel ulteriori inquisitione poenitentis animo noceatur.

4) Sint *modestae et honestae*. His dotibus nunquam non interrogationes cunctae insignitae sint, adeo ut semper compareat sermo verecundus, licet poenitens obscenis et inverecundis utatur vocibus. Id enim, ut humanitatis sensum taceam, tribunal sacrum simulque Sacramenti reverentia exigunt.

5) Pariter *discretionem* sint *conspicuae*. Haec quaestionum conditio, quam merito requirimus, non tantum illud spectat, ne de iis instituatur examen, quae a tali persona regulariter committi non soleant, sed vel usque eo se extendit, ne si quae graviora revelet peccata, sensu, ut ita dicam, crassiori sumantur, aut malo consilio adscribantur. Praestat, quantum fieri potest, salva justitia, meliora supponere, et potius fragilitati humanae, quam malitiae confidentium peccata adscribere. Idem quoque obtinet, si poenitens peccatum reticuerit, quod vero confessarius prudenter interjectis interrogationibus elicit. S. Franciscus Salesius ejusmodi poenitentibus suavem et lenem se praebens, tam longe abfuit, ut in correptionem acerbam prorumperet, ut potius ostenderet, quam felices sint rite confitendo: „Credas, velim, Deus magnam tibi gratiam parat; vide, quomodo Spiritus sanctus cor tuum tangat, ut bene confitearis; eja ergo, mi fili, animose fateri peccata tua; magnum te manebit gaudium, magnum solatium mortis in agone, quod humilem feceris confessionem.”

Prudentia in interrogando.

§. 97. Praeter enumeratas dotes, quibus quaestiones a confessario ponendae sint ornatae, requiritur in poenitentium examine *prudentia haud vulgaris*. Etquidem prudentia confessario opus est in interrogando: 1) ut eliciat, quae poenitentes quaedumcunque ex causa reticere; 2) ne pejora forte doceat, quam quae poenitens sciat, neque ejus curiositatem excitet, et sensum moralem obtundat. Quoad primum adhibeat illam industriam *prudentem*, qua usum

fuisse Ezechielem legimus in explorandis abominationibus, latentibus intra templum ¹⁾). Viderat is parvum foramen in pariete. Jubetur istud a Domino dilatare: Fode parietem, fode parietem: quo facto apparuit ostium, ita ut Propheta per illud commode ingressus potuerit inspicere abominationes pessimas. Parvum foramen est levis aliqua culpa, sponte a peccatore aperta. Necesse est, ut confessarius sua diligentia laxiorem reddat accessum, quem ad cor natus est, pandatque sibi ostium tam amplum, per quod penetrans lustrare et cognoscere possit, quidquid abominationis ibi latet absconditum. — Quoad alterum, in specie prudentia et circumspectio summa requiritur in interrogatis de sexto Decalogi praecepto. Periculum enim est, ne juniores praesertim ex ore confessarii ea discant, quae feliciter ignorabant; non defuerunt, qui, postquam a confessarii pedibus recesserunt, vellent experiri, quod ab illo per inconsiderantiam didicerunt. Ceterum cum hoc peccatum sit turpe, aegre se poenitentes de eodem accusant, et nisi opem afferat confessarius, plurimi non sat explicant crimen suum, atque in sordibus suis computrescunt. Ne vero poenitenti, neve sibi metipsi in hoc poenitentium examine noceat, confessarius eas, quae sequuntur, regulas servabit:

a) Cum humilitate et reverentia statue te in praesentia Dei; diffide imbecillitati tuae, et omnem fiduciam tuam repone in solo Deo. Cor tuum et mentem tuam durantibus his interrogationibus saepius eleva ad Deum et repete illud prophetae: „Eripe me Domine de luto, ne infigar ²⁾.”

b) Sicubi, hic certe cave omnem in quaestionibus curiositatem et redundantiam. Quod spectat ad carnis peccata, monitum est S. Caroli Borromei: „Confessor summam adhibeat cautelam in eorum interrogatione, ut, cum peccati speciem et circumstantias peccati graviore audierit, a ceteris absteineat.” Nam, ut verbis S. Thomae Aquinatis utar, „hujusmodi delectabilia, quanto magis in specie considerantur, tanto magis concupiscentiam nata sunt movere, et ideo potest contingere, ut confessarius talia quaerens, et sibi et confitenti noceat” ³⁾). Quare satius esse poterit, imperfecte peccata intelligere, quam forte novi peccati periculum inducere.

c) Hac de causa utere quoque terminis et expressionibus, quibus potes, honestissimis et castissimis; dum loqueris de virtute castimoniae, appella illam virtutem amabilem, virtutem angelicam, puritatem sanctam, ut ejus aestimationem et amorem et tu conserves, et poenitenti inspires.

d) Potissimum tunc, dum in sacro tribunali audis et interrogas juvenes, omni circumspectione utere, ne, quod adhuc feliciter

¹⁾ Ezechiel, VIII. 9. — ²⁾ Psalm. LXVIII. 15. — ³⁾ In 4. dist. 19. in fine, Cfr. Rit. Romap.

ignorant, doceas infeliciter. Quamdiu dubium est, num poenitens hac in re deliquerit, nec ne, utere terminis et expressionibus genericis et late patentibus, ut, si re ipsa reus sit, intelligat et fateatur, sin minus, nil inde novi, nil periculosi discat. Similia monet S. Carolus: „Prudens cautusque erit confessor in interrogationibus, ne rudibus praesertim atque utriusque sexus junioribus ad novum et nunquam ante attentatum scelus occasionem praebat, vel aperiat. Hi tamen de peccatis, quorum nullam in confessione mentionem fecerunt, et in quibus probabiliter aestimari possunt deliquisse, prudenti cautione interrogandi erunt, ne aut pudore aut ignorantia celerent peccata.” Et alio loco: „Summa prudentia ea de re interroget mulieres aut adolescentes, ne eos, quod ignorant, edoceat, iisque utatur verbis pudorem minime laedentibus.”

e) Interrogationes tuas incipe ab eo, quod hac in re minus odiosum est, et unde initium sumit ipsum peccatum, scilicet a cogitationibus, desideriis, verbis auditis aut prolatis, a visu; ab his, si necesse fuerit, transibis ad colloquia, conventicula clancularias, ad actiones. Si poenitens liber erat a pravis cogitationibus, aut iis restitit, neque ipse occasionem illis dedit, abstinebis ab ulterioribus quaestionibus. Ita consuluit S. Franciscus Salesius, et in regula hoc praeceptum valet. Verum cum multi sint, qui cogitationes a desideriis, et ipsis adeo actionibus vix discernant, credantque, se actiones quoque confiteri, dum se de pravis cogitationibus accusant, aut sibi persuadeant, se non peccasse, dum in ipsas actiones non proruperunt, licet sponte et voluntarie pravis cogitationibus et desideriis sese occuparint et delectati sint, ideo non de internis tantum, sed de exterioribus, quoque peccatis interrogabis. Ita experieris nonnunquam, α) eos, qui de solis cogitationibus se accusarunt, reos esse verborum et actionum, sive quod cogitationes ab actionibus non satis discriminant; sive quod tibi occasionem praebere voluerint, ipsos de actionibus interrogandi, de quibus se accusare non audent, nisi a confessariis adjuventur. β) Experieris, esse inter juvenes, qui, licet non norint peccatum contra puritatem, tamen incusent se de pravis cogitationibus, vel in genere se contra castitatem peccasse. Cave, ne his loquaris de impudicitia, sed ita loquere, ut ipsi afferant speciem peccati, quod confitentur. Videbis, saepius verba et actiones non fuisse contra puritatem, sed apud honeste et ingenue educatos, contra decorem, urbanitatem, quae illis ab institutoribus suis, a parentibus, majorem in modum domi commendatur. Et si suspicaris, eos inhonestam actionem ejusmodi patrasse, ne quaeras directe, *utrum mollitiei, an incestus, vel sodomiae crimen?* sed interrogabis, *quid egerint, cum quo, etc.?* Et hoc pacto ex poenitentis ore *speciem* peccati, elicies, quin subeas periculum docendi illam¹⁾.

1) Cfr. Gerson de arte audiendi confess. Tom. II. P. II. Consid. 17. 19. 20.

Articulus III.

De poenitentibus instruendis et admonendis.

Obligatio confessarii poenitentes instruendi.

§. 98. Quam primum confessarius penitentiorem animi statum poenitentis sui partim ex ipsa ejus sponte facta accusatione, partim ex auditis ad quaestiones positas responsis, usquequaque perspexerit, eundem pro ejusdem animi indole ac conditione conscientiae edocere, nec non admonere tenetur, ut totus quantus alius, isque novus, bonus atque justus coram Deo homo fieri satagat. Rituale Romanum confessarium hac de re monet, dicendo: „Audita confessione perpendens peccatorum, quae poenitens admisit, magnitudinem et multitudinem, pro eorum gravitate ac poenitentis conditione, prout opus esse viderit, opportunas *correptiones et admonitiones* paterna charitate adhibebit.” Confessarius enim Doctor est poenitentium, cui incumbit, suos in iis, quae ad eorum statum et perfectionem pertinent, instruere et erudire, ut non primam duntaxat justitiae christianae partem, quae hortatur ad declinandum malum, sed etiam alteram, quae jubet facere bonum, impleant.

Pariter Medicus est spiritualis, ad quem pertinent, — ut verbis utar S. Gregorii Nazianzeni, — „animae pennas addere, ac mundo eam eripere, Deoque dare, divinamque imaginem aut manentem conservare, aut periclitantem fulcire, aut delapsam in pristinum statum revocare, Christumque per Spiritum sanctum in pectoris domicilium admittere”¹⁾. Et si quilibet, etiam privatus, in certis circumstantiis, saltem ex charitate obligatur, proximum suum, si erret, admonere et instruere, quando scilicet admonitio judicatur necessaria, vel speratur majorem fructum allatura, quam incommodum: quanto magis hoc praeceptum urgebit confessarium, cui specialiter incumbit salus poenitentium? Quem in finem saepius in memoriam revocari juvabit verba Domini per Prophetam dicentis: „Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israëli: et audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me. Si dicente me ad impium: Morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia, et vivat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua et a via sua impia: ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. Sed et si conversus justus a justitia sua fuerit, et fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo, ipse morietur, quia non annuntiasti ei: in peccato suo morietur, et non erunt in

¹⁾ Orat. 2.

memoria justitiae ejus, quas fecit: sanguinem vero ejus de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris justo, ut non peccet justus, et ille non peccaverit, vivens vivet, quia annuntiasti ei, et tu animam tuam liberasti" ¹⁾).

Instructionis delineatio.

§. 99. Ut in hac rerum amplissima materia justo ordine incedamus, partes principaliores, de quibus sermonem faciendum esse arbitramur, delineare placet — Instructiones et admonitiones, quas confessarius peccata sua confitenti dare obligatur, A) ad poenitentis emendationem, et B) ad uberiorem in virtutis studio progressum promovendum spectant. Quoad primum, confessarii officium versatur circa rectam poenitenti parandam a) cognitionem officiorum ipsi incumbentium, et veritatum religiosarum, b) cognitionem sui ipsius, c) agnitionem peccatorum, d) cognitionem obligationum ex peccato prodeuntium, et denique e) curationem animi morbis adhibendam. Quod alterum momentum attinet, illud in eo consistit, ut confessarius poenitentem non tantum ad pie sancteque vivendum instruat et hortetur, verum etiam ad altiorem amplitudinis et puritatis, efficaciae et firmitatis gradum in christiana perfectione ascendendum evehat. C) Dantur et plures casus, in quibus confessarius, sive rogatus, sive non rogatus, dubia solvere, et decisionem facere, vel consilium dare tenetur; hinc partem illam, quae de dubiis solvendis, de decisionibus atque consiliis dandis agit, merito ad materiam referimus officii, quo confessarius poenitentem instruere obstringitur.

A. Instructio quoad rectam officiorum et veritatum religiosarum cognitionem.

§. 100. Qui adcurate et sollicite attenderit ad hominis animum, facile sibi persuadebit, voluntatis perversae causam in mediocri et minus exculto intellectu latere, atque defectivam cognitionem, notiones minus rectas, persuasionem vacillantem etc. immoralibus appetitionum et aversionumstrarum manifestationibus esse fundamento. Intellectus et voluntas, etsi nonnunquam aperte sibi invicem repugnare videantur, tamen in actu ita conspirant, ut, quod alter appetitu dignum vel indignum modo decretorio judicaverit, altera reapse appetat, vel vero rejiciat. Confessarius desuper persuasus, saepe saepius necessarium esse videbit, immutationem

¹⁾ Ezech. III. 17. — 21. — Conf. Constit. dioec. R a t i s b. an. 1588. de Sac. Poenit. Tom. VII. Conc. Germ. p. 1067. Synod. Prag. 1605. Tit. XX. Tom. VIII. p. 715.

in voluntate efficiendam ab intellectu exordiri, emendarique aliquando poenitentem animadvertet ex eo, quod ipsi ingeratur recta officiorum, et veritatum religiosarum cognitio.

Ita sane, ut rem exemplis illustremus, vulgaris dierum dominicorum et festorum profanatio latet in defectiva cognitione veri sensus, qui legi divinae et ecclesiasticae huc spectanti subest; levior jejuniorum contemptus ex erroneis derivatur notionibus, quas de Ecclesiae scopo et auctoritate in ferendis ejusmodi legibus sibi fingere solent; illa frequentior excusatio de impossibili inimicorum dilectione sat clare ostendit, dictam legem minus bene intelligi; et radiiores absurdique de Deo, ejus attributis etc. conceptus, undenam promanat, nisi ex crassa ignorantia et erronea mentis cultura? In his et similibus casibus benevolentissima monita in vanum profunderentur, nisi prius romoverentur erronei conceptus, repraesentationes ex una tantum parte rem tangentes, erroresque practici. Ante alia omnia confitentes, necesse est, ut recte cogitent, officia sua profundius penetrent, et pro interna dignitate aestiment sublimitatem virtutis summo pretio studioque dignae, eamque in intimis praecordiis persentiscant, et qua veri Jesu Christi fideles novum amoris mandatum profitentes, talia animi sensa tanquam fontem omnis genuinae pietatis considerare edoceantur. Certo certius ita fiet, ut voluntas promptior doctrinae Jesu Christi jugo se submittat, indeque tutissimum suum regimen nanciscatur. — Confessarius itaque sollicite adlaboret, ut poenitentem ad rectam officiorum illi undique incumbentium veritatumque religiosarum cognitionem perducatur, atque hinc inde vel circa officia et veritates religiosas, *quas fors ignorat, instruat*, vel sicubi ejus conscientiam errore, vel mentem erroneo circa Deum et res divinas conceptu teneri videt, de recto edoceat.

Regulae practicae.

§. 101. Quantum ad hanc instructionem poenitentem impertientem, Theologiae moralis magistri sequentes in usum confessariorum subjiciunt regulas:

a) Si quis nullius erroris sibi conscius, sincere et ex indubitato conscientiae dictamine operatur, hunc ab omni peccato excusat *ignorantia*. Verum qui ex animi levitate, vel omnino ex malitioso legis divinae contemptu officia sua adiscere intermittit, iste, quamdiu ita mente dispositus est, frustra suam ignorantiam obtendit. Sub hac enim legis incuria apertum vitium seu constans animi perversitas latet. Praesertim tum culpa plurimum incrementi capit, ubi in *materia gravi ignorantia crassa vel affectata intervenit*. Inprimis de illis id obtinet, qui vel sinistris affectibus abrepti veram religionem nescire pergunt, vel in *eminentiori loco collocati officiorum*

suorum inscii, et simul incurii vivunt. Tales utique instruere, monere obtestarique, ut cognitionem officiorum et veritatum religiosarum sibi parent, quin imo in sacro tribunali, in quantum fieri potest, edocere oportet.

Quanta diligentia singulis vicibus adhibenda sit, difficulter definiri potest.

Quem in finem attendatur *α) qualitas personae*; ab homine perspicacia ingenii, bene educato, inprimis a docto plura requiruntur, quam a simplici et plebejo; *β) gravitas materiae*; hinc primas sibi partes deprecant cognitio verae religionis, et in ipsa Religione articuli fidei prae reliquis necessarii; tum officia status nostri, illa praecipue, ex quorum neglectu in nos aliosque multum detrimenti redundat, ut fieri solet, si e. g. confessarii, medici etc. eorum, quae vi muneris ipsis incumbunt, ignorantes vel imperiti fuerint; *γ) major opportunitas addiscendi*, quae aliquem scire convenit.

b) Si poenitens per *conscientiam erroneam* actum aliquem licitum pro peccaminoso habet, confessarius hunc illi errorem omnino auferre tenetur, prout etiam, si peccatum aliquod veniale tanquam reatum gravem apprehendit. Id v. g. obtinere deprehenditur apud plebejos aut scrupulosos, dum putent, se peccare graviter, si die festo omittant sacrum justa de causa; si jejunium non servent, etsi ad illud non sint obligati; si filios aut servos delinquentes, licet non immoderate, corripiant, vel eos castigent; si quis ipsos odio prosequatur, quamvis ipsi maxime cupiant ei reconciliari; si diebus festis opera necessaria aut certe charitativa peragant etc.

c) Similiter et ille errorem suum dedecendus est, qui hucusque per *ignorantiam* aliquid, quod reapse prohibetur, tamquam licitum patravit, nunc tamen fluctuat, vel etiam directe a confessario, quid ei subsit, sciscitatur; nam si confessarius reticeret vel dissimularet verum, cooperaretur alterius errori, errantemque in suo peccato confirmaret. Ceterum non ita facile poenitentis ignorantiam credas prorsus inculpatam, et in praxi e. g. cum adolescentulo, qui cum ignorantia tactibus obscenis se polluit, eo agendum est modo, quo ab omni culpa eum immunem vix habeas. Fortasse ei lumen aliquod adfulsit mali, quod patrabat, fortasse fulgor ejus luminis, quod effudit Deus in mentibus nostris, sese illi patefecit, et ipse non advertit animum, ut debebat; quod omnes illius scrupulos suffocavit. S. Augustinus Pelagium redarguit, quod temere docebat, quidquid per ignorantiam fiat, culpa carere: „Humana superbia praesumens de viribus liberi arbitrii excusatam se putat, quando ignorantiae est, non voluntatis, quod peccat”¹⁾. Etenim quis scit, utrum revera nihil intentatum reliquerit, ut hoc mali evitaret? Quisnam tanta uti potest diligentia sine gratiae subsidio? Eam vero, quomodo obtineat a Deo, si a Deo petere negligat? Tot sacrificia, quae Dei jussu in Lege Veteri offerebantur ad ignorantiae peccata expianda, — tot preces in psalmis repetitae ad impetrandam cujuslibet generis

¹⁾ Epist. 104.

peccatorum veniam, — lacrymae a sanctis viris hanc ob causam effusae — manifesto sunt argumento, ignorantiam non tam saepe, ut videtur, prorsus invincibilem et involuntariam esse.

d) Si tamen poenitens adhucdum in bona fide existat, ita ut nec interroget aut dubitet, simulque ob notam ipsius infirmitatem praevideatur, fore, ut ex peccatore materiali formalis fiat, duplex est sententia. Prima negat in tali casu adesse obligationem monendi; quia melius est talem in peccato materiali permittere, quam ex materiali formale facere; quod fieret, si moneretur, et monitioni morem non gereret. Adde, si praeter peccatum hominis hucusque inscii, alia insuper detrimenta ex manifestatione praevidentur ¹⁾. Secunda sententia docet esse admonendum, et hoc dilemmate sese sustentat: „Vel talis est dispositus ad acquiescendum monitioni confessarii, vel non est dispositus. Si est dispositus, confessarius tenetur eum admonere; si vero non est dispositus, tunc habet adfectum ad peccatum grave;” et si ex peccato materiali fiat formale, sibi ipsi, non vero confessario, qui vi suae obligationis etiam materiale peccatum praecavere tenetur, imputare debet. Excipitur tamen plerumque casus ille, si ex matrimonii invalidi jam contracti manifestatione grave scandalum vel urgens animarum periculum prudenter timeretur. De quaestione ista satis ardua S. Alphonsus Liguorius in Praxi Confessarii scribit: „Qua de re hic etiam cum communi infertur, quod si quis matrimonium contraxisset invalidum propter aliquod occultum impedimentum, et in bona fide maneret, et contra periculum subesset infamiae, scandali aut incontinentiae, si manifestaretur matrimonii nullitas, tunc confessarius debet eum in sua bona fide relinquere, donec dispensationem a sacra Poenitentiaria illi obtinuerit, (excipe tamen, si dispensatio statim et facile obtineri possit)” ²⁾. Cui communiter casui applicant Moralistae, quod in Decretalibus legitur: „Dissimulare poteris, ut conjuges, quorum matrimonium erat nullum, remaneant in copula sic contracta, cum ex separatione videas scandalum imminere” ³⁾; quamvis ibi locorum de *tacita* magis Pontificis *dispensatione*, prioris defectum supplente, quaestio agi videatur ⁴⁾. — Verum ubi de praecipis juris naturae agitur, vix unquam fiet, ut, qui illa transgreditur, constanter et inculpate in bona fide sit, et simul sperare licet, talem, ubi edocetur, si non ex integro, aliquatenus saltem et successive sibi temperaturum esse. Hinc neququam tacere licet, dum poenitens v. g. mollitiei hucusque indulsisse deprehenditur, quamvis ignorans id fecisse videatur.

¹⁾ Herculani Oberrauch Theolog. moral. Bambergae 1797. Tom. VI. p. 238. — ²⁾ Cap. I. §. 2. n. 8. Theolog. moral. libr. VI. n. 610. — ³⁾ C. 6. X. de consang. (4. 14.) — ⁴⁾ Vide Lucii Ferraris prompta bibliotheca. Vocab. Confessarius. Tom. II. p. 433. n. 86. Venetis 1782.

Necessaria est nonnunquam instructio circa confitendi modum. In hoc enim impingitur duplici ratione: a) circa actiones nullo modo peccaminosas, quales sunt v. g. longas historias confessioni adnectere, agnomina data singillatim, distincte explicare; peccata sua verbis parum urbanis exponere etc. Haec ignorantia, sicut sine vitio dissimulari potest, quin et interdum expedit, (maxime si personae sunt ejusmodi, quae aegre laturae correctionem, aut certe parum capaces emendationis videantur) ita si commode fieri possit, omni studio tollenda est, quamvis indirecte potius, quam directe id faciendum sit; v. g. formulas et historias per discretam interruptionem abrumpendo, peccata ab ipsis crasse prolata modetius proferendo, dum ad emendationem eos adhortatur, aut numerum peccati quaerit. b) Potest etiam vitium in confitendo esse circa actiones peccato obnoxias; sicuti foret: non exprimere numerum et circumstantias necessarias; complicem sine necessitate manifestare; de aliorum non complicum moribus vitiisque gravioribus murmurare etc. Ad hanc ignorantiam tollendam confessarius tenetur, atque adeo poenitentem monere debet, ut numerum et species et circumstantias peccatorum in confessionibus addat, ut omittat aliorum vitia referre etc.

Quoad cognitionem sui ipsius.

§. 102. Eandem cum officiorum cognitione praerogativam tenet *cognitio sui ipsius*, — emendando poenitenti gravissima et admodum necessaria. Nam si lex, ut Apostoli Jacobi verbis utar, speculum est, in quo vultum nativitatis suae oportet considerare: quid aliud importat haec consideratio, quam ut homo seipsum cognoscat, naevos et vitia sua inquirat, sicque laborare felici cum successu in emendatione valeat? Profunda omnium officiorum nostrorum et obligationum cognitio inanis est, et in se mortua, nisi eam ad nos speciatim applicaverimus, actaque nostra et omissiones cum ea comparaverimus. Haec generatim sumpta si vera sunt, quantae gravitatis haec suimetipsius cognitio erit omnibus, quorum utpote ad tribunal sacramentale properantium recto modo interest, vitia deponere vitamque meliorem incipere? Omnia, quae in vitia ipsorum influunt, omnis nexus, qui inter scelus et proprium animum obtinuit, paucis: omnia pro poenitentibus gravissimi sunt momenti.

Quo severius quis in commissorum peccatorum historiam inquisierit; quo clarius cognoverit, qua ratione haec illave inordinata passio mentem animumque ipsius occupaverit; quo accuratius investigaverit omnem aditum perversis affectibus facile patentem; paucis: *quo distinctior et perfectior fit cognitio propriae infirmitatis et vitiositatis, eo felicius succedet emendationis negotium*. In his omnibus poenitens indiget benigna confessarii manuactione, qui cum illo ad prima vitiorum initia redeat, fontemque primum aberrationum detegat, attentum reddat eum ad obvias occasiones, quibus saepissime succumbere solet, ad modum, gradum, subitaneum passionum praedominantium transitum, aut longiorem earumdem perdurationem. Duce confessario poenitens in aliis modo videat et judicet proprios naevos in omni eorum turpitudine et deformitate;

modo aestimare et diligere discat oppositas virtutes, quibus alii praelucent; modo exitiosi effectus visque perniciosissima peccati, quo praeprimis delectatur, ob oculos ei ponantur; modo in tempus futurum omine malo divinare jubeatur, quinam metuendus sit vitae perditae exitus; praeprimis attentus fiat ad nexum, qui inter peccata ceteroquin valde sibi dissimilia locum habet, communeque fundamentum investiget. Talis cum poenitente susceptus labor, licet probatam requirat patientiam indefessamque solertiam, exoptatos feret fructus, emendationisque negotium multo facilius et diuturnius reddet.

Quoad agnitionem peccatorum.

§. 103. Ubi poenitens duce confessario ad sui ipsius cognitionem pervenerit, ut reapse locum habeat emendatio, confessarii multum intersit, *poenitenti* quam vividissime omnis *peccati* faciem deterrimam eamque turpissimam depingere, ejusque *malitiam et damnum maximum ostendere*. Quod ut felicius fiat, confessarius in poenitentis animo altiora sensa excitet de naturae humanae pretio, de imagine et similitudine Dei, ad quam creati sumus de sublimiori destinatione, de dignitate, puritate et sanctitate voluntatis divinae, quam leges Dei et Jesu Christi manifestant; — doceat eum mirabilia infinitae charitatis divinae opera in redemptione generis humani solertius pensitare, indeque oculos convertere ad peccatum, quo omnis vera hominis dignitas turpiter inhonestatur, impie profanatur natura nostra, et sapientissima benevolentissimaque divinae providentiae consilia irrita redduntur. Vel si fors haec pro captu nimis abstracta videantur, peccatori clarissima, quoad ejus fieri potest, effigies immensae sapientissimaeque charitatis et misericordiae divinae erga homines superabunde se effundentis ob oculos sistatur, revelationes Dei ad nos, qua *Amici et Benefactoris, Doctoris et Patris, Creatoris et Redemptoris* vivide depingantur, et beneplacitum divinum in omni bono, summa vero displicentia Dei sanctissimi in malo clarissime exhibeantur. An non exinde maxime genuina et sincera sensa pudoris et humilitatis, contritionis et doloris de peccato et de ingratitude orientur? Cfr. de contritione excitanda §§. infra occurrentes.

Si fors vitia peccatoris, quocum agitur, modo jam acerbis et exitiosas sequelas ferunt adeo, ut ex propria experientia peccati damna ipsi innotescant, gaudia vitae pro ipso et suis perierint, ut lacrymae et gemitus eorum, quos infelices reddidit, non minus quam mala sui conscientia eum accusent; confessarius etiam hac occasione utatur, de malitia peccati magis convincendi eum et adigendi ad professionem sinceram, neminem, qui a semitis Dei recesserit, verae pacis et felicitatis participem fieri posse.

Continuatio.

§. 104. Inter peccata, quorum turpitudinis ac pravitatis agnitionem confessarius poenitenti ingerat, ut eum ad firmum et efficax vitae mutandae consilium perducatur, singularem mentionem peccata *omissionis, et officiorum status laesio* merentur, eo quod hujus generis peccata magnam partem ab hominibus parvi, vel minimi, imo nihili pendantur; hinc ea praeterire instruendo et monendo poenitentem minime licet. Quodsi confessarius, angulos abditos conscientiae ejusmodi bene lustrando et interrogando, invenerit plura omissionis peccata, moneat poenitentem illius in catechismo: „Vita malum, bonum age,” et illius arboris ad ignem damnatae, quae nullos bonos fructus tulerat. Christus judex vivorum et mortuorum aliquando in nubibus coeli apparens damnabit non eos tantum, qui male egerunt, sed et qui bonum, quod facere potuissent et debuissent, non fecere. — Pariter doceat, quae officia poenitens non adimpleverit, et quae officia in his illis circumstantiis ipsi inprimis sint adimplenda. Contingit enim haud raro, ut poenitentes ad confessionem accedant, quin de neglectis aut omissis officiis, statui ipsorum privis, sese accusent. Haec officiorum ommissio culpam eo majorem inducit, quo gravius alicui munus incumbit, et quo graviora ex tali neglectu detrimenta timeri debent. Dictum hoc esto **Magistris, Dominis, Patribusfamilias, Judicibus operumque praesidibus in officinis, etc. etc.** qui saepenumero non perpendunt commissa ex neglectu officiorum suorum peccata. Huic dissolutioni occurrere tenetur confessarius admonendo quemvis, ut sedulo in officia muneris et status sui incumbat, et quidem ut servus Christi, faciens voluntatem Dei ex animo, non ad oculum serviens, et ut hominibus placeat ¹⁾). „Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum ²⁾). Quantum bono publico conducat sedula officiorum status et muneris adimpletio, cogita quaeso, quam bellam faciem mundus indueret, si nemo status sui officio deesset. An non sufficeret istud ad reducendam subito innocentiam, quae ab initio vix se in conspectum dedit, et mox fugam arripuit?

Quoad agnitionem obligationum e peccato prodeuntium.

§. 105. Post haec confessarius poenitentem perducere tenetur *ad agnitionem obligationum e peccato prodeuntium*, nec non ad promptitudinem eas explendi, scilicet bene faciendo emendare, quod male fecerat. Qui revera non peccasse exoptat, peccata, quantum fieri potest, infecta facere adlaborabit. Aperta animi motio,

¹⁾ Ephes. VI. 6. — ²⁾ Col. III. 17.

quam fors praecedentes adhortationes produxerunt, gemitus aut vultus in lacrymis referens poenitentiam non sufficiunt; certissimum enim genuinae conversionis criterium certe in eo repositum censetur, si poenitens ad omnia ea praestanda paratissimum se sistit, quae ex peccato commisso praestare tenetur. Haec urgeat confessarius severum in modum, adeo, ut nullis praetensionibus effugiisque vanis praebeat aures; etiam poenitenti ipsi de strictissimi hujus officii vi et necessitate tanquam conditione, sine qua non, ad remissionem peccatorum persuadere, et benevola instructione ejusmodi obligationes faciliores et chariores reddere conetur. In iis adimplendis confitentem manuducat et indicet, quid et quantum sit praestandum, et qua ratione commodius faciliusve id fieri possit. Sic iniquum alienorum possessorem, ut fideliter et mox restituat male parta, damnumque exinde emergens resarciat, rite adhortetur; calumniatorem ad revocandam calumniam; malevolum detractorem ad expiandam injuriam praecipue per enarrationem et divulgationem bonae indolis et virtutum, quibus alter est insignitus; offensum ad promptam et sinceram reconciliationem; seductorem ad omnem scelestam connexionem tollendam, qua non ipse tantum ab ulteriori seductionis facto absteat, sed etiam depravatos verbo et exemplo ab ipso vitio retrahere studeat; eum, qui publica edidit scandala, ad manifestanda tanta virtutis exempla, quibus alii de facta conversione persuadeantur, adigere summopere adlaboret; brevi poenitentem promptum efficiat, ut eodem studio et fervore omni bono inhaereat, quo antea servitio peccati erat mancipatus; et pro viribus propter commissam mala satisfacere sit sollicitus.

Quoad ipsam curationem animi morbis adhibendam.

§. 106. Prudens et circumspecta praecautio a novis vitiis hic necessaria est. *Emendatio*, quae modo est praeparata, diuturna sit, et *virtus*, ad quam propius accessit poenitens, in neoconverso habeat fidelem et continuum sectatorem. Confessarius itaque eum edoceat et instruat, quomodo difficultates emendationi junctas superet, et quibus mediis haec egregia animi sensa nutriat foveatque. Confessarius peccata ex animo poenitentis, ut ita dicam, evellat, destruendo habitus vitiosos et consuetudines per frequentem peccatorum repetitionem contractas; disperdat passiones et inclinationes inordinatas, quae sunt quasi radices et reliquiae peccatorum, et dissipet occasiones proximas, praecipue, a quibus poenitens ad lapsum impellitur, et in antiquam miseriam protrahitur, atque hac ratione morbis animi, qui sunt peccata, curationem et medelam admoveat. Quod officium ultimum claudit functiones confessarii in emendando peccatore, et, ne omnis labor sit inanis, sedulam sollicitudinem et profundam curandi methodi intelligentiam postulat.

Quantum ad hanc animi vitaeque immutationem ac emendationem poenitentium, inprimis graviter peccantium, ne pristinis vitiis indulgeant, praecipua cura confessarii versari debet, a) cum *peccata cordis interna*, quae nonnunquam animum gravius accendant, et periculosiora sunt iis, quae in manifesto admittuntur, atque peccatorum *oris* et *operis* fons et origo merito appellantur. Prima namque peccata cogitationum flocci aut nihili pendi solent; horum peccatorum maxima est ratio habenda; mala enim animi infectio naturam peccati constituit. Essentia quippe vera peccati perversa animi dispositione consistit, actus vero externi illius quae corpus seu actualis exhibitio sunt. Haec ipsa mentis dispositio terne se prodit *delectatione* sic dicta *morosa*, (quatenus animi objecto peccaminoso libere immoratur), *desiderio* vel *decreto*. his actibus internis seu cordis acquiescit voluntarie, non solum ipsa peccata committit, verum etiam *externorum peccatorum* causam praebet. Sacra scriptura interna cordis peccata non minus externa prohibet: „Abominatio Domini cogitationes malae” „Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mochtatus est eam in corde suo.”¹⁾ S. Augustinus de peccatis interioribus ita loquitur: „Quidquid vis, et non potes, factum Deus computat”²⁾ et alibi: „Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjugate aliena, planum tamen aliquo modo sit, id eum cupere, et potestas detur, facturum esse, non minus reus est, quam si in ipso facto deprehenderetur”³⁾.

Quod attinet consensum, utrum pravis cogitationibus mentis animoque obversantibus praestitus fuerit, nec ne, distinguendum est concupiscentiae motus triplex. „Is, qui omnino voluntatem a se tevertit, et quod inde consequitur, liber non est; is, qui omnino liber non est, quia voluntas eidem repugnat, quoniam tamen non satis ei reluctatur, consensum imperfectum eidem praebere censetur; et is, qui est omnino liber, quia cum cognitione, citra necessitatem, atque adeo cum affectione voluntas in eum fertur. Hortum motuum primum peccatum non est, alterum veniale tantum tertium procul dubio grave”⁴⁾.

Confessarius itaque, qui peccatoribus emendandis operam navat, peccatis internis extirpandis sedulo adlaboret fontem peccatorum obturando. Ex. gr. Cajus confitetur, se in commercio quotidianiano cum aliis contribulibus, et in laborando, saepe in blasphemias et execrationes erupisse. „Scisne, unde ejusmodi pessima verba in os tuum veniant? Dicam tibi, modo attende. Cor tuum non bene est dispositum ordinatumque; quod si cor tuum esset b

1) Proverb. XV. 26. — 2) Math. V. 28. — 3) In Psalm. LVII. — 4) Lib. de libero arbitr. c. 2. Cfr. Matth. V. 11. XV. 18. XII. 34. Jacob. IV. I. 14. — 5) S. Thom. quaest. disp. q. 15. a. 14.

num, essent et verba tua. Quodsi in corde tuo nullam impatientiam, nullam invidiam, nullam inimicitiam erga proximum, nullum tædium laboris nasci patereris, nullum verbum invidiæ, inimicitia, nullumque maledictum ex ore tuo prodiret. Nunc scis causam, ob quam verba peccatoria ex ore tuo prodeant; in corde latet fons, ibi haeret radix peccatorum. Nunc ostendam tibi viam, qua verba hæc vitiosa declinare queas. α) Quam primum vel minimam cogitationem aut cupiditatem adverteris; quæ impatientiam, iram, tædiumque gignere possit, ejusmodi cogitationi cupiditatiq̄ue fortissimam aliquam veritatem religiosam illico oppone. β) Quam efficacissimam veritatem, ut tempore opportuno occurrat, tum, quando in animo tuo omnia pacata sunt et tranquilla, attente revolvere oportet; occasiones diligenter explorare, in quibus ad iram invidiamque etc. tentari soles; proposita repetere, repetitaque oratione fulcire. γ) Ubi nihilominus in peccata priora prolapsus fueris, temetipsum ad iudicium provoca et damna, genibusque flexis poenitendo Deum, ut indulgeat, exora, tibimet ipsi poenam aliquam dicta, novoque proposito capto, fructus divina clementia atque gratia Jesu Christi, gressus tuos ulterius fige. Quoties maledictum os tuum evomuerit, genibus flexis os admove vel ori Crucifixi, cogita iudicium extremum, verbaque iudicis damnantis: „Ite maledicti,” memento maledicti, quod Deus super terram effuderit ob peccata etc.”

Continuatio.

§. 107. In animi morbis curandis, quominus poenitens denuo vitis indulgeat, confessarius etiam b) in *praedominantem animi cupiditatem*, et in *peccatum, ex quo plura peccata tanquam ex fonte scaturiunt*, intendat. Si enim Pater spiritualis in poenitentis vita fontem aliquem detexerit, unde plura, licet diversa, peccata promanare solent, et poenitentis animum eo inclinare non studuerit, ut pravae peccatorum matri obsistat, admovendo efficacissima media contra fontem malorum, nova atque nova continuo peccata promanabunt. Ubi vero peccatorum fluentia obturaverit, eo ipso cessabunt, et radice extracta et deleta nil peccatorum illorum succrescere poterit. Sic S. Chrysostomus sapienter pronunciavit: „Mos est medicorum, ut non prius morbos abigant; quam eorum fontes occludant”¹⁾. „Frustra enim, ut S. Ambrosius ait, cicatricem curaveris, si serpant interiora contagia, imo acerbatur vulnus, si foris clauditur, cum interius vulnus inaestuât”²⁾. Quanam vero sint potiores vitiorum radices, breviter his S. Bernardus indicavit: „Si vis videre, qualis sit tua conversatio, et quam vere solida, vide,

¹⁾ Serm. 2. in Paralip. — ²⁾ Epist. 61.

quid diligas, quid metuas, unde gaudeas, unde tristeris." „Quem admodum optimus medicus, ut ait S. Isidorus, ad aegrotantis naturae subsidium arte instructus et armatus, cum variis morborum generibus obsidetur, adversus eum, qui acrius urget, in procincta stans, eos, qui dilationem admittunt, in posterius servat, eodem modo et tu quoque medendarum animarum scientiam prudentia temperans, ad id, quod amplius urget, oculorum aciem intende, nam eo sanato spes est, fore ut reliqua etiam sanentur."

Quoniam vero fons peccatorum saepenumero in uno aliquo *peccato praedominante* latet, ab illo inprimis purgandus est poenitens, ut emendationem vitae sperare liceat. Ast quomodo agnoscipotest peccatum, quod dominatur? Respondemus: a) Opus esse ad id peculiari gratia, quam largitur Deus iis, quos ad animarum regendam curam evocat. b) Cognoscendum ante omnia esse proprium cor, omnesque illius motus dignoscendos, antequam cordis alieni motus ad examen vocemus. c) Diuturnam conscientiarum regendarum experientiam non levem conferre facilitatem ad hanc distinctionem. d) Ubi saepius confessionem alicujus audivimus, non operosum esse, defectus in illo praepollentes cognoscere, dummodo ille non dissimulet, neque confessario desit diligentia et ingenium. Ubi licet obiter perpendere, quam male agant illi, qui saepe confessarium mutant. e) Dominans etiam poenitentis peccatum agnoscipotest, cum primum sua crimina confitetur, si animus advertatur iis occasionibus, in quibus peccare consuevit, et si interrogetur, cur et quem ob finem ea, de quibus se accusat, peccata commiserit, quod ex sequentibus exemplis videre est. Supponamus aliquem confiteri, se festis diebus operatum fuisse, Missam non audivisse, in iras exarsisse, jurasse, percussisse, ultionis sensus fovisse; percontandum est, cur singula peccata patriverit. Si responderit, se ob lucri cupiditatem haec egisse, constat, in hoc dominari avaritiam. Si autem reposuerit, se iratum fuisse, quia contemnebatur, Missam non adivisse, quia a sociis recedere non audebat, ne illudertur, dominans illius peccatum superbia est vel vanitas.

Exemplum. Rusticus confitetur: Neminem decepi, nil furatus sum, neque adulteravi, ab ultima confessione ante annum facta nil mihi conscius sum, nisi quod chartis ludendo saepe maledixerim, et domum redux uxorem prolesque percusserim, sociisque meis saepius biduum triduumque iratus fuerim. *Conf.* Quare tamdiu sociis iratus es? *Poenit.* Quia ludendo pecuniam meam amissam isti lucrati sunt. *Conf.* Modo audi, quid benevole tibi dicam: Neminem decepisti etc., ast propterea nondum justus Christianus et bonus es, nec adhuc jus ad regnum coelorum habes. Ecce Christianus bonus non tantum enormia vitat peccata atque flagitia, quorum apud tribunalia humana posset accusari atque puniri, sed abhorret ab omnibus, licet ipsi minima esse videantur, peccatis, quia Sanctissimus Deus eis

offenditur, et S. Scriptura ait: „Qui minora non fugit peccata, mox in graviora labetur.” Dein magna tua cupido ludendi valde peccaminosa est, et animi saluti maxime nociva. Ecce ipse fateris, te ludendo maledicere et objurgare et execrari solere, hoc ipso Deus offenditur, et socii aliique audientes scandalizantur. Domum ubi redieris, uxorem prolesque, quae nil mali tibi fecerunt, innocentes percutis. Estne hoc homine Christiano dignum? Minime gentium. Nonne piis conjugibus una mens unumque cor esse debet? nonne patrem oportet bonis exemplis praelucere subditis? licetne quempiam innocentem punire? Ira odioque plenus nihilominus tamen audes orare: „Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus.” Quodsi fratribus iratum te mors occuparet, et tribunali divinae iustitiae sisteret, quomodo misericordiam obtineres? Ecce horum omnium malorum nonnisi ludendi cupiditas mater est infelix. Quae mala consuetudo pecunia tua te spoliat, et rei tuae familiari multa detrimenta adfert; amorem uxoris et liberorum minuit; benedictione divina indignum te reddit terrena et coelesti; quomodo Deus benedicat rei tuae familiari, cum benedictionis fructus ludendo dissipet? *Poenit.* Modo intelligo, mihi a ludendo esse abstinendum, imo ipse jam lusui veledixissem, nisi spes mihi affulsisset deperditam pecuniam iterum recuperandi. *Conf.* Dilecte mi! aut pecunia relinquenda aut Dei amicitia. Jesus Christus dicit: „Quid prodest, si homo mundum universum lucretur, et animae suae detrimentum patiatur.” Amice, nonne facile fieri potest, ut, te ludere pergente tantum absit, ut perditam pecuniam recuperes, ut plus adhuc deperdas? Pecunia ludendo amissa sit tibi poena a Deo injuncta pro insatiabili ludendi pruritu; promitte Deo, velle te non amplius ludere, et ora vehementer, ut tibi det gratiam, quod modo vis et promittis, actu adimplendi. Vita, quantum potes, socios lusus, omni vi aufer te ipsum illorum consortio, neque obsequere unquam illorum invitationibus, dicens eis: Jam sat ludendo pecuniae perdidisti; vilipende eorum opprobria amore Dei, qui innumeris te cumulat beneficiis. Excita diebus dominicis et festivis in S. S. Missa firmum propositum propter Deum non ludendi. Id ipsum tibi qua salutare poenitentiae opus impono una cum quinque Pater et Ave usque ad proximam confessionem omni die dominica et festiva recitandis cum singulari intentione ad illa verba: „Ne nos inducas in tentationem; assiste mihi Deus, ne in priorem consuetudinem malam redeam.” Quodsi poenitens habet, ponat aliquid in sinu pauperum.

Quod ipsa remedia seu subsidia attinet, quae emendationi peccatoris procurandae inserviunt, his enumerandis *generalibus et specialibus* hic loci superaedemus, pariterque methodum, qua applicentur, praeterimus, utpote quum de his omnibus sermo recurret copiosior infra Cap. III. hujus Sectionis.

Correptiones in finem emendationis.

§. 108. Praeter instructiones nonnunquam *correptiones*, et *reprehensiones* usurpandae veniunt. Correptio a divo Augustino *animi medicina* ¹⁾ vocatur, per quam ipsi sanitas restauratur. Unde S. Isidorus: „Sacerdotes, inquit, pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut *peccantes non arguant*” ²⁾. Ne vero contingat, ut poenitens correptionibus potius exacerbetur, quam emendetur, in usu illarum sequentes serventur regulae *Prima*: Raro et nonnisi urgente necessitate correptiones adhibeantur, ita ut etiam in his ipsis, non nobis, sed Domino ut serviat, instemus. *Alter*: Nunquam non ratio habeatur a) *personarum*, quae reprehendendae sunt, b) *peccatorum*, propter quae hoc remedium adhibetur, c) *modi et temporis*, quo usurpandae sunt. Nam a) *personas* quidem quod attinet, non omnes promiscue reprehendendae sunt, etiamsi peccatis gravioribus onustae deprehendantur. Non enim decet seniores magnamque habentes auctoritatem sive ecclesiasticam sive secularem reprehendere, uti monuit S. Paulus, dicens: „Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem” ³⁾. Si enim cum hac reverentia agas, magis eum incitabis ad suum peccatum deserendum. Idem confirmat S. Leo, dum monet, „ut, cum sacerdotes peccant, plus erga corrigendos agat benevolentia quam severitas, plus cohortatio quam comminatio, plus charitas quam potestas, nisi delicti atrocitas majorem exigeret sententiam” ⁴⁾. Nec illi, quia signa magnae contritionis et ferventis propositi emendationis prae se ferunt, durius increpandi sunt, cum finis, qui per ejusmodi reprehensiones intenditur, jam obtentus videatur. Hinc Ipse quoque Christus Mariam Magdalenam, licet grandem peccatricem, non graviter increpuit, nec pater ille filium suum prodigum redeuntem durius allocutus est; sed potius cecidit super collum et osculatus est, quia utraque haec persona extraordinaria poenitentiae signa exhibebat. — Neque etiam iis, qui timidiore et pusillanimitate conscientiae sunt, aut etiam ingenii exulcerati, hoc reprehensionis remedium adhibendum est, ut, sicut de Salvatore Isaias praedixit, „lignum quassatum non conterat et lignum fumigans non exstinguat” ⁵⁾, sed potius benigna exhortatione animique charitate et condolentia pleni significatione erigat et conservat. Soli vero poenitentes durioris naturae et exiguae capacitatis hoc medio curandi sunt, ut qui tali stilo duritiei et pertinaciae ipsorum proportionato magis percillantur.

b) Jam quoad *peccata*, ob quae poenitens reprehendus est, arbitramur, si plura asserat poenitens, eum non de omnibus in con-

¹⁾ Libr. de Moribus c. 27. — ²⁾ Libr. 3. de Summo bon. c. 47. — ³⁾ I. Tim. V. 1. — ⁴⁾ Epist. 28. — ⁵⁾ Cap. XXI.

fuso, nec de singulis in particulari increpandum esse, sed duo aut tria graviora accipienda, eaque gravius reprehendenda; nam doctrina universalis parum utilis, experientia ipsa docente, comperta est, si vero ad particularia multa descendatur, nimis gravis accidit, applicata autem ad ea, quae sunt magis noxia, fructuosior plerumque existit.

c) *Modus* corripienti ordinarie parcus potius quam prolixus, benignus quam severus, patris potius quam iudicis affectum praese ferens sit oportet, ut jam olim sapienter monuit S. Gregorius Nazianzenus dicens: „Hanc rationem tene, ut partim illum corrigas, idque leniter et humane, non ut hostis, neque ut durus et rigidus medicus; Christi discipulus es mitis et benigni, qui nostras infirmitates pertulit.” Nec enim oportet illum, qui peccato aliquo sit praeventus insolenter obruere, sed clementer monere, nec persequi jurgio, sed juvare consilio; nec cum insolentia in eum erigi, sed cum dilectione corrigere”¹⁾. Nisi molli manu tractentur vulnera, non coalescunt, exulceranda, si durius perfricentur, Pharmacopaeam subi, amarae ibi potiones vel miscentur saccharo, vel auro illiniuntur, ne deterreant: correctio si blanda sit, suavius accipitur, et curat efficacius. Denique *tempus* in reprehensionibus attendatur, ut scilicet reprehensio et correctio, ubi opus fuerit, non in principio confessionis, aut dum poenitens peccata enarrare pergit, sed in finem differatur, ne fors poenitens timore gravius reprehensionis absterritus reliqua peccata silentio reprimat.

Monita pro confessario.

§. 109. Unum quod restat, quodque quam saepissime non possumus non inculcare, illud est, 1) ut confessarius meminerit, ad *peccatoris emendationem* opus non esse tantum humanae industriae, sed potius divinae gratiae. „Negavit Petrus, et non flevit, quia non respexerat Jesus. Negavit tertio, respexit Deus, et statim flevit, et flevit amarissime”²⁾. Quapropter crebro et ardentem pro tali poenitente oret, maxime quando Christum sub sacro in manibus habet, nam, ut Apostolus ait, „non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis”³⁾. Et Christus ipse profitetur; Nemo potest venire ad Patrem, nisi Pater traxerit eum”⁴⁾, Confer Concilium Tridentinum, quod gratiam Dei ad conversionem peccatoris necessariam esse docet⁵⁾.

2) Ut non abiciat animum, nec desperet de poenitentis emendatione: si enim medicus desperet, quid aegrotus faciet, si dux pugnae fugit, quid faciet miles? „Certe in rerum natura, teste S.

¹⁾ S. Chrys. hom. 24. in Matth. — ²⁾ S. Ambr. c. 6. Apolog. David. —

³⁾ Rom. IX. 16. — ⁴⁾ Joan. VI. 44. — ⁵⁾ Sess. VI. can. 3.

Basilio, nil est, quod non diligentia corrigatur, neque vitium ullum adeo grave, quod non Dei timore pervincatur" ¹⁾). Et S. Leo: „Dum in hoc corpore vivitur, nullius desperanda reparatio, sed omnium est optanda correctio auxiliante Domino: Qui erigit elisos, solvit compeditos, illuminat caecos" ²⁾). Quodsi agri cultores viam et rationem invenerunt, qua amygdali alias acerbae dulcia proferant, cur via non inveniatur ad vitiosos mores mutandos? „Et forte, ut sapienter animadvertit S. Chrysostomus, si hodie verbis tuis non obtemperat, postea obtemperabit, et si neque secundo et tertio admonenti obtemperabit, iterum tamen te videns urgentem forte erubescet, et reveritus tuam curam ab his, quae offendunt, desistet. Non videtis, quanta Deus longanimitate nos tolerat, et quomodo quotidie negligimus obtemperare mandato ejus, et neque sic cessat a cura nostra? Simili modo et nos erga fratres nostros bene affecti magnam faciamus diligentiam, et reluctemur maligno illi daemone, ut irritos ejus faciamus conatus" ³⁾).

3) Diligenter caveat confessarius, ne aut labore in curatione suscepto defatigatum se ostendat, aut certum divinae misericordiae justitiaeve tempus praescribat, ne, sicut in hoc seniores Bethuliae imitaretur, dicentes: „Quinque dies exspectemus a Deo misericordiam, si autem transactis quinque diebus non venerit adjutorium, trademus civitatem," ita et audiat cum iisdem: „Posuistis vos tempus miserationis Domini, et in arbitrium vestrum diem constituistis ei. Non est iste sermo, qui misericordiam provocet, sed potius, qui iram excitet" ⁴⁾). Potius ergo *cultorem vineae* imitetur, qui, cum Dominus vineae ficulneam sterilem reperiens succidi jussisset, dixit ad illum: „Dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora; et siquidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam" ⁵⁾). Vel *medicum*, qui, cum graviolem viderit morbum, non desistit, nec molestia oppressus deficit, sed ad ferenda remedia diligentius se accingit, quod nos facere jubet S. Chrysostomus, „nam quanto impudentior atque pertinacior fuerit, tanto magis ad emendationem ejus absque ira et molestia studendum est" ⁶⁾).

4) Si vero per media nihil omnino fecisse se advertat, non turbetur, sed potius memorabilem S. Bernardi sententiam ponderet: „Noli, inquit, diffidere, curam exegeris, non curationem." Denique audisti: „Curam illius habe," et non cura, vel sana illum. Verum dixit quidam: non est in medicis semper, relevetur ut aeger; at melius tibi propono de tuis. — Paulus loquitur: „Plus omnibus laboravi," non ait, plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi: verbum insolens religiosissime vitans. Alias autem noverat homo, quem docuit Deus, quia unusquisque secundum laborem accipiet,

¹⁾ Reg. 10. — ²⁾ Serm. 33. c. 5. — ³⁾ Hom. 41. in Gen. — ⁴⁾ Jud. VIII. 13. 12. — ⁵⁾ Luc. XIII. 8. — ⁶⁾ Hom. 61. in Matth.

non secundum proventum. Ita, quaeso et tu fac, quod tuum est, nam Deus, quod suum est, faciet: — absque tua sollicitudine et anxietate curabit; planta, riga, fer curam et tuas explevisti partes. Sane incrementum, ubi voluerit, dabit Deus, non tu; ubi forte voluerit, tibi nihil deperibit dicente Scriptura; „Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum” ¹⁾. Securus labor, quem nullus valet evacuare defectus” ²⁾. Et S. Chrysostomus: „Quodsi post largam admonitionem in iisdem vitiis perseveraverint, ne sic quidem nos desistimus, illis, quod rectum est, consulere, quandoquidem et aquarum venae, etsi nullus veniat aquatum, manant tamen, et fontes, quamvis hauriat nemo, tamen scatebras emittunt, et omnes, etsi nemo bibat, nihilosecius fluunt; sic oportet et illum, qui concionatur (aut alio modo hortatur), quamvis nullus auscultet, tamen praestare, quidquid in ipso situm est” ³⁾.

5) Ubi autem labor isthic sacer e votis successerit, et poenitens in viam salutis redierit, gratiae agantur Deo, qui dedit velle et perficere in poenitente et poenitentiario; quoniam nihil est, qui plantat, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus, cui laus et honor et potestas in saecula.

B. Institutio ad perfectionem christianam.

§. 110. Instructiones et admonitiones, quas confessarius poenitenti suggerit, eo tendunt, ut peccatis hucusque commissis pro viribus valedicat, habitus vitiosos extirpet, atque tumultuantes naturae depravatae affectus spiritui subjugare satagat, seseque gratia divina opitulante emendet. Verum hoc pacto confessarii officium, quod instructionem et hortamen spectat, ex integro haud absolvitur, sed requiritur insuper, ut poenitens *ad perfectionem quoque christianam* instituat, et indies ad majorem perducatur. Quod olim dixit Dominus Jeremiae: „Ecce constitui te super gentes, ut evellas et dissipas, aedifices et plantes,” idem nunc repetit singulis confessariis, qui non solum debent evellere vitia e suis poenitentibus, sed etiam debent in illis virtutes inserere. Nam non sufficit, ut declinemus a malo, sed necesse est quoque, ut in virtute proficiamus continuo majori. „Natura nostra, manente adhuc mortalitate, mutabilis, etiamsi ad summa quaeque virtutum studia provehatur, semper tamen, sicut potest habere, quo recidat, ita potest habere, quo crescat Et haec est perfectorum vera justitia, ut nunquam praesumant, se esse perfectos, ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes, ibi incidant in deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerint appetitum. Nemo nostrum, dilectissimi, tam perfectus et sanctus est, ut perfectior sanctorum esse non possit.” ⁴⁾.

¹⁾ Sap. X. 17. — ²⁾ Libr. 4. de Compunct. c. 7. — ³⁾ In conc. de Laz. —

⁴⁾ S. Leo, M. serm. 40. c. 1.

Consistit vero christiani hominis perfectio in perfecta charitate erga Deum et proximum, vel potius in serio constantique studio ad perfectam charitatem pertingendi. Haec charitas quascunque virtutes complectitur, idque sub duplici ratione: a) qua *media et adminicula*, quibus quis ad perfectam charitatem contendit, et b) qua *exhibitiones*, quibus flamma isthaec divinitus accensa, quaquaversus se prodit et exserit; nam charitas patiens est, benigna est etc. ¹⁾. — Ast prout singulae hae virtutes diversos admittunt gradus, tum amplitudinis et puritatis, tum efficaciae et firmitatis, prout charitas, qua in Deum hominesque ferimur, major minorque existit; sic etiam gradus perfectionis distinguuntur infimus, summus, intermedius. Hinc multum errant, qui perfectionis essentiam in meris exercitiis pietatis vel mortificationis reponunt, finem cum subsidiis praepostere commiscentes. Unde, prout S. Franciscus Salesius disserit, quidam se multum profecisse opinantur, si multum et frequenter jejument, alii, si plurimas quotidie preces et orationes decurrant, alii, si largas eleemosynas erogare consueverint etc., cum tamen in exequendis suis officiis desides, in sensu suo abundantes, queruli, pervicaces, incompositi, invidi ac infrenatae linguae esse soleant.

Etiam si vero charitas, qua perficimur, una eademque semper sit, pro diversa tamen hominum indole diversas quoque formas prae se fert; aliter e. g. in personis Deo singulariter dicatis, aliter in secularibus, aliter in solutis, aliter in conjugatis se exhibet, imo ipsis quoque viribus et officiis singulorum semet adtemperare solet. Falluntur ergo, qui studium perfectionis solis religiosis et viris ecclesiasticis assignantes, illud cum vita forensi vel militari, aut cum statu conjugali componi posse negant; etenim unusquisque in ea conditione, ad quam vocatus fuit, ad perfectam Dei et proximi charitatem provocatur, ut sincero et efficaciter velit *quae* et *quia* Deus eadem pro diversis rerum adjunctis expetit, quod, ubi quis assecutus fuerit, ex suo genere perfectus haberi debet ²⁾.

Regulae practicae in ducendis ad studium perfectionis poenitentibus.

§. 111. Quoniam nullus progressus in virtute sperari potest, nisi firmo et efficaci desiderio teneamur, ad primas confessarii partes pertinet: 1) ut poenitentes suos ad vivum proficiendi desiderium accendat. Scilicet ut S. Augustinus inquit, „haec est vita nostra, ut desiderando exerceamur.” „Beatos praedicat Salvator Optimus, qui esuriunt et sitiunt justitiam;” et tepidos illa tremenda comminatio spectat: „Quia tepidus es, — — incipiam te evomere ex ore meo.

¹⁾ 1. Cor. XIII. — ²⁾ Cfr. A. Stapf. Theolog. moral. V. VI.

Quia dicitis: Quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo: et ne-
scis, quia tu es miser et miserabilis et pauper et caecus" ¹⁾. —
Desiderando capax efficiaris, ut implearis. Deus vult, ut anima,
quae imbrem divinae gratiae suscipiat, sit sitiens: „Effundam aquam
super sitientem" ²⁾. Sit autem hoc desiderium *ardens, forte et ef-*
ficax. Ardens quidem, ut quis ad perfectionem feratur instar fame-
lici ad cibum, instar sitientis ad potum. Forte, ut animum contra
difficultates erigat, et virtutis studio firmet: has enim qui horrent,
virtutem solidam non assequuntur. „Volunt, inquit S. Gregorius,
esse humiles sine despectu, esse contenti propriis, sed sine necessi-
tate, esse casti, sed sine maceratione corporis, esse poenitentes, sed
sine contumeliis, et cum adipisci virtutem quaerunt, sed labores
virtutum fugiunt, quid aliud est, quam exhibere belli certamina in
campo nesciunt, et triumphare in urbibus concupiscunt" ³⁾. Denique
efficax sit oportet, videlicet quod ad praxin operationis externae
perveniat, contentisque hominum diceriis et propriis commoditati-
bus sectetur non consolationes spirituales, neglecta virtutis substan-
tia instar pueri, qui butyrum pani allitum delingit et panem negligit,
sed virtutes constantes et firmas, quae sibi in omni loco, tempore
et occasione constant. — „Non ad mensuram, ait S. Hieronymus,
dat Deus, sed secundum dispositionem cordis nostri" ⁴⁾. Unde secun-
dum propositum et dispositionem nostram, cursus profectus nostri.
Quare ne seria proficiendi voluntas evolet, confessarius omnia devit-
tet, quibus alii a continuo virtutis et perfectionis studio deterrean-
tur. Hinc absit, ut perfectionis studium ceu rem nimis arduam de-
scribat; pariter cavebit, ne pietatem quasi tetricam omnisque gaudii
expertem exhibeat, quippe „quae ad omnia utilis est, promissionem
habens vitae, quae nunc est, et futurae:" imo jugum Christi semper
ceu suave et onus ceu leve proponat ⁵⁾.

2) Ut non nimis urgeat poenitentem, volens, ut uno quasi vo-
latu ad culmen sanctitatis ascendat, sed paulatim et per gradus du-
cat. „Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit us-
que ad perfectum diem" ⁶⁾. Discernuntur autem tres potissimum
gradus: *infimus*, si quis ad extremos quasi virtutis limites subsistit,
et ea tantum observat, quae sine aperto periculo negligi non pos-
sunt, — *summus*, dum scilicet virtus aliqua ideam Evangelii,
quantum in hac vita fieri potest, plane assequitur, — *intermedius*,
qui utique amplam latitudinem admittit, dum virtus aliqua gradum
infimum excedit, atque summo magis magisque propior redditur.
Sic triplicem humilitatis gradum statuit S. Bernardus, primum vi-
delicet, nolle dominari, alterum, velle subijci, tertium, in ipsa subje-
ctione quaslibet contumelias et injurias illatas aequanimiter pati.

¹⁾ Apoc. III. 16. Sap. VI. 18. — ²⁾ Isai. XLIV. 3. — ³⁾ Mor. libr. 7, e. 12.
⁴⁾ In Psalm. LXXX. — ⁵⁾ I. Tim. IV. 8. — ⁶⁾ Prov. IV. 18.

Eumque in finem meminerit, sic esse regnum Dei, teste Christo, quemadmodum si jaciatur homo semen in terram, et dormiat et exurgat nocte et die; et semen germinet et increseat, dum nescit ille; ultra enim terra fructificat primum herbam, dein spicam, dein plenum frumentum in spica. Et cum produxerit fructus, statim mittit falcem, quia venit messis¹⁾. Super quae verba more suo eleganter discurrens S. Gregorius: „Primum, ait, profert herbam tenerarum virtutum *tyronum gradui* accommodatarum, postea prodit *culmus*, qui operibus praestantioribus corroboratur, fitque solidior et firmior; postea prodit spica cum operibus *proficientium* propriis, denique provenit *spica* plena granis, qua proferuntur opera pleniora et praestantiora, quae sunt *perfectorum* propria”²⁾. Et S. Paulus: „Ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam parvulis in Christo; lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis”³⁾.

3) Ut eos, qui majorem perfectionis christianae gradum attingere satagunt, moneat sedulo de humilitate et firma erga Deum fiducia, tanquam omnis virtutis fundamento. Quo magis aedificium in altum exurgit, eo magis quoque haec basis solidari debet, ne, ubi descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, fiat ruina illius magna. Si perfectionis aliquid attigisti, dic cum Apostolo: „Non quod jam apprehenderim aut perfectus sim, sequor autem, si forte comprehendam, in quo comprehensus sum”⁴⁾. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti; si autem dixeris; sufficit, periisti. Humilitas reprimit audaciam et si quam de *se ipso* conceperit fiduciam. Fiducia autem *erga Deum* erigit illum, qui, dum post diurna exercitia se multis adhuc infirmitatibus subjectum videt, ideo turbari, mente dejici, aut de profectu suo desperare inciperet. Virtus in ipsa infirmitate perficitur.

4) Ne vero poenitens in devia abeat, omni ope adnitatur confessarius, ut quem erudit ad perfectionem, suas sibi tentationes incursantesque animum cogitationes aperiat. Quapropter director spiritualis, qui dirigit poenitentem secundum Christi doctrinam, in concedendis poenitentiae et mortificationis operibus prudentem rationem habeat totius conditionis internae et externae poenitentis. Non enim fert omnia omnia tellus. Magis in mortificatione interna, quam externa exerceatur; in humilitate nempe, patientia, mansuetudine, conformatione ad voluntatem divinam; in his enim plane nullus excessus timendus est, cum mortificationes externae plus tamen aestimationis non mereantur, nisi quatenus ad virtutes internas conducunt.

5) Confessarius non contentus sit, poenitenti communes vias

1) Serm. 60. — 2) Mor. libr. 22. c. 14. — 3) I. Cor. III. 1. 2. — 4) Philip. III. 13. 14.

ostendisse ad perfectionem obtinendam, sed etiam ad perfectionem cujusvis statui, conditioni, profectui et viribus convenientem, illum perducere studeat. „Unusquisque Deo, quod poterit, offerat, quovis tempore, quovis genere vitae et fortunae, pro praesentis facultatis modulo, pro gratia sibi concessa, ut per omnes virtutis modos omnes regni coelestis impleamus mansiones”¹⁾. Quae enim esset christiana perfectio, si materfamilias tempore, quo liberis, quo rei domesticae invigilandum, multas horas sacris innumeret; si filia, cui domi laborandum est, dum parentes in victu aliisque necessariis comparandis adjuvandi sunt, templa viseret, vel lectioni sacrae vel orationi vacaret? Deus magnus Paterfamilias officia distribuit, cuique statum et functiones assignavit; huic sanctae voluntati qui ex majori charitate et reverentia magis se conformat, vitam magis devotam gerit, neque opus bonum est, nisi conforme voluntati divinae. Certo Christus Dominus non placuit minus Patri vitam privatam triginta annis agens, laborans in officina Nutritii sui et Matri obediens, quam postea Regnum Dei praedicans et patrans miracula.

Praecipue vero laboret confessarius, ut poenitentes assuescant, omnia sua opera ad Deum referre, omnia, de manu Ipsius acceptare, Eiusque voluntati aequo animo acquiescere. Atque haec propriae voluntatis *resignatio* non solum ad eventus perarduos et rariores, sed etiam ad obvios et quotidie recurrentes, paucis: ad res omnes extendatur. Assidua et laboris plena est doctrina; ad summa non nisi magna contentione ascenditur. Verum dicente Apostolo „qui coepit in vobis opus, perficiet illud usque in diem Jesu Christi”²⁾.

Media et subsidia, quibus in continuato perfectionis studio perficimur, ethica et inprimis acesis christiana docet. Praecipua vide infra C. III. Art. II.

Materia et fons instructionum et admonitionum.

§. 112. Materiam adhortationis praebet frequenter ipsa poenitentis accusatio. Pro confessionibus autem, communissimos infirmitatis humanae errores, et leves solum naevos continentibus, bene faciet confessarius, si praeparet materiam (non verba) exhortationis, praemittens orationem et perpensionem quamdam, antequam ad confessiones audiendas se accingit. Desumi autem materia poterit ex circumstantiis temporis, aut loci, aut ex indigentis illius temporis specialibus; item ex festivitate; quae agitur, ex Evangelio illius diei; item ex obligationibus, periculis status, in quo

¹⁾ S. Greg. Naz. or. 9. — ²⁾ Phil. I. 6. — Vide librum perutilem Alphonsi Rodriguez (Roderici) S. J. Exercitium Perfectionis. P. I. tract. 8. de Conformitate voluntatis nostrae cum divina. Prodiit germanice Viennae typis Mechitharisticis: Des chrw. P. Alphons Rodriguez Uebung der Vollkommenheit. Wien 1836.

poenitens vivit; a commodis spiritualibus, quae status iste offert; et a modo, ad quamdam in illo perfectionem contendendi.

Materiae quasi generales sunt: horror peccati gravis, imo et levioris, nobilitas justitiae, fides, spes, charitas in Deum et proximum, pericula omnibus communia; fallacia tentationum, inconstantia humanae mentis, item praxes piae etc. illius status hominibus accommodatae. Alias et sat copiosas materias suggerent opera poenitentiae, quae a confessario dictantur. De quibus vide infra.

Quoniam vero confessarius non qua doctor Religionis naturalis sacro tribunali insidet, sed qua Christi vicarius, hinc hortari et docere debet, non suum, sed Dei verbum annuntiando peccatoribus. Testis est quoque experientia, profecto quam plurimis omni scientiarum genere ornatis nuda rationis dictamina atque imperativa haud sufficere. eisque sub vitae vesperam humana sapientia ad nauseam saturatis Dei oracula quam jucundissime sapere. Verba sacratissimo Ipsius Dei ore prolata magis feliciusque in animum agere, quam verba humana, quis inficias ibit? Deus ita vult, Dei haec est voluntas, res decisa. Verba sacrae Scripturae et S. S. Patrum majori benedictione gaudent, quam verba doctissimorum hominum. Quapropter haurire oportet doctrinas atque hortamina non ex ratione et experientia solum, sed inprimis ex dogmatibus fidei morumque catholicis, ex sacris utriusque Testamenti literis sanctorumque Patrum effatis. „Sacra scriptura divinitus inspirata utilis est ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus”¹⁾. Ne coelestis ille thesaurus sacrorum librorum neglectus jaceat, utpote quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, Tridentina synodus sacrarum scripturarum lectionem sacerdotibus commendat maximopere²⁾, S. Hieronymus ad Eust. „Die noctuque sic mente revolvantur scripturae sacrae, ut tenenti codicem somnus obrepit, et cadentem faciem pagina sancta recipiat.”

Accedit, quod in poenitentibus instruendis et admonendis acta vitae Sanctorum plurimum valeant, quae confessarius in suas partes deducere noverit. Verum enim vero scientia sola in conscientiarum arbitris vix proficiet, nisi haec continua veritatum religiosarum meditatione animetur nutriaturque, et vitae sanctimonia sit conspicua.

Indoles earundem.

§. 113. Instructiones et admonitiones, quas confessarius poenitentibus ad procurandam emendationem vitaeque christianae perfectionem impertitur, 1) *mansuetae* sint omnes *charitateque*

¹⁾ II. Tim. III. 16. 17. — ²⁾ Sess. VI. cap. 1.

Jenae. E tono non minus ac verbis elucescat, quod eum peccatoris miseretur, ejusque animi saluti, quam maxime potest, studeat. Fratres, scribit S. Paulus, „si praeoccupatus fuerit homo in aliquo elicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis”¹⁾. „Jubet Christus, nos esse oves etiam inter lupos. Mane via, et ita lupos superabis. Nihil enim est mansuetudine potentius; nihil lenitate validius ac firmitus”²⁾. S. Bernardus confessarios suavitate divini spiritus repletos comparat mulieribus, quae ad sepulchrum venerunt, ut ungerent corpus Domini nostri Jesu. „Quaerat mens aromata sua, ante omnia compassionis affectum, debitas sollicitudinis zelum; nostrum suscitare non est; sed ungeri nobis succumbit; alioquin in spiritu vehementi conterimus naves Tharsis, conterimus conquassatum calamum, extinguimus linum fumigans. Linguae quoque aromata sunt, modestia in increpando, copia in exhortando, efficacia in persuadendo.” „Nec enim oportet, ait S. Chrysostomus, illum, qui peccato aliquo sit praeventus, insolenter obruere, sed clementer monere, nec persequi jurgio, sed juvare consilio; nec cum insolentia in eum erigi, sed cum dilectione corrigere”³⁾. Et S. Augustinus: „Medicus amat aegrotantem, odit aegritudinem; ut liberet aegrotum, persequitur febrim”⁴⁾. Neminem emendabis; cujus amorem fiduciamque tibi non conciliaveris prius amica benigna nitique agendi ratione. Aqua delet ignem, et verbum lenis iram. Nux immatura viridisque sapit amare, saccharo decocta est remedium dulce stomachale. Apiculae moderato aeris sono revocantur, dispersae altiori strepitu fugantur. Unica mellis gutta, inquiebat S. Franciscus Salesius, plures muscae capiuntur, quam integro fellis cado, neque tamen sit admodum dulcis sermo tuus, imprimis ad foemellas. Pauca cum ipsis et graviter loquere, non nisi necessitate cogente ipsis scribere licet, et tunc magis scalpelli apice scribe, quam calamo, ut unumquodque superfluum verbum decidere facile valeas.

2) Institutiones et adhortationes *solido fundamento nitantur, gravitate et fortitudine gaudeant*, adeo ut mentem illustrent et convincant, animumque vehementer moveant. Argumenta levia facile subvertuntur, nihil influunt aut vix parum in animum. Admonitiones leves, perfunctoriae, fessae languidaeque minime cor peccatoris commovent, nullumque peccati horrorem incutiunt, nullum forte propositum eliciunt, nullumque amorem Dei virtutisque instillant. Quid juvat rustico sano, juveni fornicario acclamare: Fornicando aegrotus evades: aut furi, qui hucusque latuerat: Si deprehensus fueris, in carcerem mitteris; aut ebrioso, calumniatori, vindictae cupido dicere: Debes te emendare, nec amplius te inq-

¹⁾ Gal. VI. 1. — ²⁾ S. Chrys. in Psal. CXIX. — ³⁾ Hom. 24. in Matth. —

⁴⁾ De temp. serm. 37.

briare, neminem calumniari, nullam vindictam anhelare licet; id enim Dei praecepto adversatur? Ejusmodi sententiis moralibus sat languidis nemo consuetudinarius peccator concutitur, et ad veram poenitentiam vitaeque emendationem perducitur. Confessarius utatur oraculis et exemplis S. Scripturae, quae Dei ipsius verba sunt, et summa auctoritate ornata, quae insuper vitae plenitudine gaudent, et vi superna illuminandi, suaviter movendi, vehementer conquassandi indurata corda peccatorum insigniter pollut.

3) Instructiones et admonitiones confessarii, *indoli poenitentis* intellectuali et morali, nec non *statui ipsius* externo usquequaque sint *adaequatae*. Non enim una eademque, ait S. Gregorius M., cunctis exhortatio congruit, quia nec cunctos par mentis qualitas adstringit. Aliter cum magnis, quam cum plebejis hominibus, aliter cum doctis et igenuosis, quam cum indoctis et rudibus, aliter cum exercitatis in rebus spiritualibus, quam cum inexercitatis, aliter cum cholericis et impatientibus, aliter cum iis, qui sedato et patienti sunt animo, aliter cum sanguinicis et phlegmaticis, aliter cum melancholicis et scrupulosis agendum est, dum instruuntur et admonentur. Pariter aliam agendi rationem in eas oportet cum puero et juvene, cum viro et sene, aliam cum infirmo, aliam cum peccatore sano, ut taceam, alia hortamina danda esse militi, moniali, ecclesiastico, praeterquam quod adhortatio quaevis peccato cuilibet sit priva. De his omnibus vide Sect. II. de principiis specialibus.

4) Aequè simul optandum est, ut instructiones et admonitiones *genio festi confessionisque tempori convenient*. Mystera etenim Religionis nostrae, quae per anni circulum statis temporibus celebrantur, non merae sunt recordationes anteactorum, sed simul momenta divinarum gratiarum, quas in eorum celebratione speciatim appetimus et in usum convertimus.

„Die Kirchenfeste werden in der katholischen Kirche nicht als blosse Erinnerungen an die in der Zeit ergangenen Geheimnisse gefeiert: sondern durch ihre Feier soll der Mensch die an diese Acte Gottes geknüpften Gnaden sich aneignen, in Besitz und Anspruch nehmen.“

Jam ex hac parte consultum est, ut confessarius in instructionibus et admonitionibus poenitenti adhibendis festorum ecclesiasticorum respectum teneat. Id ipsum quoque postulat expectatio poenitentium, qui festis Ecclesiae ad confitendum et S. S. Eucharistiam sumendam inducuntur, quinimo ea mente sacrum tribunal accedunt, ut mysterium, quod Ecclesia hac die colit, eo dignius concelebrare possint. Et quam insigniter instructionis et admonitionis negotium haec temporis adjuncta adjuvant! Poenitentes saltem aliquo modo mente praeparati se sistunt; confessarius vero copia dicendi abundat eo, quod inde materiam suam hauriat; quae ratio eo magis valet apud eos, qui frequenter confessariorum pedibus advolvuntur.

Libri, qui confessario tyroni hac in re usui esse possint, notari inter alios merentur: Cl. Beaudran: Die Seele in der Betrachtung der göttlichen Geheimnisse; oder heilige Erwägungen über die Geheimnisse Jesu, und seiner göttlichen Mutter. Augsburg 1797. — Cl. Grosse, Journal des Saints et Méditations pour tous les jours de l'année. — Tagebuch der Kirchenfeste und Heiligen. Mit entsprechenden Schriftstellen und Betrachtungen auf jeden Tag des Jahres. Nach Grosse, Wien, 4. The. 1828. — Leben und Thaten der Heiligen. Herausgegeben von einigen kath. Geistlichen in der Schweiz. 2. Bde. Luzern. 1825.

5) Instructiones et admonitiones *longiores*, vel *breviores* esse possunt, prout ad eas recipiendas poenitens magis minusque dispositus erit. Illi, qui paucioribus onerati peccatis frequentius accedunt ad confessionem, ac bonae conscientiae sunt, brevius sunt expediendi, quemadmodum eos, qui, multa licet patnaverint peccata, discretionem tamen et intellectu pollent, sufficientique peccatorum compunctione ac dolore firmum sibi fecerunt propositum, vitam deinceps emendandi, longis adhortationibus instruere aut vel increpare velle, supervacaneum est, quibus satis erit necessarias tantum instructiones ac remedia proponere. Rudioribus vero, obstinatis, et his, qui gravissimis onerati peccatis exiguum admodum compunctionis ac poenitentiae prae se ferunt specimen, pressius imponendae manus, i. e. longius eos efficacibus verbis instruere et arguere oportet. Cavendum tamen est, ne modum excedat in copia dicendi, studendumque, ut non nisi gravissima seligat confessarius, et quantum fieri potest, brevibus complectatur sententiis. Quodsi nimis verbosus omnia simul proferre velit, si doctrinis doctrinas, argumenta argumentis accumulare adlaboret, memoriam obruit taediumque creat, adstantibus longius otium reddit, a re principali facile divertit seque ipsum necessario tempore privat, applicationem salutaris poenitentiae confitenti ostendendi. Quare confessarius illorum imprimis respectum habeat peccatorum, quae singularem instructionem et adhortationem exigunt; et quidquid in casu singulari ad poenitentem edocendum et emendandum dicendum est, id brevibus efficacibusque verbis dicere curet. Neminem vero dimittat, cui non studeat addere saltem scintillam ad calorem, quo Spiritus sancti gratia cor poenitentis imbuit. Nisi enim hoc fiat, confitentes egredientur sacrum tribunal frigidiores, quam intraverant.

6) Postremo animadvertendum putamus, fieri posse, ut adeo pusillanimis quis sit, tantamque peccatorum suorum contritionem conceperit, ut consultum potius sit, *consolari* ac *confortare*, infinitam Dei bonitatem ac misericordiam ob oculos ei ponendo, quam exhibere solet his, qui toto corde convertuntur ad Eum. In genere regula tenenda est, quam S. Gregorius M. tradit, justitiam Dei ante peccatum timendam, post peccatum vero in misericordia sperandum esse. „Nemo, qui peccaverit, dicat, quia justus est (Deus), de peccati remissione despero. Relaxat enim Deus facinus, quod defle-

tur, sed perpetrare quisque timeat, quod, an digne deflere possit, ignorat, ante culpam ergo justitiam metuat, post culpam tamen de pietate praesumat; neque ita justitiam timeat, ut nulla spei consolatione convalescat; neque ita confidat de misericordia, ut adhibere vulneribus suis dignae poenitentiae negligat medicinam, sed quem sibi sumit pie parcere, semper etiam cogitet, et districte judicare¹⁾.

C. De dubiis solvendis ac consiliis dandis.

§. 114. Ad munus confessarii merito refertur et illud, ut poenitentes circa dubia, aut casus ab ipsis sibi propositos instruat; quapropter etiam regulas damus, quomodo in consiliis dandis solvendisque dubiis, ac casibus decidendis se gerere debeat. Respondemus autem, quam cautissime et prudentissime. Quodsi consilia et sententiae confessarii sunt ejusmodi, ut peccator poenitens eorundem executione ipse experiatur, quam rationi conformia, utilia, aequa et justa sint, tunc poenitentiarius fiduciam filii sui spiritualis lucrabitur, qui libenter regimini ductuique ulteriori patris sui se submittet. Confessarius e contra, qui in consiliis dandis sententiisque ferendis matura prudentia deseritur, facile et sibi et aliis laqueos injicere, poenitentique ad imprudentem agendi rationem ansam dare, eique onera imponere, quae portare minime tenetur, nec non et poenitentis bonae famae honorique detrimenta adferre, et ejus fiduciam perdere potest. Quare non praecipitanter respondeat, et, nisi certus sit de veritate responsi, tempus rem usquequaque maturius examinandi (siquidem circumstantiae, ut, quod justum aequumque sit, decernatur, id patiantur) petat, nec sibi fidat nimium, atque alios etiam, quantum salvo secreto sacramentali fieri potest, consulat; nec facile aut promiscue *scripto* dubia talia resolvat, aut decisa tradat.

Casus practici.

§. 115. 1. Poenitens confitetur, sibi in causa ex intima sua persuasione justa litem fuisse intentatam, atque cum rem patronus minus bene defendisset, faventem judicis sententiam nonnisi sub hac conditione obtigisse, si in circumstantiam aliquam juraret. Utut salva conscientia hanc veram declarare non posset, proprii commodi vanique honoris studio captus jusjurandum dedit, sicque pejevavit. Cognoscit modo delictum grave admissum sentitque dolorem, verumtamen censeat, ad restitutionem se non obligari, quia pro persuasionem suam conscientiae consentanea jus sibi compete-
bat, at-

¹⁾ Mor. libr. 33. c. 19.

quo a circumstantia illa, in quam juraverit, sive falsa sive dubia, causae suae justitia nequaquam pendebat.

Resp. Poenitens hic ad restitutionem illius, quod ipsi ex iudicis sententia conditionatim, dato scilicet iurejurando, in possessionem concessum, et adversario abjudicatum fuit, monendus est; conscientia ipsum obligat, iudicis sententiam sequi et jus amplecti, sicuti ab illo fuerit decretum. Ex iudicis sententia, nequaquam vero a privata litigantium persuasione; qui nunquam non jus sibi adscribendum putant, pendet, quid sit justum, et cui jus competat. Artes certantes suae persuasioni iudiciali effato contrariae eo minus poterunt inhaerere, quoniam partim philautia, partim variis animi passionibus, in causis litigiosis utcumque se exserentibus, opinione facilius excaecati ad erroneam rei dijudicationem abripiuntur, partim necessariis ad rite ferendum iudicium cognitionibus destituntur. Quodsi igitur poenitens eloquio iudicis obsecundare tenetur, sua sponte finit, quod adversario dictam restitutionem debeat; etenim sententia posito in casu proprie adversus illum et in huius favorem edita fuisset, quia nonnisi laesa veritate conditioni satisfacere, et jusjurandum interponere potuit.

2. Sponsus suspicatur, sponsam suam fidem violare, atque cum viro alio ante ipsi jam noto conventus clandestinos continuare. Zelotypia actus postulat, ut iurejurando testetur, quod fida permanerit, exhibet juramenti formulam recitandam, dicitque, secus se te perfidia illius convictum illico matrimonio esse renuntiaturum. Sponsa utut salva veritate praestare hoc non posset, ipso tamen instante et timore dedecoris sequenturi, conjugiique utilis irritandi impulsiva, in ejusdem verba jurat pejeratque. Jam coram confessario se ideo accusat quaeriturque: 1) An non pejeratio vi illata et timore incusso possit excusari? 2) An non teneatur illud revocare? 3) Quid sibi foret agendum, si sponsus aut futurus maritus simili obstante casu, zelotypia tactus, tale jusjurandum exigeret?

Resp. Primam quaestionem quod attinet, nec injustissima violentia efficit, ut actio interna, absolute mala, qualis est pejeratio, incerta reddatur. Itaque poenitens ob vim aliquam illatam nequitiam peccato immunis censenda est; vis nonnisi tanquam mitigans circumstantia, quae culpam aliquatenus imminuit, considerari potest. Nec tamen, ut ad secundam respondeamus, pejerationem revocari debet. Etenim mendacia tunc solummodo restitutionis officium solvunt, ubi decepto jus convenit a deceptore vera audiendi; nostro autem in casu ad sponsum quidem pertinet a sponsa fidei conservationem exigere, nequitiam tamen jure gaudet postulandi, ut haec de forsitan violata ipsa dedecoris sui confessionem exhibeat; perfidia admissa, non vero celata, injuriam ei intulerat. Idcirco confessarius eam moneat, ne sponsum postea fallat, et hinc connexionem cum amico priori tollat, vel si in istum nullo plane feratur affecta, con-

jugio contrahendo renuntiet. Quoad tertiam quaestionem jusjurandum non nisi ex gravi ratione conceditur, jurare ex causa quacunque futuri idem esset, ac vilipendere tam sanctum religionis actum. Monenda igitur est poenitens, ne unquam ob momentaneam zelosi amantis voluntatem in jusjurandum consentiat, etsi salva veritate praestare hoc possit; ut praeterea sponso oportuna occasione data manifestum reddat, se ob jurisjurandi gravitatem et sanctitatem jurare non debuisse, nec sibi confessarii sententia edoctae in posterum licitum esse pari in causa jurare. In hoc ipso vero ea cautione versetur, ut novae suspicioni oriundae omnis locus adimatur.

3) Uxor a marito moribundo rogatur, ut jurejurando interposito promittat, se ad alias nuptias ipso defuncto non amplius transituram esse. Assentit petitioni emisso in hunc finem juramento. Jam de his in confessione se accusat. Quid, si hoc non obstante ad novas nuptias transierit? quid, si antequam ineat matrimonium, confessarium consulat? quid, si jam a tertio gravida sit? quid, si ob datam fidem, se non amplius alteri nupturam, haeres totius substantiae defuncti scripta fuerit?

Resp. Poenitentem hanc culpa gravi conscientiam suam onerasse eo, quod emisso nihilominus jurejurando alteri nupserit, certum est; quare si ante matrimonium contrahendum consilium a confessario expetit, moneri debet de juramenti obligatione. Ast ubi salus poenitentis periclitaretur, quatenus timendum esset, quominus castimoniam vitae servatura foret, cedendum est, ut dispensatione accepta matrimonium inire possit; quod casu posito, quo gravida jam est, vel suadere oportet. Quoad haereditatem vero sub conditione obtentam, ad restitutionem tenetur.

Plura vide infra de restitutione ob injustam laesionem.

C a p u t II.

De principiis generalibus circa contritionem observandis.

Contritio.

§. 116. Contritio est pars Sacramenti Poenitentiae praecipua et omnium maxime necessaria, utpote qua deficiente Sacramentum vita omni ac virtute destituitur, velut corpus sublato spiritu. Est autem contritio, ut Tridentina synodus docet, „animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero;” deinde paucis interjectis definitionem allatam explicans et argumentis firmans ita pergit¹⁾: „Declarat igitur sancta Synodus,

¹⁾ Sess. XIV. cap. 4.

hanc contritionem non solum cessationem a peccato et vitae novae propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere juxta illud: „Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum” ¹⁾. Et certe, qui illos sanctorum clamores considerat: „Tibi soli peccavi, et malum coram te feci:” „Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum; recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae,” et alios hujusmodi generis, facile intelligit, eos ex vehementi quodam anteactae vitae odio et ingenti peccatorum detestatione manasse.” —

Definitio haec nihil continet, quod non sit ad remissionem peccatorum ex ipsa rei natura necessarium; nam qui Deum offendit ex praepostera ad creaturas conversione, quo in gratiam redeat, necesse est, ut a rebus creatis se avertat, et convertatur ad Deum, atque hoc fieri non potest absque peccati odio et detestatione, ac proposito non peccandi de cetero: ubi enim peccati detestatio non est, manet affectus ad peccatum commissum; et ubi non est propositum non peccandi, manet affectus ad peccatum futurum. Porro detestatio peccati illud in animo peccatoris necessario efficit, ut dolorem de illata Deo injuria concipiat, omnemque affectum ad peccatum deponat. Hinc S. Ambrosius dicit: „Poenitentia est: mala praeterita plangere, et plangenda non committere” ²⁾. „Non vult Deus, ait S. Augustinus, sacrificium trucidati pecoris, sed vult sacrificium contriti cordis” ³⁾.

Prout contritio est pars Sacramenti, ad eam pertinent, quae Synodus sacra adjecit; „cum voto praestandi reliqua, quae ad rite suscipiendum Sacramentum requiruntur.”

Divisio.

§. 117. Varia et multiplex ratio esse potest, quae dolorem de peccato commissio et propositum ab eo deinceps abstinendi procreat, eaque est interdum *naturalis*, ut: metus infamiae aut vitae aut damni, et detrimenti exinde secuti vel imminentis, aut praemii alicujus temporalis cupiditas. Verum hunc dolorem omnes ad recuperandam Dei amicitiam insufficientem dicunt; ex isto enim poenitens non de peccato, sed nonnisi de ejus consecrariis dolet, et simul, dum *ultra naturam* non assurgit, testatum facit, se verae detestationis suae immemorem solis terrenis inhiare; hinc omni amore Dei destituitur.

Quando autem dolor et detestatio de peccato commissio cum proposito de cetero non peccandi elicitur per *gratiam*, et ex *motivo per fidem proposito*, contritio dicitur *supernaturalis*. Dividitur haec in perfectam et imperfectam, prout excitati ed adjuti per divi-

¹⁾ Ezechiel. XVIII. 31. — ²⁾ Serm. 40. — ³⁾ De civit. Dei. c. 5.

nam gratiam peccata vel ex motivo charitatis theologicae detestamur, eo quod Deum summum et omni amore dignissimum donum offenderimus; vel de iisdem ex motivo inferiore dolemus, scilicet ex metu poenarum infernalium, vel propter consideratam peccati turpitudinem. Contritionem imperfectam etiam *attritionem* vocant. Ex his perspicitur, quantum intersit inter contritionem etiam imperfectam et contritionem naturalem. Illa siquidem ex fide est, estque supernaturalis ordinis, haec terrena est, nec quidquam valet in salutis negotio. Talis erat contritio Antiochi regis ¹⁾, talis erat contritio Esau ²⁾. Distinguendum tamen est *motivum* contritionis a *occasione*, qua quis ad contritionem et poenitentiam excitatur, v. casu adverso, morbo, vel alia quacunque afflictione, unde multi occasione sumunt redeundi ad Deum per contritionem de peccato conceptam ex quodam motivo supernaturali.

Qualis contritio Sacramento Poenitentiae necessaria.

§. 118. Quaestio haec summi momenti est, utpote quum conciliationem cum Deo attineat. Tutissimum in hac difficultate obsepta re esse arbitramur, si prius ipsius Tridentinae Synodi sententia et definita audiamus. Docet sacra Synodus: „Etsi contritio hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsa nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti venia quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam vero contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudine peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae declarat, non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsu non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitentem adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem non queat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Poenitentiae impetrandam disponit” ³⁾. Itaque I. contritio perfecta est quidem talis seu exemplar, ad quod tum poenitens eluctari, tum confessari eundem evehere studeat; attamen etiam contritio imperfecta peccatorem ad Dei gratiam in Sacramento Poenitentiae impetrandam disponit, dummodo voluntatem peccandi excludat. Quam primum enim voluntas peccandi excluditur, amor aliquis aeternae justitiae ja adest, et quamvis talis poenitens adhuc valde infirmus sit, non tamen amplius vitiosus dici potest, et proinde ad recipiendam Dei gratiam, quae ex opere operato per Sacramentum confertur, disp-

¹⁾ II. Mach. IX. — ²⁾ Gen. XXVII. — ³⁾ Sess. XIV. cap. 4.

situ existit. Jam vero aliquem saltem amorem Dei adesse oportere, sacrae literae affatim docent. „Qui non diligit, manet in morte”¹⁾. „Si charitatem non habuero, nihil sum, si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest”²⁾. Et alibi anathema dicit Apostolus „omni, qui non amat Dominum Jesum Christum”³⁾. Quin imo nota sunt verba Salvatoris: „Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua.” S. Chrysostomus ait: „Cum peccaveris, ingemisce, non quod poenas daturus sis, nihil enim hoc est, sed quod Deum tuum offenderis tam benignum, tam te amantem, tam denique saluti tuae appensum, ut Filium quoque suum tua causa tradiderit”⁴⁾. — Quare contritio imperfecta, ut ad gratiam in Sacramento Poenitentiae obtinendam sufficiat, amorem Dei aliquem conjunctum habeat necesse est⁵⁾. — Si autem quaeras, qui Dei amor in Sacramento Poenitentiae requiratur, dicimus cum cl. D. Liebermann: „In Sacramento sufficit attritio seu contritio imperfecta, cum amore spei seu castae concupiscentiae. Triplex nimirum distinguitur Dei amor. Primus Deum amat, ut Beatitudinis largitorem. Secundus, ut Ipse est merces nostra magna nimis. Tertius, ut est in se infinite perfectus. Primus est amor spei simpliciter; Tertius amor purae et perfectae charitatis. Secundus inter utrumque medius est, et de utroque partecipat, et gradum constituit in amore spei ultimum, et in amore charitatis primum.”

2) Quamvis timor ex Gehennae metu ortus, quo quis peccatum odit, quod aeternam felicitatem nobis adimat, sit bonus et laudabilis, utpote domum Dei et Spiritus sancti impulsus; timor tamen *mere servilis*, quo quis de peccato dolet metu Gehennae, vel propter amissa praemia aeterna, quin peccati affectum exuat, cum implicita saltem voluntate, illud, si impune posset, committendi, malus est; non quidem ratione objecti, sed ratione subjecti prave dispositi; hinc hominem absolute sacramentali indignum reddit. „Hic timor manus quidem adstringit, cor autem non mutat”⁶⁾. „Et inaniter putat, se esse victorem peccati, qui timore poenae non peccat; quin etsi non impletur foris negotium malae cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. — — — Ac per hoc in ipsa voluntate reus est, qui vult facere, quod non licet fieri, sed ideo non facit, quia impune non potest fieri”⁷⁾. Et quam incerta sit poenitentia, quae solo poenarum metu se continet, et ad justitiae amorem non transit, diserte docet S. Augustinus, dum ait: Quid est magnum, timere malum? Magnum est, non facere malum, magnum est, amare bonum.

1) I. Joan. III. 14. — 2) I. Cor. XIII. 2. 3. — 3) I. Cor. XVI. 22. — 4) Hom. 4. in epist. ad Cor. n. 6. — 5) Cfr. Con. Trid. Sess. VI. cap. 7. — 6) S. Aug. serm. 161. — 7) Epist. 144.

Nam et latro timet malum, et ubi non potest, non facit, et tamen latro est. Deus enim cor interrogat, non manum. Lupus venit ad ovile ovium, quaerit invadere, quaerit jugulare, quaerit devorare; vigilant pastores, latrant canes; nihil potest, non aufert, non occidit: sed tamen lupus venit, lupus redit. Numquid quia ovem non tulit, ideo lupus venit, et ovis redit? Lupus est tamen et fremens et tremens. Interroga ergo te, quisquis vis judicare; et vide, si tunc non facis male, quando potes facere, et ab homine non puniri: tunc times Deum. Nemo est ibi, nisi tu et ille, cui facis malum, et Deus, qui ambos videt. Vide, ibi time. Parum est, quod dico: Vide, ibi time malum, ibi ama bonum. Nam etsi timore Gehennae non facis malum, nondum es perfectus. Audeo dicere: Si timore Gehennae non facis malum, est quidem in te fides, quia credis futurum Dei esse iudicium. Gaudeo, fidei tuae, sed adhuc timeo malitiae tuae. Quid est, quod dixi? Quia si timore Gehennae non facis malum, non amore justitiae facis bonum" ¹⁾. Consonat doctrinae S. Augustini D. Thomas docens, Antiochum peccatorum remissionem non esse consequutum, quia solummodo timebat poenam, non amabat justitiam. „Antiochus veniam consequutus fuisset, si vere poenitisset: sed non habuit veram poenitentiam, quia non ex amore justitiae de peccatis commissis dolebat, sed timore poenae, quam expectabat, vel dolore poenae, quam sustinebat" ²⁾. Ecce duo suppliciorum genera, quae timebat, aeternum, quod *expectabat*, temporarium, quod *sustinebat*.

3. Ubi vero poenitens ex defectu confessarii hoc Sacramentum carere debet, certum est, neque in hoc casu peccatorem justificari posse, nisi per divinum Mediatorem: „non enim est in aliquo alia salus, et Ipse est propitiatio nostra" ³⁾. Ut vero talis poenitens de Christi meritis participet, atque divinum Redemptorem quasi comprehendat, praeter votum Sacramentum suscipiendi saltem implicitum, contritio perfecta requiritur, quia nonnisi illi remittuntur multa, qui dilexit multum ⁴⁾. „Charitas inchoata, inchoata justitia est: charitas perfecta, perfecta justitia, charitas perfecta, perfecta justitia" ⁵⁾.

Obligatio confessarii circa poenitentium contritionem.

§. 119. Quoniam contritio, sive perfecta sit, sive imperfecta, pars est essentialis Sacramenti Poenitentiae, confessarius curare debet, ne sit duntaxat in speciem, sed vera et sincera, et qualis a

¹⁾ Epist. 178. alias 19. — ²⁾ In IV. Sent. Dist. XX. q. 1. art. 1. ad. 1. — ³⁾ Act. IV. 12. I. Jo. II. 2. — ⁴⁾ Luc. VII. 47. Cfr. I. Jo. III. 10. — 11. 14. — 19. IV. 7. 16. I. Petr. IV. 8. Jac. I. 12. Cfr. Orig. hom. 2. n. 4. in Lev. — S. Chrys. in I. Cor. 44. n. 3. item. in Thess. hom. 4. n. 4. — S. Ambros. Apolog. David. I. 35. 49. et 50. — ⁵⁾ S. Aug. libr. de Natur. et Grat. c. 70.

enu Christo fuit iustituta, et a Tridentina Synodo exhibita in de-
 nitione superius allata; nam totum reconciliationis opus contritio-
 nis potissimum continetur. Ubi adest contritio vera et sincera, reli-
 qua, si in potestate peccatoris sunt, abesse non possunt; si autem
 haec peccatoris culpa desunt, contritione supplentur. Confessarius
 fitur *videbit*, 1) an poenitens propter Deum veram habeat pecca-
 rum suorum contritionem, ne, dum fors *perfecta* contritione de-
 tituatur, vel *ipsa imperfecta* expers sit. Unde vero illam deficere
 onjiciet, atque ex *timore tantum* confitentem agere cognoscat?
 atemur pro praxi difficultatem in eo sitam esse non exiguam, ve-
 rantamen dari signa, quae *aliquatenus* confessarii iudicium diri-
 gere possunt. Nimirum cum poenitens a) non aliud inquit, quam
 b) officiis se dispensare, eorumque praeceptum respicit tanquam
 mas grave, quod ab humeris suis vellet abjicere. b) Cum serius
 git, quam potest, extremum semper momentum praestolatus. c) Cum
 muneris sui eam tantum partem adimplet, quam nullo modo evitare
 oteat. Quae veritas liquido patet in mercatoris exemplo, procellae
 l et imminentis naufragii metu compulsi ad merces in mare proji-
 endas, ut suam navem exoneret. Primum alia quaelibet tentat au-
 lilia, ut hanc jacturam evitet; dein hanc tamen pati constituit, cum
 l extremum redactus est, et cum credit, se citra apertissimum
 ortis periculum differre non posse; denique non omnes simul
 vojicit merces, sed tantum, quantum opus est, h. e. minus, quam
 oteat. Similiter se gerit, cum de virtute agitur, qui ex metu dunta-
 at operatur et bona caret voluntate. Primum scrutatur, utrum poe-
 am evitare possit, quin huic obtemperet praecepto; de tribunali ad
 ibunal accedit, sperans, se commodum aliquando inventurum con-
 ssarium, a quo dispensetur; dein qui ex metu duntaxat operatur,
 extremum semper agendi spatium expectat, v. g. in morbis, cum de
 Metudine sua jamjam actum agnoscit, tum tandem ad Poenitentiae
 Sacramentum confugit; denique ex iis, quae sunt sui muneris, mi-
 nam tantum adimplet partem, idque tunc solum, cum extremum
 apendet infortunium, vel publica honestas postulat. Non virtutis
 species, non vitii turpitude illum excitare possunt, d) Etiam, quan-
 tum assignari potest, signum ad agnoscendum, utrum poenitens ex
 more tantum operetur, hoc est, cum brevissimae illum difficultates
 etterrent. Homo enim, qui bonam non habet voluntatem, tantum
 best, ut viam scrutetur, quaelibet expediendi impedimenta, ut potius
 a sibimet tanquam invicta, et arte nulla superanda exhibeat, ut ali-
 quam praetexere possit causam, propositum deserendi et ad pristi-
 a revertendi flagitia. Haec una est ex vulgaribus causis, propter
 nas tot fiunt confessiones sine fructu, quia videlicet servilis tan-
 um timor illas concomitatur.

2) Confessarius generaliter loquendo *supponere* non debet,
 poenitentem suum veram habere contritionem, sed ex signis mora-

liter certis investiget opus est. Nam multi peccatores videntur sibi fingere et imaginari confessionem ad modum vectigalis, quod Christus imposuit peccatori, ita, ut, quemadmodum nemini moveri lis et quaestio solet advehenti novas merces, si modo principi consuetum pendat vectigal, parum quoque referat, nova committere peccata, dummodo satisfaciant, seque submittant praescripto oneri, ea coram sacerdote recitandi. Quare cum se parant ad confessionem, omnem collocant sollicitudinem in ordinanda serie, et peccatorum numero exponendo, *contritionis* modica habetur ratio; hinc Sacramentum istud, quod est secundus baptismus, multis animabus efficitur laverum, si non exitiosum, certe inutile, et quae sibi videntur mundatae, lotionem ne quidem attigerunt. Ex omnibus poenitentiae partibus nulla est, de qua magis, quam de *contritione*, dubitari possit. Si *usus* actus poenitentialis ex defectu integritatis in confessione nullum est Sacramentum, *viginti* nulla erunt ex defectu verae contritionis. Atque hoc diligentiam sicut poenitentis, ita et confessarii in investiganda verae contritionis ratione quam maxime acuere debet. Operae igitur pretium est, rem uberius exponere, subjiciendo observationes circa poenitentium contritionem.

Observationes circa poenitentium contritionem.

§. 120. a) Plurimi dolorem habere videntur, qui non habent; cujusmodi sunt eorum plerique, quorum peccata vel lucrum attulerunt, vel damnum terrenum depulerunt. Hi saepenumero non ita sunt comparati, ut peccata sua serio detestentur, et efficax firmumque teneant propositum, lucrum illicitum, quod peccato acquisierant, derelinquendi, vel incommodum peccato devitatum sponte se suscipiendi. Magnam ejusmodi poenitentium partem constituunt, qui confitentur, se ad magnum malum avertendum pejerasse; qui criminum suorum fructu fruuntur, atque turpibus commerciis locupletati sunt; qui ultioni suae satisfecerunt; verbo: illi omnes, qui forte non versantur amplius in occasionibus laedendi Deum absque eo, quod inde illos sua virtus eduxerit; et fortasse subsequens matrimonium finem imposuit fornicationi. Hi profecto vulgo firmum habent propositum ad priora flagitia non redeundi, seu quod suas expleverint cupiditates, seu quod non sint amplius in occasione et potestate redeundi; sed plerumque nullo afficiuntur dolore, quod in eas lapsi fuerint iniquitates. Quid enim hic dolor est, nisi tristitia et poenitentia ob patrata facinora, quae hominis voluntatem ita afficit, ut, si in ipsius voluntate positum esset, praeterita revocare et prohibere, ne fuerit, quod fuit, omnia perferret mala, et ultro potius praeteritis omnibus carere vellet voluptatibus, quam recentia peccata committere? Talis autem dolor in iis, de quibus locuti sumus, non tam frequenter occurrit. Quamobrem confessarius non acquie-

scet bono hujusmodi poenitentis proposito, sed mediis, quibus poenitent, efficacissimis in illo excitabit odium, detestationem, moerorem et poenitentiam. Haec prima est pars contritionis licet imperfecta. **Declarat** saneta Synodus, hanc contritionem non solum esse cessationem a peccato et novae vitae propositum, sed *veteris etiam odium continere* ¹⁾.

b) Alii dolorem habent et lugent non peccata, quae commiserunt, sed temporalia mala, quae peccata concomitantur, et quae magis ad vivum prae se ferunt, quam Dei offensam, dum confitentur. *Mulier* e. g. fluentibus lacrymarum imbre genis confitetur, se furore captam sexcenta in virum suum congressisse maledicta; sed injuriae, quibus affecta fuit, lacrymas eliciunt. *Virgo* erratum suum confiteri nequit, quin reputet dedecus, quod illam subsecutum est. *Pauper* mentem habet sua egestate occupatam, dum se furti accusat, et temporalium aerumnarum sensus efficit, ut peccata sua confitens in lacrymas erumpat. Tales existere lacrymae, quae concomitatae sunt poenitentiam Esau; plorabat primogenita, quae amiserat, potius, quam gulam et simoniam, quam commiserat: ideoque veniam, quam petebat, non impetrabat ²⁾.

c) Alii sensibilem tantum habent tristitiam, profectam ex teneris vocibus concionatoris, vel confessarii. Quam ob rem sensus hujusmodi brevi praetereunt, imo confessarius idem illos immutabit, si vocis tonum mutaverit, vel si deinceps alicui poenitentis desiderio resisterit. Ab Ecclesiae Patribus hae mendaces vocantur lacrymae: *edocetae mentiri*. S. Bernardus ait has frigidas esse pluvias, sterilitatem, non ubertatem afferentes.

Verae contritionis signa.

§. 121. Cum confessarii plurimum intersit rescire, utrum poenitentis contritio vera sit, nec ne, quandoquidem sine ea justificationis gratia obtineri nequeat, signa, quae eum moraliter certum efficere, quaeve dubium, vel plus quam dubium facere possunt, uberiori inquirere oportet. Prioris generis signa hoc, posterioris autem sequenti paragrapho exhibemus.

Signum, quo intelligi datur, poenitentem vere esse contritum, tutissimum sane constituunt, *ipsamet emendationis opera* a poenitente jam ante confessionem suscepta, sive morum emendatio opere exercita. V. g. si jam per longius tempus ex motivo satis puro, adeoque non ex mero occasionis et tentationis defectu, vel ex detentione ob grave aliquod negotium, quo alteri cuidam rei vacare integram illi non fuit, aut plane ob coactionem externam, a peccatis abstinuerit; — si contrariae virtutis opera exercuerit et reme-

¹⁾ Sess. XIV. cap. 4. — ²⁾ Heb. XII. 17.

dia, quae necessaria sunt, ut ex peccatis emergat, conquiescit, ~~et~~ ~~in~~ ~~g~~ ~~r~~ ~~a~~ ~~t~~ ~~i~~ ~~a~~ ~~m~~ ~~re~~ ~~d~~ ~~i~~ ~~r~~ ~~e~~, injurias aliis sponte et liberaliter condonare, honore ~~et~~ ~~bon~~ ~~ae~~ ~~ve~~ ~~l~~ ~~fort~~ ~~un~~ ~~ae~~ ~~bon~~ ~~ae~~, quorum proximus illius culpa jacturam ~~pass~~ ~~us~~ ~~est~~, restituere, quantum potuit, adlaboraverit. Verum ut hoc ~~con~~ ~~tr~~ ~~it~~ ~~i~~ ~~et~~ ~~jam~~ ~~jam~~ ~~res~~ ~~ip~~ ~~is~~ ~~cent~~ ~~is~~ ~~an~~ ~~imi~~ ~~sign~~ ~~um~~ ~~om~~ ~~ni~~ ~~ex~~ ~~cep~~ ~~t~~ ~~io~~ ~~n~~ ~~e~~ ~~ma~~ ~~j~~ ~~us~~ ~~s~~ ~~it~~, tamen rarissimum invenitur. — Praeter ipsa emendationis ~~ope~~ ~~ra~~ ~~sus~~ ~~cep~~ ~~t~~ ~~a~~ ~~et~~ ~~ex~~ ~~er~~ ~~c~~ ~~it~~ ~~a~~ ~~ind~~ ~~ic~~ ~~ium~~ ~~an~~ ~~imi~~ ~~con~~ ~~tr~~ ~~it~~ ~~i~~ ~~et~~ ~~iam~~ ~~pra~~ ~~e~~ ~~b~~ ~~et~~ ~~se~~ ~~ri~~ ~~us~~ ~~et~~ ~~eff~~ ~~ic~~ ~~ax~~ ~~em~~ ~~en~~ ~~d~~ ~~at~~ ~~io~~ ~~n~~ ~~is~~ ~~con~~ ~~at~~ ~~us~~; quem quidem conatum ~~tum~~ ~~m~~ ~~ex~~ ~~con~~ ~~vers~~ ~~at~~ ~~io~~ ~~n~~ ~~e~~, quam poenitens ex aliquo tempore tenere coepit, ~~tum~~ ~~m~~ ~~ex~~ ~~pra~~ ~~es~~ ~~en~~ ~~t~~ ~~i~~ ~~e~~ ~~e~~ ~~j~~ ~~u~~ ~~s~~ ~~dis~~ ~~po~~ ~~s~~ ~~it~~ ~~io~~ ~~n~~ ~~e~~ ~~com~~ ~~p~~ ~~er~~ ~~t~~ ~~um~~ ~~hab~~ ~~ere~~ ~~lic~~ ~~et~~. Hunc in ~~fin~~ ~~e~~ ~~m~~ ~~re~~ ~~qu~~ ~~ir~~ ~~it~~ ~~ur~~, ut poenitens paratus existat, tum ad ea omnia declinand~~a~~, vel saltem pro viribus extenuanda, ex quibus novum illi naufragium imminet, tum vero adhibenda remedia, quae ad constantem ipsius emendationem necessaria videntur. Signum hoc eo certius est, quia ipse Jesus Christus illud nobis in Evangelio indigitavit, uti ex ~~S.~~ ~~Aug~~ ~~ust~~ ~~ini~~ ~~int~~ ~~er~~ ~~pr~~ ~~e~~ ~~t~~ ~~at~~ ~~io~~ ~~n~~ ~~e~~ ~~bon~~ ~~am~~ ~~mal~~ ~~am~~ ~~ve~~ ~~vol~~ ~~un~~ ~~t~~ ~~at~~ ~~em~~ ~~ex~~ ~~hib~~ ~~et~~ ~~sub~~ ~~im~~ ~~ag~~ ~~ine~~ ~~du~~ ~~ar~~ ~~um~~ ~~ar~~ ~~bor~~ ~~um~~, quas dicit ex fructibus esse cognoscendas ¹⁾.

Quid autem de verbis et protestationibus, quibus poenitens se poenitere confitetur, censendum est? num eis fides adhiberi poterit? Profecto, si confessarius semper credere potest, poenitentem suum veram habere contritionem, quia hoc ille asserit, nunquam in aliquo illam deesse judicabit. Quis enim est, qui in ipsa confessione dicere velit: „non poenitet me criminum a me perpetratorum?“ Et nihilominus verum est, non omnes, qui id affirmant, veram habere contritionem. Quare ut poenitentis verba protestationeque verae contritionis argumentum esse queant, requiritur, ut ipsius asseveratio aliis adhucdum momenti confirmetur. Ad hanc testium classem referimus: Poenitentiam magni facere et vehementer desiderare; odio magno prosequi peccatum, effundere lacrymas, quae contritionem fere sequuntur, ut lacrymae vitem deputatam viventem; peccata confiteri cum quadam compunctione et amaritudine animae, cum sinceritate et humilitate, quae indubium animi candore prae se ferunt; occasiones peccandi sincere proponere, ac grave contestationem vitandi ea emittere; habere desiderium et propositum complices peccati convertendi; alacriter suscipere et multo magis sponte petere gravem poenitentiam. Accedit, si poenitentes dicant statim ab initio, se graviter peccasse, aut Deum offendisse: si peccata prius in confessione deliberate omissa nunc confiteantur: si dicant, se mox post peccatum commissum poenitentia tactos ac dolore; si asserant, ad hunc diem aut locum se confessionem specialiter distulisse, praesertim si ad confitendum longum iter aggressi

¹⁾ Matth. VII. 20.

rint, abstinerint a lucro notabili, grave sustinuerint incommo-
 1, aut magnum conflictum internum vel externum superaverint;
 icant, se saepius proposuisse, hoc vel illud peccatum vitare, et
 ire, quod non possint (ut ipsi loquuntur) abstinere; si dicant,
 ad confessionem ex audita concione aut privata adhortatione
 se permotos etc. etc. Quo plura ejusmodi indicia conveniunt, eo
 or fides asseverationi poenitentis habenda est.

ri oportet, tam fieri posse, ut animus vehementer doleat siccis oculis,
 iam ut lacrymis meretriciis fletuque madeant oculi absque ulla animi
 utatione. Hinc lacrimas sinceras, quales David, Petrus, Magdalena
 lique sancti poenitentes fundebant, ab adulterinis discernere oportet,
 himeque tamen fas est, lacrimarum effusionem e momentorum, quae
 ersionem cordis indignant, numero expungere, propterea quia hae
 iam alium, quam veri doloris fontem habere possunt.

Signa defectum verae contritionis indicantia.

§. 122. E contrario poenitentes, qui confitentur delicta, tam-
 voce aliud adtestentur, vera contritione destituti judicentur:

a) Cum sua patefaciunt peccata non sine quadam impudentia,
 si praeclare aliquod factum narrarent, vel si alterius vitam de-
 liberent, vel saltem ac si facta quaedam communia et adiphora
 litarent, magis ad memoriam exonerandam, quam ad sublevan-
 1 conscientiam.

b) Cum vita sua confitendo culpam in alium devolvunt, et, ubi
 accusare debent, identidem excusare student, terminisque utun-
 a versutia et dissimulatione haud alienis ad peccata minuenda
 humbranda.

c) Cum de industria crimen aliquod celant, quod sola con-
 fessarii investigantis cura defectum fatentur. Dicimus, *de indu-*
 1, quia culpa vacant, si cujus mortalis culpae confessionem ne-
 erint, puta, ob oblivionem, ignorantiam, attentionis defectum.
 vicacis autem animi signum est, cum *malevole* denegant con-
 fessionem plenam, sive expressis verbis, sive obstinato silentio.
 v. g. si quis rotunde dicat, se peccata sua singillatim exponere
 e, et a confessario ad alia sensa reduci nequeat, aut ad quae-
 rem necessariam obstinate sileat, quin monitis confessarii mo-
 se patiatur.

d) Cum nullum habent desiderium satisfaciendi Deo pro pec-
 s suis, quandoquidem poenitentia virtus est, quae nos ad poe-
 ex nobis repetendas propter injurias, quibus affecimus Deum,
 inat.

e) Cum acceptare nolunt media, quae necessaria sunt, ut e
 satis emergant. Quum autem recusationem exsequendorum ope-
 satisfactoriorum et mediorum signum animi vera contritione
 laramus, supponimus ultro, quod tam media quam opera satis-

factoria revera sint talia, quae emendationi et satisfactioni praestandae sint congrua justave. Communiter haec recusatio sub vana impossibilitatis aut difficultatis, et damni praetextibus profertur. Hos praetextus confessarius removere debet deducendo et convincendo poenitentem de eorum, quae imposuit, possibilitate et necessitate: si nihilominus recusat, poenitens pro pervicaci habitus est.

f) Cum fidem eorum, quae in superioribus confessionibus se facturos promiserunt, non praestiterunt, idque ex mera animi levitate et salutis incuria, v. g. si contra fidem datam necdum de seruerunt occasionem proximam peccandi, — aliena non restituerunt, — in amicitiam non redierunt, quamvis potuerint, quia facultas et occasio ea praestandi praesto fuerunt.

g) Cum sine omni emendationis conatu jam ex longo temporis in vitiis suis computrescunt, vel criminum rei sunt, quae solito magis animum perversum et efferatum demonstrant.

Rationes et motiva contritionis.

§. 123. Ubi confessarius ex signis moraliter certis intellexit, poenitentem veram contritionem non habere, illius desiderium eum accendere conabitur. Non enim expedit ejusmodi poenitentem remittere, ut majori industria se praeparent: nam cultiores exinde offenduntur, homines vero obtusi ingenii sibi plerumque consuleri nesciunt; quare confessarius ipse adlaborabit, ut suavi prudentique agendi ratione in confitentium animis sinceram de admissis criminibus contritionem excitet. Sunt vero, quibus ad contritionem excitandam et movendam, rationes tam multae quam variae, quae peccati gravitatem adeo demonstrant, ut confitens non possit non exinde summum animi dolorem peccati quoque odium et detestationem concepisse. Numerantur praecipuae:

1. *Contemptus adorandae Dei Majestatis et macula ingratissimi animi sensus turpissima*, quae peccato undequaque inhaerent. Merito peccatum dicitur contemptus Dei practicus, qui in summo Dei injuriam cedit. Per omne peccatum sacrosancta Dei Voluntas negligitur et dehonoriatur, Supremae Majestati divinae cultus et obsequium negatur, dicente Apostolo: „Per praevaricationem legis Deum inhonoras.” Atque hujus contemptus et injuria gravitas et magis apparet, quo serius expendatur:

a) Quis offendatur et contemnatur? Qui est in se et propter infinitas suas perfectiones omni amore et obsequio dignissimus — *Domini ac Deus totius universi*, — *Creator*, *Redemptor*, *Sanctificator noster*, — *Amicus* et *Pater*, ejus benevolentiam peccando non curamus, et aversamur optatam gratiam. „Quantum fronte attollo oculos ad vultum tam boni Patris tam malus sermo

exitus aquarum deducant oculi mei, operiat confusio faciem meam, deficiat in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus" ¹⁾).

b) A quo? Quis est ille, qui infinitam Dei Majestatem tanta *libertate* contemnit? Creatura, et, quod plus est, ille summis a **D**eo cumulatus beneficiis, creatus infinita potentia, ineffabili *conservatus* providentia, redemptus maxima charitate extremis doloribus et morte ignominiosissima Jesu Christi, in filium adoptatus per **B**aptismum, toties ad participationem Sacramentorum admissus, *lactatus* Sanguine et divinis pastus Corpore. „Et hocce reddis **D**omino popule stulte et insipiens? numquid non ipse est pater tuus, *qui possedit te, et fecit, et creavit te? redemit, et sanctificavit te?*" ²⁾."

c) Propter quid? Levissimam ob causam Deus contemnitur et offenditur, miseræ voluptatis studio, — incitante caecae voluntatis stimulo. „Obstupescite coeli super hoc, et portae ejus desolamini vehementer; dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt, fontem aquae vivae, et foderunt sibi *cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas*" ³⁾).

d) Ubi et quando? In facie et in oculis omnia terrarum comprehendens spatia delinquimus, et eo ipso articulo, quo totus est in conferendo, quidquid habemus, unde ad obsequium suum nos excitat, quando vitam prorogat, quam ita conservat, tanquam in momenta singula primitus conferret; quando victum porrigit, vestimenta suppeditat; quando mille etiam interna arcet discrimina; — eo ipso tempore, quo nemo nostrum illius offendendi auderetmittere cogitationem. Profecto, haec si seria mente reputes, peccato nihil turpius, nihilque in Deum abominabilius concipi vel animo fingi potest. Quem tanti ingrati animi memorem non pudeat peccati, dum recollere velit beneficia innumera *communia et particularis, occulta et manifesta, temporalia pariter et spiritualia*, quibus hominem ita circumcinxit Deus, ut, quoque respiciat, in oculos incurrant. Quis non vehementissimo animi dolore conteratur ob injuriam peccato Redemptori sanctissimo illatam, cui temerarius quodammodo tentavit renovare vulnera, iterare opprobria, quandoquidem patravit id, quod causam dedit crucifixioni, nempe peccatum. „Rursum crucifigentes sibi metipsos filium Dei et ostentui habentes ⁴⁾." — Ratio igitur summa, qua in peccantis animo contritio excitetur, est considerata et poenitenti repraesentata Dei infinita Majestas et munificentia in nos. Odiosum crimen est animi ingrati culpa, ast nunquam odiosius, quam cum in Eum delinquimus, ejus *in exhaustam* in nos beneficentiam nullis unquam possumus obsequiis compensare.

¹⁾ S. Bern. Serm. 16. Cant. — ²⁾ Deutr. XXXII. 6. — ³⁾ Jerem. II. 12. — ⁴⁾ Hebr. VI. 6.

Alia ratio est *dolenda divinae gratiae jactura*, cujus vel nimicus gradus, ut tradunt sancti Doctores, universa naturae bona atperat. „Omne aurum in comparatione illius arena est exigua”¹ *Miseranda servitus*, qua efficitur peccator mancipium diaboli, tyranni et impostoris, qui, quantum nunc allicere studuit ad peccatum, tantem postea inferet poenarum. Eheu quis non posset non summopere odisse peccatum, si serio perpenderit, se gratiae sacrificantis, in qua totus animi decor situs est, jacturam passum, et in servitum daemone traditum esse, turpissima peccatorum labfoedatum? Sic S. Ambrosius praefatur: Nihil est, quod tam summidolori sit, quam quod sit unusquisque positus sub captivitate peccati; recordetur, unde deciderit, eo quod ad corpora et terrena illa speciosa et pulchra divinae cognitionis intentione deflexerit”². Et S. Cyprianus: „Animam tuam misera perdidisti, spiritualite mortua supervivere hic tibi, et ipsa ambulans funus tuum portar coepisti, et non acriter plangis? et non te vel pudore criminis abcondis?”³).

3. Aliam denique dolendi de peccato illudque detestandi rationem *jactura aeternae felicitatis et incursus damnationis perpetuae* constituunt. „Quamvis peccatoribus, inquit S. Augustinus⁴ *judicium* universale in mundi termino subeundum non foret; quaequam per omnem aeternitatem in summa deliciarum hujus mundi affluentia sine ulla poenae alicujus formidine victuri essent: attamen ob hoc solum, quod a felicissimo Dei conspectu aeternum separentur, amarissime illis flendum esset; neque enim ullam huic poenam vel animo comprehendere potest, qui ex vivae fidei lumine novit, quid sit Deus. Sed quoniam haec amantibus duntaxat poenae est, non contemnentibus, paucissimi vero in hac vita illam sentiunt, alia quoque illis poena, quam omnes sentiant, et qua vehementissime crucientur, constituta est: ardentissimi videlicet *Gehennae ignis*, in cujus comparatione poenae hujus vitae levissimae sum ac si poenae non essent. Quomodo igitur si fide edocti et Spiritus sancti gratia excitati haec perpendimus, necessario peccatum, quo tanta in nos mala profluunt, detestabimur! „Gehennam ponimus, inquit S. Chrysostomus, in conspectibus nostris, ponamus etiam illud ante oculos, quanti doloris est excludi ac projici a regno caelorum, quod, ut mihi videtur, gravius est ipsa Gehenna”⁵). —

Eorundem delectus.

§. 124. His et similibus rationibus atque motivis uti poterit confessarius, ut in corde poenitentis contritionem eliciat ac prog-

¹) Sap. VII. 9. — ²) Libr. 2. de Poenit. c. 2. — ³) De lapsis circa fin. — ⁴) In Psalm. XLIX. — ⁵) Libr. 1. de Compunct. cordis.

nerot; pro diversa tamen poenitentium indole et scelerum gravitate talia semper seligat momenta, quae poenitentium captui maxime accommodata et prae reliquis efficacia videntur. Cum autem humana mens duobus praecipue moveatur, timore videlicet et amore, alterutro utendum erit, pro genio et indole poenitentis.

Rudiores, qui in peccato tandem induruere, metu inprimis configi debent poenarum, et excitari ad dolorem propter illas peccatoribus a Deo praeparatas ¹⁾. Inde ut ad Deum sensim adducantur, subjicienda erit jactura bonorum, quibus se privarunt, scilicet gratiarum coelestium et haereditatis supernae — gloriae illius, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam Deus praeparavit diligentibus se. Proponetur subinde spes damna praeterita resarciendi, obtinendae denuo stolae, quae se ipsos misere spoliaverunt, primaeva jura recuperandi. Demum ad Dei amorem, sine quo nutat vel concidit poenitentia omnis, paulatim flectentur. Inspectis oculo fidei seu suppliciiis, quae promeruerunt, seu bonis, quae adhuc comparare possunt, paulatim fiet, ut consteantur Domino, quoniam summe bonus, et in saeculum misericordia ejus.

Etsi haec motiva sobrie proposita pene omnibus proficere possunt, ii tamen, qui profectiores sunt in virtute, quive plus in virtutem, quam in vitium propendunt, facile ad contritionem moventur, si eis subjiciatur *summa Dei Majestas*, quae a vili creatura contemnitur, et *infinita Bonitas*, quae a propriis filiis enutritis tenerime, effusse in ordine naturae et gratiae dilectis, misericorditer exaltatis, petulanter offenditur. — Expediit autem omnibus proponere immensam Charitatem Christi, qui e coelis descendit ovem perditam quaesiturus, qui quaerens sedit lassus, qui non invenit nisi crucem passus, qui, dum ab ea mutuam amorem pro jure suo expectaret, odium pro dilectione, novam crucem pro gratiarum actionibus, novos dolores, novum Calvariae genus, et nihil ultra consecutus est.

Continuatio.

§. 125. En aliqua motiva, vel certe adminicula doloris, brevibus sententiis comprehensa, quibus secundum ductum prudentiae juvandi sunt peccatores, quorum conversio videbitur aliquando subdubia.

1) Mala naturalia, quae Deus, Deus, inquam, peccato annexit.

2) Timor Gehennae. Et ego ob rem nihili? — —

3) Timor severissimi judicis, Christi Jesu.

¹⁾ Apoc. XIV. 10.

- 4) Recordatio beneficiorum supernaturalium.
- 5) Recordatio gratiarum supernaturalium, uti dilatio poenae; spatium poenitentiae etc.
- 6) Exempla severitatis divinae, exercitae in alios, uti — Cain, diluvium, Sodomitae, Onan, Israëlitae in deserto, Core, strages Bethsamitarum, percussio Ozae, David, Judas proditor, Ananias et Saphira etc.
- 7) Praesens benignitas Dei ad poenitentiam vocantis.
- 8) Turpitudine peccati — hujus — in homine, in Christiano.
- 9) Pulchritudo justitiae, quam, eheu, deserui ob nihilum.
- 10) Comparatio prioris status in justitia, cum praesenti *stata* peccati.
- 11) Renuntiatio facta coeli gaudiis ob — —
- 12) Exempla Sanctorum Poenitentium, uti — David, Petrus, Magdalena, latro in cruce; item e vitis Sanctorum. Et ego!
- 13) Severitas poenitentiae, quam primaeva Ecclesia per Spiritum Dei directa dictavit graviorum peccatorum reis.
- 14) Exempla SS. Innocentium, qui acerbè deflebant errata etiam levissima. Et ego tantus peccator!
- 15) Benignitas Dei, quae ex vita et morte Redemptoris evidentissime elucet.
- 16) Parabolae Salvatoris — de ove centesima errabunda, de drachma perdita, de filio prodigo. Idem modus, quo excepit Jesus mulierem peccatricem, adulteram, latronem poenitentem, Petrum post negationem; ratio, qua convertit Saulum.
- 17) Ex perfectionibus divinis: aeternam justitiam, essentialem veritatem et bonitatem neglexi; omnipraesentem, sapientissimum, summae Majestatis Deum offendi — ego homuncio, post tot beneficia, ob nihilum etc.

Modus ea proponendi.

§. 126. Has vero contritionis rationes, et motiva, quae pro unoquoque selegeris, non propones tumultuose, sed a) *clare* et *breviter*, quia plurimi sunt, qui attentione et intellectu nec sequi, neque assequi possint longiorem sermonem et ratiocinationem. b) *Cum quadam energia*, ut tanto altius penetrent in animum; *vitabis* tamen expressiones, quae poenitentem affligere, eumque erubescens facere possent. c) *Cum affectu piae compassionis* et *cum coelesti unctione*, ut quae ipsi proponis, ipsemet sincere sentias; quem compassionis sensum etiam dicendi forma confessarius ostendere et fateri poterit, v. g. si dicat: *Gaudeo, mi bone! et gratulor ex corde, quod misericors Deus tibi gratiam concesserit et spatium, gravissimum hoc peccatorum onus excutiendi, quibus tantopere Deum, summum tuum benefactorem, offenderas, te ipsum vero in*

tam manifestum salutis periculum conjeceras. Item si in fine dicat: se Patris aeterni loco eum veluti filium prodigum ulnis paternae charitatis amplecti, jamque stolam gratiae per sacramentalem absolutionem illi circumdaturum, et id unum orare, ut a Patre tantopere eum amante jam non amplius recedat. — Modus poenitentibus contritionis motiva ingerendi multum juvatur, si *juhantur aliquam sententiam ponderosam expendere*. Sic e. g. si confessarius dicat: Dicam tibi a Christo crucifixo et pro te vulnerato S. Bernardi sententiam devote considera; „Nonne satis pro te vulneratus sum? Numquid non pro iniquitate tua afflictus sum? Cur addis afflictionem afflicto? Magis me aggravant vulnera peccati tui, quam vulnera corporis mei? Aut: „O homo, vide, quae patior pro te; non est dolor, sicut, quo crucior. Ad te clamo, qui pro te morior. Vide poenas, quibus afficio, vide clavos, quibus confodior; cum sit dolor tantus exterior, interior est planctus gravior, cum tam ingratum experior” etc. etc. Prae reliquis loca biblica seligenda sunt. — In finem, quo elicias contritionem in corde poenitentis, non parum conducit, si proponas motiva deducta α) *ex circumstantiis festi*, praesertim quae recoluntur specialia Dei beneficia; vel β) *ex beneficiis specialibus*, quae Deus contulit huic vel illi in particulari. Sic Nathan propheta, volens ostendere turpitudinem adulterii et homicidii Davidis, ut eum ad contritionem excitaret, — dixit ei ¹⁾: „Tu es ille vir (ingratus). Haec dicit Dominus Deus Israel: Ego unxi te in regem super Israel, et erui te de domo Saul. — Quare ergo contemisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo?” vel γ) *ex objecto*, propter quod, vel in quo quis peccavit, v. g. si quis se accusat de inordinato amore in creaturas, dici potest: Si amas creaturam, quia pulchra est, quia tibi bene facit etc., quanto magis amare debes Deum, a quo omne pulchrum, omne bonum venit! Fidem consule: Nihil est seu in coelo seu in terra, quod amorem nostrum ita mereatur, ac Deus, et hunc non amabis? Quidquid amas, amas, ut tibi bene sit. Sed cogita, an tibi melius esse queat, majoraque tibi bona optare possis, quam si Deum diligas? „Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod praeparavit Deus iis, qui diligunt illum ²⁾.”

Monitum generale.

§. 127. Absit, ut Sacramenti minister, quidquid sui muneris est, implevisse se credat, qui haec et alia id genus in aurem poenitentium insurraverit. „Admonere poterit per strepitum vocis, ait S. Augustinus, si non sit intus, qui moneat, inanis erit strepitus ejus.” Hunc autem spiritum, qui intus movet, sola oratio iique diu-

¹⁾ II. Reg. XII. — ²⁾ I. Cor. II. 9.

turni inter vestibulum et altare gemitus eliciunt. Totis igitur viribus confessarius incumbat, ut Christi exemplo se sanctificet pro poenitentibus suis. Eo pietatis afflatu si destitutus sit, timendum ne, licet forte Tullium facundia superet, sit aes sonans et cymbalum tinniens. Eo contra si plenus sit, licet, ut Moyses, tardioris linguae, mira operabitur. Is ille nimirum est Dei spiritus, qui Ambrosiis dat lacrymas, quibus duriores ad flendum compellant, qui Xaveriis praebet flagella, quibus proprii sanguinis dispendio sanguinem e venis alienis eliciant, qui demum voci cassae et infirmae dat vocem virtutis. Quare dum peccator, qui primum ad contritionem excitandus est, sacrum tribunal accedit, breviter ad coelum adspira, ut hanc venientem animam lucrari possis, cogitans et orans cum piissima Judith: „Confirma me, Domine Deus Israël, et respice in hac hora ad opera manuum mearum ¹⁾.”

Quodsi poenitentem commoveris et ad contritionem disposueris, confirmes in eo *bonum propositum* sese emendandi, tum memorem eum reddendo divinae misericordiae, quae vere poenitentem cum gaudio excipit ²⁾, tum, ubi opus fuerit, ex divina promissione consolando ³⁾, tum etiam media suppeditando, quae conversionis negotium eo facilius redditur et corroboratur, Deo praeterea ad id gratiam et vires largiente.

Boni propositi indoles.

§. 128. Sincera contritio de peccatis necessario involvit propositum non peccandi de cetero, novamque vitam inchoandi. Ut vero hoc propositum vere decretum mutati animi dici queat, *firmum sit oportet et efficax*; non sufficit sola velleitas inanis, sed *securis ad radicem ponenda est*, ut quidquid probabiliorum relapsus attrahere potest, resecetur, et media saltem necessaria cum diligentia adhibeantur. Et sane, quis dixerit eum vere velle finem, qui nullo utitur medio, vel qui saltem nil agit, quod satis sit, ut ad illum perveniat? Eum v. g. doctum fieri velle, qui nihil studet? vel illum amplam messem facere velle, qui agros neque arat, neque serit; et poenitentem sincerum habere propositum sese corrigendi, atque acquirendi virtutem, qua caret, qui ad id nullum exerit laborem? *Mera velleitas non sufficit, sed firmum et efficax propositum adit necesse est, ne Sacramentum nos frustreret.*

Quoniam vero bonum propositum saepius in poenitente desit, confessarius hoc in poenitente vel procurare, vel, si adfuerit, ad examen vocare debet, inquirens, utrum plena et integra sit ei vo-

¹⁾ Judith XIII. 7. — ²⁾ Luc. XV. Psalm. CII. 13. Psalm. LXXXV. 5. —

³⁾ Ezech. XVIII. 21. 22. Mich. VII. 19. Isai. I. 18. I. Joan. II. 1. Hebr. VII. 25. Rom. VIII. 34.

Intas, sese emendandi, an tantum velleitas, vel utrum propositum sit firmum censendum, nec ne. Quapropter videat, num poenitens a) firma mente decernat emendationem suam, an simpliciter imperfectis loquutionibus, v. g. vellem, placeat etc. polliceatur, occasionem peccandi vitare, pravam consuetudinem contrariis vitiis virtutibus eradicare, injurias illatas condonare, et resarcire, rem alienam restituere etc. b) Num jamjam propositum exsequutus fuerit, vel executioni conatum praebet. Si autem e contrario nec una harum dispositionum apparet, sed potius immanis scelerum cumulus affertur sine doloris sensu nihilque cogitando de tanta sarcina excutienda aut minuenda, quis voluntatem talem censebit esse efficacem, quae nec unicum applicat medium ad consequendum suum finem? In veritate talis non affert propositum marmoris incisum, sed ne argillae quidem aut cerae, verum aquae inscriptum.

Quid si poenitens jam confessionis tempore in peccatum grave relapsurus praevideatur? Si tantummodo confessarius praevideat, tale propositum poenitentis, dum eidem se sistit, nihilominus firmum et efficax esse poterit. Ast si poenitens ipse de emendatione sua desperat, illam utique neque decernere poterit; fieri enim nequit, ut quis illud firmiter sibi proponat, cujus assequendi nulla ipsi spes affulget. Attamen etiam *sola formido*, de novo peccandi cum firmitate propositi omnino componi potest. Necessarium equidem non est, ut quis persuasum sibi habeat, se non peccaturum amplius, quia hoc dependet ex eventu futuro, et est actus intellectus, sed satis est, non velle deinceps iterare commissam; quod est actus voluntatis, qui dependet a praesenti tempore. Tales autem parati sint media praescripta sedulo adhibere, et quo infirmiores se putant, eo majori cum fiducia ad Deum confugiant. „Virtus in infirmitate perficitur; cum infirmor, tunc potens sum” ¹⁾. „Deus superbis quidem resistit, humilibus autem dat gratiam” ²⁾.

Ejusdem eversio.

§. 129. Bonum propositum vel ordinariis tentationibus languescere ac debilitari, vel extraordinariis, puta, vehementiori impetu frangi potest. Tanta est enim fragilitas humana, ut decreta etiam firmissima lapsu temporis magis magisque languescant. Alterius autem generis exemplum habemus in Petro Apostolo ³⁾. Verum enim vero in hac re plurimum interest distinguere *inbecillitatem* ab *acedia et ignavia*, quas confessarii saepe confundunt. Infirmus ea aggredditur media, quae necessaria sunt, et, si nihilominus relabitur, infelix duntaxat est, non nocens, miseratione dignus est, non opprobrio. Inerti vero et pigro non desunt bona desideria. „Desideria

¹⁾ II. Cor. XII. 9. — ²⁾ I. Petr. V. 5. — ³⁾ Luc. XXII. 23.

occidunt pigrum. noluerunt ejus manus quidquam operari, tota die concupiscit et desiderat" ¹⁾). Sed illa exsequi non conatur, hostem absentem provocat, praesentem fugit. Vult et non vult piger. S. Augustinus has humani cordis astutias in se ipso detexit et in libro Confessionum ²⁾) descripsit iis vocibus, quae hucusque dicta lucem afferent. „Unde hoc monstrum et quare istud? Imperat animus corpori et paretur statim, imperat animus sibi, et resistitur." Et ne dicatur his in occasionibus frigide velle, addit se plurima exsecutum esse, quae non optabantur ac ipso eodem ardore, quo sua conversio: „Tam multa feci, ubi hoc non erat velle, quod posse, et non faciebam, quod incomparabili affectu mihi placebat amplius." Dicit magna, quibus flagrabat, conversionis suae desideria effecisse, ut modo contra se ipsum indignaretur, quod tandem non exsequeretur illa: „Ego fremebam spiritu indignans turbulentissima indignatione, quod non irem in placitum, et factum tecum Deus meus:" et modo magnam lacrymarum copiam effunderet: „Et dimisi habenas lacrymis, et proruperunt flumina oculorum meorum; sentiebam enim me ab iis iniquitatibus teneri, et jactabam voces miserabiles: Quamdiu! Quamdiu!" — Director spiritualis parum scitus, moram hanc referet acceptam infirmitati, sed longa alia est S. Augustini sententia, ibidem quippe loci fatetur, hanc in se, non secus ac in aliis, qui in eodem statu versantur, non fuisse infirmitatem, sed plenae integraeque voluntatis defectum. „Non e toto vult, non erga ex toto imperat, nam in tantum imperat, in quantum vult. Non utique plena imperat, ideo non est, quod imperat. Non igitur monstrum partim velle, partim nolle; sed aegritudo animi est, quia non totus assurgit veritate sublevatus, consuetudine praegravatus."

Ex dictis igitur tam hujus, quam praecedentis paragraphi patet, quid de proposito censendum sit illius, qui in eadem relapsus peccata. Relapsus in eadem peccata minime est signum sufficienter non adfuisse firmum debitumque propositum, quia experientia comprobatum est, nos serias etiam et firmas aliquo tempore voluntate mutatis circumstantiis persaepe imputare. Et quis nescit, propositum esse actum voluntatis, quae nihil inconstantius? Ex hujusmodi inconstantia fit, ut, quae heri detestati sumus, iterum hodie perpetremus. Unde S. Thomas ait: „Sicut vere cucurrit, qui postea sedet, ita vere poenituit, qui postea peccat" ³⁾). Nam poenitentiam per gratiam Sacramenti non redditur impeccabilis. — Fatendum tamen est, frequentem relapsum in eadem peccata gravia indicium esse, cur praesumatur, prius defuisse per eum propositum plenae integritate voluntatis sese emendandi. Unde quotidie poenitere et ad vomitum redire genus irrisionis est, quam an et quamdiu patientissimus et ad

¹⁾ Prov. XXI. 25. — ²⁾ Cap. VIII. — ³⁾ Summ. theolog. III. 84. art. 10. —

poenam peccatis alioquin debitam inferendam tardus et longanimis Deus passurus sit, incertum est. Timeant ergo, qui ad antiqua mox peccata redire non timent, ne in suis peccatis sordescentes Deus ad aeternam eorum ignominiam et confusionem aliquando irrideat. „Irrisor est, non poenitens, qui adhuc agit, quod poenitet, nec Deum videtur poscere subditus, sed subsannare superbus” ¹⁾. „Talia non facit Christianus bonae fidei et bonae spei” ²⁾.

Caput III.

De principiis generalibus circa satisfactionem observandis.

Articulus I.

De satisfactione imponenda.

Satisfactionis notio et necessitas.

§. 130. Satisfactio generatim sumta est mali cujusdam **per-**
missio, operisque praestatio ad culpae expiationem composita. **Chri-**
stus quidem pro peccatis nostris Patri aeterno plenissimam obtulit
satisfactionem; quum tamen homo gratiae divinae beneficia haud
consequatur, nisi, quantum in eo sit, gratiae cooperetur, satisfactio-
nis quoque a Christo Domino oblatae particeps non redditur, nisi,
qui pro peccatis commissis, quantum potest, satisfacere intendit.
Nam ad novitatem et integritatem vitae per Sacramentum Poeni-
tentiae sine magnis nostris fletibus et laboribus nequaquam perve-
nire possumus divina id exigente justitia, licet Christi satisfactionis
participes reddamur per Baptismum plene et omnigene, ita, ut alia
haud supersit poena luenda. „Prima peccata, inquit S. Chrysosto-
mus, gratia et benignitate virtutis Christi unifixi cuncta deleta
sunt. Quae vero post Baptismum commissa sunt, multo indigent
studio, ut rursus deleantur: quandoquidem neque secundum est
lavacrum, sed lacrymis indigent nostris, confessione, elemosynis,
precibus aliisque generibus omnibus pietatis. Sic etiam post Baptis-
mam delentur peccata, multo tamen eum labore et fatione” ³⁾.

Quantumcunque autem fragilis sit et bonum operandi impotens
natura humana, benignissimum nihilominus, quod nobis Filium in
redemptionis pretium concessit, Numen, quaecunque bona peragimus
et mala sustinemus, quando intantio accedat per ea, operibus et
passionibus Domini Nostri unita, et gratia Salvatoris nutrita, pro

¹⁾ S. Isid. libr. 2. Sent. c. 16. ²⁾ Aug. de verb. Apost. serm. 29. —
³⁾ Serm. 26. de poenit.

peccatis satisfaciendi, in satisfactionis pretium clementissima dignatione admittit. Igitur mali cujusdam permissio operisve boni praestatio ad participandum de Jesu Christi satisfactione, animo poenitenti suscepta, haud quidem efficacia eidem insita, attamen vi meritorum Christi, ad compensandam injuriam per peccatum Deo illatam, et ad redimendam poenam graviolem, eodem peccato promeritam, confert; unde satisfactio merito appellatur. Atque nostra opera satisfactoria aliud non sunt, quam exhibitiones poenitentis animi, et simul conditiones necessariae, ut de satisfactione Christi participemus.

Sunt vero rationes, ob quas Deus voluerit, ut per sacerdotes certa in Sacramento Poenitentiae multa peccatoribus imponatur: a) Decebat, ut, qui post accepta regenerationis et gratiarum beneficia denuo ad vomitum revertitur, sanguinem testamenti pollutum ducit, et Spiritui gratiae contumeliam facit, durius haberetur, quam qui ante Baptismum sine Deo, sine lege, sine inhabitante Spiritu, deliquerit. b) E re erat, ut, si Deus peccata per misericordiam condonet, eadem plecteret per justitiam, ut sic justitia et pax sese amplecterentur. c) Exigebat ipsa hominis utilitas, ut non omnis poenae expers maneret, nec ex ipsa Dei bonitate deterior fieret.

Satisfactionis ad Poenitentiae Sacramentum ratio.

§. 131. Ad participandum de satisfactione a Redemptore praestita, satisfactionis ab ipso peractae cooperatione indiget peccator omnis, verum is tantum, qui operibus satisfactoriis quibusdam saltem exhibendis par est. Inde sequitur, gravem esse confessarii obligationem, peccatori omni operibus satisfactoriis exhibendis haud penitus impari eadem pro peccatorum ac status ejusdem tum interni quam externi conditione imponendi. Operum, quae confessarius qua iudex in satisfactionem pro peccatis gravibus iungit, implendorum tam stricta obtinet necessitas, ut, qui absque sincera ea implendi intentione absolutionem suscipiat, absolutionis gratia ob poenitentiae propositique defectum excidat; qui sua culpa omnia, vel eorum saltem partem notabilem omittat, peccato gravi se polluat. Itaque haud quidem absolute, ast relative tamen, partem essentialem Sacramenti Poenitentiae constituit satisfactio; quippe absque ejus explendae intentione Sacramentum Poenitentiae valide suscipi nequit: et ejus neglectus culpabilis suscepti Sacramenti effectus salutare irritat.

Satisfactionis finis et conditio.

§. 132. Ex dictis patet, satisfactionem, qua talem, ad poenas justitiae divinae debitas redimendum spectare, itaque (peccatorum commissorum) *vindicativam* esse. Quum tamen aut bonum agendo

ut malum sustinendo praestetur, ac utrumque tam ad peccata in posterum praecavenda, quam ad perfectionis christianae incrementa viam simul regiam pandat, omne opus satisfactorium, animo recto susceptum, ad consuetudines pravas eradicandas, occasiones malas praecavendas, et animum a fluxorum amore retrahendum, plus minusve auxilii affert, unde satisfactio sapienter disposita salutarem simul medicinae rationem numquam non habet; hoc itaque respectu *medicinalis* merito nominatur. Vicissim etiam ea ingrati permissio bonive praestatio, quae secundum finem ejusdem primum ad peccatorum in posterum fugam et virtutis christianae profectum ordinatur, ad reclinandam quoque poenam peccato debitam, peccatorum praeteritorum vindictam et castigationem, animi poenitentis intentione dirigi potest; unde liquet, satisfactionem, etsi quae talis vindicativa, medicinalem tamen simul esse tam posse quam debere.

Haec distinctio in Concilio Tridentino commemoratur, dum monet et praecipit, satisfactiones injungi debere pro qualitate criminum et poenitentium facultate *salutares* et *convenientes*, nec non simul statuit, ut satisfactio non sit tantum ad *novae vitae* custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum *vindictam* et *castigationem* ¹⁾. Hic loci Concilium supponit satisfactionem *medicinalem* probatque *vindicativam*.

Satisfactionis praestandae media.

§. 133. Ex ipsa jam satisfactionis notione liquet, duplex nobis suppeditari Deo satisfaciendi medium, a) ingratorum tolerantiam, b) operum bonorum exercitium. — Ingratorum, quae in satisfactionem Deo offerentur, idoneorum triplex occurrit genus, eorum scilicet, α) quae providentia divina ita disponente aut ex hominum, aut ex naturae rationis expertis influxu patimur; β) quae nobis ipsis seligentibus suscipimus; γ) quae confessario injungente sustinemus. „Tanta est enim divinae misericordiae largitas, ut non solum poenis sponte a nobis vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo afflictis, et a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Jesum Christum satisfacere valeamus” ²⁾. Hinc pro ipsa praxi miserae conditionis hominibus duro labore victitantibus, gravi egestate afflictis, vel diuturno morbo et pungenti lecto affixis, utiliter admodum praescribitur, ut quotidie matutino et vespertino tempore, ut etiam pluries per diem renoveant de peccatis contritionis actum, ut Deo in satisfactionem offerant, quaecumque eos molesta et dura

¹⁾ Sess. XIV. cap. 8. — ²⁾ Conc. Trid. Sess. XIV. cap. 9.

in hoc miserabilis vitae genere pati necesse fuerit juxta divinae providentiae dispositionem.

Quod bona opera, dubium non est, tam ea, quae confessarius praescribit, quam quae nobis ipsis seligentibus exsequimur, si cordis poenitentis genuina intentio accedat, ad satisfactionem apta esse. Imo etiam ea opera, ad quae legis universalis praecepto institui-
 stituimur, satisfactionis adminicula eatenus saltem praebere possunt, quatenus voluntatis propriae abnegationem ad ea passim necessariam, Deo in satisfactionis pro peccatis nostris sacrificium humiliter offeramus. Ceterum suadendum est, ut, dum hujusmodi opera in satisfactionem injunguntur, non accuratius solum determinantur, et ratione modi, quo, et temporis, quamdiu poenitentis cordis intentione persolvantur, verum etiam cum alio, (si necesse fuerit) opere strictius satisfactorio jungantur. Sic haec cum restrictione orationi et cultui divino raro vacantibus consulto injungatur *inter vetera*, ut quotidie vespere et mane, quod alioquin singulis diebus facere tenemur, per octo vel quatuordecim dies poenitentis cordis intentione, quinimo flexis genibus, statutas ad Deum preces fundant. Idem obtinet ratione sacrosancti Missae sacrificii, concionia, officiique divini diebus dominicis atque festivis. »Opus, ait Doctor angelicus, quod quis facit ex intentione sacerdotis, dupliciter valet poenitenti, uno modo ex natura operis, alio modo ex vi clavium.»

Satisfactionis effectus.

§. 134. Satisfactionis, qua vindicativae, effectus in poenis redimendis reponitur. a) Ad tollendas peccatorum poenas aeternas spectat satisfactio, gravia confesso sententia confessarii qua iudicis imposita, eo quod relative saltem essentiali Poenitentiae Sacramenti, quo aeternae remittuntur poenae, partem constituit. b) Opera a confessario pro peccatis imposita poenas temporales Dei justitia decernendas imminuunt, et quidem majorem aut minorem earundem partem, tum pro gradu operis, tum pro satisfaciendis dispositione sive contritionis fervore. Idem valet de operibus pietatis, caritatis et poenitentiae, quae peccator rite confessus praeter satisfactionem a confessario impositam, cum intentione satisfaciendi pro peccatis peragit. Ait enim Concilium Tridentinum: »Si quis dixerit, pro peccatis, quoad poenam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo indictis et patienter toleratis, vel sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, elemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus atque ideo optimam poenitentiam esse tantum novam vitam, anathema sit¹⁾).

¹⁾ Sess. XIV. can. 13.

Dimissa culpa et poena aeterna saepe remanere poenam temporalem divinae justitiae persolvendam, perspicua et illustra in sacris Litteris exempla, nec non perpetua Ecclesiae fides manifestissime probant. Vide II. Reg. XII. S. Aug. Tract. 124. in Joan. Comment. in Psalm. L. Conc. Trid. Sess. XIV. Can. XII.

Satisfactio, quatenus est medicinalis, peccati gravitatem praeculis nobis ponit, peccati perinde odium in cordibus nostris excitat, nec non consuetudines extirpat, et virtutum christianarum exercitium assuetudine facilius reddit.

Confessarii eandem imponendi jus et obligatio.

§. 135. Confessarius iudicis et medici sustinet personam. Qua iudex satisfactionem, quatenus est vindicativa, qua medicus eandem, quatenus est medicinalis, injungendi jus ac obligationem habet. Utrumque patet ex Ecclesiae praxi, quam Concilium Tridentinum confirmat. Implet eam, quum in satisfactionis media ejusmodi seligat opera, quae ad poenitentis statum rationem habent. Jam pro rei gravitate operae pretium est singillatim inquirere, qualis pro poenitentium status diversitate satisfactio esse debeat, ut ejusdem effectus medicinalis simul et vindicativus quam uberrimus obtineatur.

Satisfactionis imponendae indoles.

§. 136. Indolem satisfactionis a sacerdote poenitentibus imponendae Concilium Tridentinum sat superque describit: ait videlicet: „Debent sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro *qualitate oriminum et poenitentium facultate* salutare et convenientes satisfactiones injungere, ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur“ ¹⁾. Vult igitur Concilium et praecipit, ut confessarius in imponendis satisfactionibus habeat rationem et *delictorum*, pro quibus imponendae sunt, et *personarum* poenitentium, quibus imponuntur, ut nimirum servetur quaedam proportio inter naturam et gravitatem *poenae* et *delicti*, spectata etiam indole et conditione personae poenitentis ²⁾. Quoniam autem inter cetera hoc munus, saltem tyronibus confessariis, difficile esse potest, rem uberius, stabilitis quibusdam regulis in usum adducendis, exponere juvat. Et quidem, ut satisfactiones poenitentibus salutare et convenientes sint, requiritur congruentia eorum-

¹⁾ Sess. XIV. cap. 8. — ²⁾ Cfr. Marten. de antiq. Eccl. rit. libr. 6. c. 6. art. 7. ord. 2. 5. 10. 12. — Rit. Rom.

dem a) cum peccatorum interna natura et relatione externa; b) cum peccatorum gravitate, salvo tamen discretionis spiritu; c) cum poenitentis indole interna; d) cum ejusdem conditione externa; e) cum ejusdem bona fama aliisque officiis.

Congruentia satisfactionis cum peccatorum natura interna et relatione externa.

§. 137. Primo, *satisfactiones peccatorum naturae, et hunc in finem cupiditati in peccatore dominantī, quae eorumdem forma principalis est, e diametro sint oppositae*. Etenim ea debet esse ratio satisfactionis, ut contraria curet contrariis; eo fine instituta est, ut a peccato revocet, et quasi fraeno quodam coercet; et in etiam satisfactionis scopus est, ut vitiosos habitus male vivendi comparatos contrariis virtutum actibus tollat. Sic S. Basilius scribit: „Maledixisti? Benedicas. Circumvenisti proximum in negotiis. Redde. In ebrietatem incidisti? Jejuna. Arroganter et superbegisti? Humiliare. Invidisti? Obsecra“ ¹⁾. Pariter S. Chrysostomus, „Poenitentiam dico non solum a prioribus malis recedere verum, quod majus est, bona praestare. Facite inquit Joannes fructus dignos poenitentiae. Et quomodo id faciemus? Si peccata adversa faciamus. V. g. Aliena rapuisti? Incipe donare jam propria. Longo tempore fornicatus es? Praescripto tempore ab uxore abstine, meditare continentiam. Proximum vel verbo vel facto violasti? refer benedictionis verba conviciis, et percutientes te, nunc officiis, nunc etiam beneficiis placare contende. Neque enim vulneratis sufficit ad salutem tantummodo spicula de corpore evellere sed etiam remedia adhibere vulneribus. Deliciis ante et temulentis diffuebas, jejunio et aquae potu utrumque compensa Vidist impudicis alienum decorem oculis, foeminam jam omnino non videas, majori tactus cautione post vulnera“ ²⁾. Et S. Gregorius „Sicut arte medicinae calida frigidis, frigida calidis curantur, ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem elatis praeciperet humilitatem“ ³⁾. „Quia per illicita diffuendi cecidimus, etiam a licitis nosmetipsos restringendo resurgamus et cor, quod inanis laetitia infuderat, salubris tristitia exurat, et quod vulneraverat elatio superbiae, curet abjectio humilis vitae“ ⁴⁾ „Animae vulnera, inquit Clemens XIV. epist. XIV., non aliquando leviter velociterque recitatis orationibus, sed iis servatis sanantur quae vitae antecedenti contrariantur.“ Plerique peccatores, quum hac ratione non curentur, in Deum peccando et peccata confitendo

¹⁾ In Psal. XXXII. — ²⁾ Hom. 10. in Matth. — ³⁾ Hom. 32. — ⁴⁾ Libr. Past. III. Admon. 31.

vitam suam transigunt. Confessarii omnibus confitentibus idem praescribentes remedium, juste comparantur medicastro, qui quaecumque morborum genera eadem curare nititur herba.

Quum vero confessario in satisfactionibus injungendis peccatorum naturam, quantum fieri potest, respiciendam esse praecipimus, ii non sumus, qui ita hoc intelligi velimus, ac si quodvis peccatum singularem quoque satisfactionem requirat. Tali etenim modo poenitentium obrueretur memoria, animus scrupulosa obtunderetur anxietate, et vel eo perduceretur, ut ob nimiam praestandorum copiam nihil omnino praestaretur. Sed solummodo seligenda sunt opera, quae dominantem in animo propensionem malam ceu fontem aliorum peccatorum uberrimum, vel peccatum tale, quod causa aliorum exstat, impugnare valent. Fieri enim minime potest, ut exhauriatur rivulus, nisi fons obstruatur, et aegritudo sanetur, nisi principium ejus tollatur.

Continuatio.

§. 138. Praeterea, ut satisfactio effectu suo haud frustreret, etiam *causae peccatorum externae* et *occasiones* attendendae sunt, ut illa vitiositati congrua haberi possit. Nam, quae occasionibus peccatorum et causis infringendis et praeccludendis par est, et medicinae rationem habet, et ceteris poenis molestior esse solet. Sic homini, quem mala consociatio in peccata protraxit, *sociorum fuga* in satisfactionem imponatur; qui sibi in devitandis peccatis externis haud sufficit, alios, qui ipsum moneant, de severiori custodia pie rogare; vel qui in solitudine peccatis indulget, vitae testem sibi ut adjungat, per modum satisfactionis obstringi non inutiliter poterit.

Haec naturae peccati ejusdemque relationi externae congrua *satisfactio tamdiu adhibenda, quamdiu indiget ea peccati morbus*, cui medendo adhibetur. Quum enim satisfactio ad sanandum etiam et tuendam sanitatem adhibeatur, tamdiu usurpanda est, quamdiu lethalia illa peccatorum symptomata se produnt. Nec sufficit cura paucorum dierum; quoniam praesens lues praesenti indiget remedio, quemadmodum videmus curari morbos corporis, quibus medendis medicamina admoventur, donec laborantem deserunt. Hoc autem monitum ex praecipuis est, quae confessarios concernunt, quorum multi temere persuasum habent, dicto: „Ego te absolvo“ illico planeque sanatum esse animae paralyti laborantem, eumque deinceps nihil praeterea agendo incedere posse, et libere decurrere per semitas mandatorum Dei. Gratia sacramentalis adjuvat quidem poenitentem, qui ea imbutur, ad observandam legem divinam, sed et opus est, ut gratiae divinae contrariarum actibus virtutum aliisque idoneis exercitationibus, assiduo studio pravam cupiditatem,

quae sine fraeno in ipsa dominabatur, fortem et validam oppugnando, cooperetur. Videbit igitur confessarius, utrum peccator dominans sit veluti continens febris, utrum occasiones sint semper praesentes, quo in casu remedium satisfactionis praescribere debet, quod et ipsum sit aemper praesens. Unde satisfactionis opera, quae aliquanto tempore durant, probanda sunt praesertim ex duplici causa. Prima est, quia actus isti repetiti habitus malos fortius expugnant et frangunt: hinc praestat eleemosynam designatam per intervalla dispensare, quam simul omnem elargiri. Altera, quia per hanc actuum iterationem fovetur concepta commissorum detestatio peccatorum, quorum post absolutionem facile succedit oblitio, et quam parum corporibus, aequae parum animis expedit venenata vulnera cito obducit. „In morsu venenato prohibetur consolatio. Simon Leprosus etiam recepta a Christo sanitate infirmitatis suae nomen retinuit, ne unquam ei excideret e memoria.“

Congruentia satisfactionis cum peccatorum gravitate.

§. 139. Altera satisfactionis poenitenti imponendae conditio ea est, ut *peccatorum gravitati commensurata* sit. „Grandi plagae alta et proluxa opus est medicina, grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem“ ¹⁾. „Neque enim par fructus boni operis debet ejus, qui minus, et ejus, qui amplius deliquit; aut ejus, qui in nullis, et ejus, qui in quibusdam facinoribus cecidit, et ejus, qui in multis est lapsus. Per hoc ergo, quod dicitur: „Facite fructus dignos poenitentiae“ uniuscujusque conscientiae convenitur, ut tanto majora acquirat bonorum operum lucra per poenitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam“ ²⁾. Haec regula sua sponte ex verbis Concilii Tridentini fluit, quod prohibet, ne levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungantur. Et quis unam alteramve oratiunculam, aut leviolem quamdam exercitationem ad voluntatem a peccato avertebam, ad vitia graviora infringenda, atque ad poenitentiam pro peccatis agendam, sufficere sibi persuadebit? In culpam sane incurrit, et a divino recedit ordine, qui grave v. g. pejerationis crimen eadem, qua leve, puta simplex mendacium, poena mulctare, vel in peccatum malitia et praemeditatione conceptum eodem, quo in peccatum imbecillitate vel inconsiderantia commissum, modo animadverteret? Nam divinae literae ab iis, qui poenitentiam agunt, hoc efflagitant, ut fructus dignos poenitentiae faciant, atque ad Deum convertantur in jejuniis, in fletu et planctu. Et vero, qui peccatis gravibus leves quosdam satisfactionis actus imponunt, hi consuunt pulvillos, secundum propheticum sermonem, sub omni cubitu manus, et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis ad

¹⁾ Ambr. ad Virg. laps. c. 8. — ²⁾ S. Greg. M. hom. 20. in Ev. Luc. XIII.

ad capiendas animas ¹⁾. Nimia facilitas et indulgentia plurimum nocet, peccatorem crimen a se commissum haud tanti esse momenti opinari facit, animique levitatem obfirmat, quin imo sacrum confessionis institutum deminuit praejudicio nonnullorum annuendo, graviorum peccatorum confessionem et paucarum precum recitationem ad veniam gratiamque divinam recuperandam omnino pleneque satis esse. Quapropter, sicut per omnes Ecclesiae aetates Patrum et Conciliorum effata testantur, sacri tribunalis minister in dictandis satisfactionibus peccatorum *gravitatem* respiciat, haud neglecto eorumdem numero et tempore, per quod poenitens in vitio perseveraverit. Quo enim gravius indole, frequentius numero, et diutius tempore peccatum aestimabitur, eo efficaciora adhibebis opera, quae et duratione sua molestiora erunt. Id quod satisfactionis ab Ecclesia quondam usurpatae, quamvis lapsu temporis abolitae, perspicue demonstrant, quibus peccatum gravius, per plures annos continuatum, nequaquam sola oratiuncula vel levi quadam exercitatione expiatum fuisse compertum legimus. — Gravitatem vero peccati in casu singulari definire, res haud quidem facilis est, ut viri summi semper profitebantur ²⁾. Absit autem omnis anxietas, nec opus est, ut in definiendo gradu *peccati gravitatis*, subtilius haereas, sed sufficit, gravem saltem et manifestam peccatorum inaequalitatem nosse ³⁾. Si vero gravitatis decisio anceps maneat, vide, quid viri, qui religione, scientia ac probitate eminent, haec de re passim sentiant, quidque habeat praxis Ecclesiae.

Continuatio.

§. 140. Verum enim vero, etsi antedicta de satisfactione secundum peccatorum gravitatem, numerum et diuturnitatem determinanda verissima sint, *ferenda tamen non est* illorum hominum *durities*, qui peccatorum humeris onera imponunt importabilia, aut vel per se, vel ob rerum adjuncta, in quibus poenitens hic et nunc versatur, nimis ardua. Nam quod in alia, etiam in hac re accidit. Officia christiana ultro urgendo, sicut homines animo deji-ciuntur et deterrentur, adeo ut virtutis denique nullam omnino curam gerant, ita etiam hac inconsulta severitate, quae nervos disciplinae supra modum intendit, homines in desperationem aguntur, et a frequentando salutari Sacramento repelluntur. Quam longe haec absunt ab amantissimi Magistri exemplo, qui tam suaviter ad se vocavit omnes laborantes et oneratos, ut reficeret! „Tutius est, ait S. Thomas, imponere poenitentiam minorem debito, quam majorem, quia melius excusamur apud Deum propter multam miseri-

¹⁾ Ez. XIII. 18. — ²⁾ S. Aug. Enchirid. 17. Item libr. 2. cont. Donat. c. 6. de Civit. Dei c. 27. S. Thom. Quodl. 9. a. 15. — ³⁾ Cfr. Antoine tom. I. p. 2. tract. de c. Geishüttner I. Thl. §. 146.

cordiam, quam propter multam severitatem." Ubi Pater largus est dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus est, cur sacerdos austerus? Vis apparere sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus ¹⁾). Accedit, quod hujusmodi poenitentia mitior majori doloris ac charitatis fervore peragitur, quam nimis ardua et molesta, quae saepenumero oscitanter et cum taedio persolvitur. Nec obstat rigor antiquae disciplinae; nam Ecclesiae praesules determinationem satisfactionis confessariorum prudentiae et spiritui reliquerunt, bene persuasi, ob hominum infirmitatem Canonum istorum rigorem in foro sacramentali ad literam servare difficulter posse. „Sicut medicus aliquando prudenter non dat medicinam efficacem, quae ad morbi curationem sufficiat, ne propterea debilitatem naturae majus periculum oriatur; ita sacerdos divina instinctu motus non semper totam poenam, quae uni peccato debetur, injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine poenae desperet et a poenitentia totaliter recedat" ²⁾).

Fatendum interim, poenarum per antiquos canones decretarum notitiam utilem esse et poenitenti et confessario; illi quidem ut sic ad majorem dolorem adducatur, poenitentiamque leviusculam quam confessarius dedit, alacrius exsequatur; huic vero, ut praemuniatur spiritu legum poenitentialium veteris Ecclesiae, quominus in nimiam prolabatur facilitatem et indulgentiam, quae ab omni ecclesiastico divinoque ordine recedens in causa est, cur peccator ad meliorem frugem non redeant, Sacramenta polluantur, et divinae et ecclesiasticae leges negligantur.

Quum vero praxis Ecclesiae moderna in satisfactionibus minus terne lenis mitisque sit, satisfaciendi autem necessitas eadem maneat, sacerrimum confessarii officium est, generatim poenitentibus, qui criminum graviorum reos se dixerunt, inculcandi, facta confessione et persoluta satisfactione ab ipso imposita, rem omnem confectam arbitrentur, ut potius per omnem vitam sensu poenitentiae fovere et servare studeant. Quem in finem christianitatis sui ipsius abnegationi incumbant; quantum fieri potest, a communitatibus et voluptatibus etiam licitis nonnumquam abstinere atque ea, quae in illas impendissent, in elemosynas vel in operum pietatis ac misericordiae convertant; officia sua, licet ardua et difficilia, prompte exsequantur; adversitates, praesertim propriam culpa contractas, animo poenitenti acceptent; sacris, praecipue Missae sacrificio, frequenter intersint; demum ab Ecclesia *Indulgentias* ³⁾ lucrari annitantur.

¹⁾ S. Chrysost. hom. 43. 44. in cap. 28. Matth. — ²⁾ S. Thom. Summ. theolog. Supplem. III. q. 18. a. 4. — ³⁾ Historisch-dogmatische und praktische Abhandlung über den Ablass, v. P. Brunquell, Bamberg, 1816. — Die katholische Lehre vom Ablass, v. A. Hille, Leitmeritz 1827. — L. Liebermann Instit. theolog. Tom. V.

Conditiones ad obtinendas Indulgentias.

§. 141. Indulgentia est remissio poenae temporalis pro peccatis quoad culpam et poenam aeternam jam remissis debitae, data extra Sacramentum ex thesauro Ecclesiae per legitimam potestatem et sub certis conditionibus. Concilium Trid. Sess. XXV. declarat: „Fide constat, indulgentiarum usum fidelibus maxime salutarem esse easque concedendi in Ecclesia potestatem exstare.” Per indulgentias non mere solvuntur poenae canonicae in Poenitentia impositae a Confessariis, sed poenae etiam temporales coram Deo contractae, in quarum solutionem poenae quoque canonicae olim imponebantur, et adhuc imponi deberent, si veteris Ecclesiae disciplina adhuc exerceri ratum haberetur.

Ad obtinendas indulgentias ante omnia requiritur *status gratiae*; poena enim non tollitur, nisi culpa sublata fuerit. Ex eadem ratione, ut quis indulgentiam plenariam ex integro lucretur, seria detestatio omnium prorsus peccatorum, etiam levium culparum, et voluntas operandi poenitentiam requiritur; alias enim nonnisi fructus dispositioni et capacitati tuae proportionatos reportabis. Hanc conditionem indicant summi Pontifices in suis Indulgentiarum literis, quibus eas impertire se *vere poenitentibus* ajunt, his verbis significantes sinceram omnium peccatorum detestationem, firmum animi propositum, deinceps non relabendi, et voluntatem Deo apposite satisfaciendi. Idem colligitur e constitutionibus quibusdam summorum Pontificum, quemadmodum liquet in Decreto Bonifacii VIII., quod incipit: *Antiquorum* ¹⁾, et in Statuto Innocentii IV. edito in primo Concilio Lugdunensi. Cardinalis Baronius, vir sane magnus, et qui Ecclesiae de Indulgentiis sententiam apprime noverrat, postquam Indulgentiam a Gregorio VII. concessam Episcopo Lincolnensi ea lege, ne opera poenitentiae negligantur secundum cujusque facultatem, suis Annalibus ad ann. MLXXIII. n. LXXI. inseruisset, ait, sanctum Pontificem hanc legem seu conditionem adiecit: „ut appareat, Sedis Apostolicae Indulgentias illis communicari, qui quantum suppetunt vires, bene operari non praetermittunt: non autem ignavis, otiosis ac negligentia torpescuntibus.” Hujusmodi sententiae fuit Cardinalis Cajetanus, qui citata formula jam memorata: „*Vere poenitentibus*,” qua Pontifices Romani uti solent, ait; „Indulgentias non consequi poenitentes negligentes, sed poenitentes sollicitos, qui soli sunt veri poenitentes.” Deinde explicat hujus doctrinae utilitates, *ad cujus normam*, ut observat, *solentur omnes quaestiones*, tam de nimis largo Dei foro, quam de omnittendis suffragiis pro plenarie absolutis in morte, quam de admiratione sapientium, et obloctionibus detrahentium: et excitantur

¹⁾ C. 1. Extrav. comm. de poenit. et remiss. (s. 9.)

fideles ad poenitentiae opera. Nec aliquid adimitur efficaciae Indulgentiarum, sicut nihil adimitur efficaciae Sacramentorum ex hoc quod oportet accedere ad illa esse bene dispositos, si fructus sibi esse volunt. Soli siquidem indigni Indulgentia ab illius fructu juxta hunc dicendi modum excluduntur" ¹⁾.

Ecclesia velut pia mater filiis suis vere poenitentibus in auxilium accurrit, ut Indulgentiae beneficio, quod restat debiti, solvan- tui solvendo impares sunt nonnulli quidem virium inopia, alii vero vitae termino prohibiti: quare complures non adimplent poenitentiam delictis suis convenientem. Sed eximere non vult ab obligatione legis divinae, quae idoneos poenitentiae fructus facere jubet neque desides reddere aut tardiores in operibus satisfactionis, quae tantopere commendata sunt. Ideo Concilium Tridentinum tradidit nusquam esse in Ecclesia semitam tutiorem, qua liceat evadere supplicia, quae Deus peccantibus minatur, quam ut crebro quibus hujusmodi operibus poenitentiae agendis occupetur, idque cum vero et sincero doloris affectu: „Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Deo poenitentiam, quam ut haec poenitentiae opera homines cum vero animi dolore frequentent" ²⁾. Quare illud S. Thomae sacerdotibus in cathedra confessionis amplectendum est et sequendum: „Consulendum est, inquit, eis, qui indulgentiam consequuntur, ne propter hoc operibus poenitentiae injunctis absterneant, ut etiam ex his remediis consequantur, quamvis a debitis poenae essent immunes, et praestentur quia quandoque sunt plurium debitores, quam credant" ³⁾.

Praeter hunc verum et sincerum contritionis et satisfactionis affectum, reliquae conditiones ex tenore literarum, quibus Indulgentiae conceduntur, desumendae ac implendae erunt. Sic in Jubileo praeter sacramentalem confessionem et sacramentum Communionem ⁴⁾ injungi solent opera ad satisfactionem idonea, puta jejuna, elemosynae, preces ad intentionem summi Pontificis fundendae, visitationes Ecclesiarum. In reliquis autem plenariis Indulgentiis plerumque praescribitur, ut praestitis ex praescripto operibus Poenitentiae Sacramentum adeatur, et Sacrosancta Eucharistia suscipiatur. Attamen ut magis proficuum Indulgentiarum thesaurus redderetur fidelibus, ac commode comparandus, summus Pontifex Clemens XIII. concessit „omnibus, qui frequenti confessione animi studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad Sacramentum Poenitentiae accedere, nisi legitime impediuntur, consueverunt, nullius lethalis culpae a se post peractam confessionem commissa

¹⁾ Tract. X. de suscipientibus Indulg. Quaest. I. — ²⁾ Sess. XIV. cap. de poenit. — ³⁾ In IV. Sent. Dist. XX. q. 1. art. 3. Cfr. Card. De Luca past. §. X. — ⁴⁾ Communio paschalis ad lucrandum Jubileum alique speciali indulto non sufficit. S. C. Indulg. 6. Mart. 1847.

sibi conscii sunt, ut omnes et quascumque (excepto Jubilaeo) Indulgentias consequi possint, etiam sine actuali confessione. Indulsi praeterea Pius VII. tum, ut liceat Eucharistiam sumere in pervigilio Festivitatis, pro qua concessae sunt indulgentiae, tum, ut firmiter remanente decreto Clementis Papae XIII. pro iis fidelibus, qui ad confessionem saltem semel in hebdomada accedunt, ceteris confessio peracta *infra hebdomadam* ante Festivitatem suffragari possit ad Indulgentiam lucrandam, dummodo nullius lethalis culpae post peractam confessionem commissae conscii sint." Verba: *infra hebdomadam* significant juxta declarationem Congregationis Indulgentiarum die 15. Decembris 1841. editam octo dies tantum, qui Festivitatem immediate praecedunt.

Tempore Jubilaei majoris toto anno omnes aliae Indulgentiae tam plenariae quam particulares pro vivis concessae suspenduntur. Indulgentiae vero pro defunctis in suo manent vigore, imo etiam illae, quae alias defunctis non sunt applicabiles, iis hoc anno applicari possunt. Excipiuntur autem ab hac suspensione, Indulgentiae pro moribundis; pro oratione *Angelus*; pro visitatione SS. Sacramenti per 40 horas expositi; pro comitantibus ss. viaticum, ad infirmos delatum. Bened. XIV. Const. *Inter praeteritos*. 3. Dec. 1749.

Congruentia satisfactionis cum indole poenitentis interna.

§. 142. Ex spiritu prudentiae, cujus ad normam satisfactio attentis poenitentis viribus determinetur, alia satisfactionis conditio reponitur in eo, ut sit *indoli poenitentis internae accommodata*. „Non ex scelerum tantum, sed ex peccatorum etiam animo atque affectione indicenda est poenitentia; quemadmodum fecit Paulus erga Corinthios, quod ipsius imbecillitatem extimesceret, deoque dicebat, *ne absorbeatur*" ¹⁾. Concilium Tridentinum aperte idem praecipit, dum ait: „Confessarii, quantum spiritus et prudentia suggesserit, — — pro poenitentium facultate — — satisfactiones injungant salubres et convenientes." Qui hoc prudentiae praecipitum negligit, periculum haud leve incurrit in satisfactionibus dictandis multimode errandi, docente psychologia testeque ipsa experientia. Videndum itaque erit, quae sit poenitentis conditio interna, quae indoles mentis, voluntatis et animi; quae constantia, quae fragilitas, quae ratio temperamenti etc. Quis enim non videt, satisfactionis opera, quae viro cultioris ingenii apprime conveniunt, homini indocto, ne dicam rudi, nequaquam esse idonea? vel satisfactiones, quae poenitenti admodum pio et in perfectione christiana jam satis profecto salubres sunt, e. g. certi modi humiliationis, vel certae formulae precum, alteri ceterum bono homini, sed qui

¹⁾ S. Chrys. hom. 1. in c. I. Epist. II. ad Cor.

mysteria animae piae nondum penetravit, sine fructu, si non cum detrimento imponi? Quae poenitentem tenerioris conscientiae quam vehementissime movent, rudem et levem, qui pulchri bonique sensu destituitur, saepe aut parum aut nihil afficiunt. Satisfactiones, quae homini animi levioris, vitae delicias temere et inconsulto sectantur, utilissime inserviunt, ei, qui ingenii tristioris aegriorisque est, minime prosunt. Sic melancholico, qui proh dolor! nefando mollicitiei crimine se foedare consueverat, et demissis cogitationibus solitudini inhaeret, mundi taedio captus, consuetudinem cum hominibus, qui hilari serenaque mente gaudent, prohibere, non minus imprudens esset, quam si mulieri, quae ob vitam licentius actam maxime anxia continuis agitur scrupulis, crebra poenarum infernalium meditatio injungeretur.

Maxime vero in satisfactione pro indole poenitentis aptanda ejusdem *dispositio* attendenda venit. Rituale Viennense expressis verbis monet, ut confessarius habita ratione dispositionis poenitentium satisfactionem injungat. Si enim poenitens animi mutati signa haud dubia prodit, sceleris e. g. adsueti occasione jamjam evitata, — bono surrepto jamjam restituto, — obrectatione revocata, si magnam habet contritionem ad omnia, quae ad sui emendationem necessaria reputantur, suscipienda paratus; si interioribus conscientiae poenis et scrupulis agitur, et plurimum sua sponte admissus est, ut Deo satisfaceret: tunc profecto prudentia postulat, ut huic non tanta injungantur opera satisfactoria poenalia et medicinalia, quanta illi, qui nondum quidquam praestitit, quo satisfaceret Deo; qui mollem ducit vitam nullis ferme conscientiae stimulis actus; qui vel omnino paucis abhinc diebus, et ea forsitan de causa a peccatis abstinuit, quod nunc confessionem facere sibi proposuerit. Quae tamen regula etiam exceptionem patitur, ut scilicet ferventiori major, segniori autem (ne linum fumigans extinguatur), minor poenitentia injungi possit et debeat.

Congruentia satisfactionis cum conditione poenitentis externa.

§. 143. Sicut autem sedula indolis poenitentis internae consideratio efficit, ut opera satisfactoria alia aliis tum quoad quantitatem tum quoad qualitatem determinentur, ita pariter *respectus*, quem prudentia commendat et praecipit, *ad poenitentis conditionem externam* in determinationem satisfactionis influat. Merito hinc regulam statuimus, ut satisfactio conditioni poenitentis externae congruens seligatur. Unde Rituale Viennense recte monet: „Injungat confessarius convenienter satisfactionem habita ratione status et conditionis, sexus et aetatis poenitentium.” Ita non injunges poenitenti id, quod facere non potest, v. g. ut filiusfamilias, qui peculium non habet, largiatur eleemosynas, — vel quod potest valetudi-

nom atterere, uti magnae sunt austeritates in corpore imbecilli, jejunia in pueris, in senibus, in foemina gravida, in nutrice, in valetudinariis etc., excubiae in servo, diuturna a vino abstinencia in viro labore oppresso. — Corporum mortificationibus multum praestant mortificationes internae, per quas nec valetudo, nec aliud quidquam periclitatur, uti sunt abnegationes propriae voluntatis, linguae, oculorum aliorumque sensuum coërcitio.

Pariter quoque poenitenti, qui morbo pressus doloribusque circumventus jacet, longas orationes aut animum defatigantes meditationes injungere haud licet, sed potius eo ducendus est, ut morbum (aut alias quascunque miseras) spiritu humilitatis tanquam aptissima sui emendandi remedia a Deo suscipiat, et animo ad poenitentiam prompto contritoque perferat, omnem et minimum quidem indignationis, aut erga Dei sanctissimam voluntatem murmurationis motum supprimat, providentiae divinae se committat, sicque satisfactionis opera, quibus praestandis jamjam est impar, patientia et obedientia compenset.

Similiter cavendum, ne iis etiam, qui corpore sani, labore continuo sibi suisque ad victum necessaria comparare debent, prolixae ferialibus diebus orationes vel eleemosynae, quas erogare non possunt, imponantur. His potius indicendum, ut diebus dominicis festisque officia divina religiose frequentent; ut ante vel post officiorum sacrorum tempus in templo humiles et demissi permaneant; ut ardentiori studio Deum in familia sua coli curent, et de Eo frequenter loquantur; ut consuetis fidelium precibus mane ac vespere ferventius fungantur; ut laborem suum, fortunae vel potius providentiae casus, et, quidquid obveniet incommodi, in peccatorum remissionem Deo frequenter offerant, et interdum in laboris decursu illud Publicani contrito proferant corde: „Propitius esto mihi peccatori.” Ceterum haec non in praefatos solum poenitentes cadunt, sed ad omnes attinent, qui fortunae quoque bonis abundant et voluptatibus quasi ebrii vitam transigunt omnem, et peccata peccatis cumulant. Specialiora satisfactionis opera, quantum ad certas poenitentium classes, respectu habito ad statum eorundem externum, vide Sectione altera.

Congruentia satisfactionis cum bona fama aliisque officiis poenitentis.

§. 144. Denique non obstat satisfactio, quae a confessario poenitenti imponitur, *bonae poenitentis famae aliisque*, quibus stringitur, *officiis*. Caveat confessarius, ne quid, quod peccatum aliis prodere, ipsumque diffamare possit, injungat. Poenitens enim, qui peccata sua ea sub conditione confitetur, ut in perpetuum celen-
tur, jure potitur bonae suae famae. Quidquid igitur poenitentis

honori et aestimationi obesse, eumque in suspicionem **gravior** occultorum criminum adducere possit, omnino vitandum est in satisfactionum operibus praescribendis; non enim alias **satis** com- tum foret arcetissimo confessionis sigillo. Sic juveni, ut certos hebdomadam dies jejundet, vix imperabis, quin de secretis **exce-** bus suspectus habeatur, quo simul et fieret, ut, quam magno ani coepit, pertendere poenitentiam non auderet. In horum locum junges illi nonnullas abstinentias ac mortificationes *internas*, quae minus incurrunt in oculos ceterorum. Sic famulus, qui domino clam furatus est, adigi per satisfactionem nequit, ut *ipse* domi ablatum restituat. Uxor, quae adulterium commisit, marito suo a men palam facere *minime* obligatur, et vitricus (Stiefvater) pri- gniam (Stiefkind), quaecum rem habuit, sine *sufficienti ulterius causa* domo pellere nequaquam tenetur. Ab iis itaque omnibus **o-** ribus satisfactoriis, quae bonam poenitentis famam laederent, **e-** fessarius absteat imponendis; salva tamen obligatione ex peccatis commissis per ipsam justitiam eis incumbente, quae aliquando **et** cum propriae famae jactura urgenda venit, v. g. retractatio **cu-** mniae.

Nec adhibebit ejusmodi opera, quibus exantlandis alia **offi-** poenitens negligeret. Id locum haberet, si v. g. confessarius mulo praeciperet, ut diebus quoque feriatis sacrificio Missae **int-** esset; vel eleemosynae summam imponeret, quam elargiendo **p-** nitens sibi suisque necessaria detraheret, vel interruptionem **e-** sociationis cum personis exigeret, quibuscum poenitens **conviv-** obligatur.

Proinde, monentibus S. Carolo et S. Francisco Salesio, **o-** fessarius, si ita expediri viderit, poenitentem interrogabit, **n-** satisfactionem sibi injunctam peragere possit, nec ne; alioquin **e-** mutabit aut minuet.

Pro peccatis occultis, monet Rituale Viennense, quantumvis **gravib-** manifestam poenitentiam confessarii non imponant. Quare ubi **casus** curreret, in quo merito videretur poenitens, v. g. ob **scandalum re-** randum, ad poenitentiam publicam obligandus, recte inferiores **nae** dotes monentur, ut Episcopum consulant.

Modus satisfactionem poenitentibus imponendi.

§. 145. Non sufficit ad salutarem satisfactionis effectum producendum, ut satisfactio qualitati criminum et poenitentium cultati sit congrua, sed requiritur insuper, ut impositio **quo-** modo salutari et convenienti fiat.

Hinc statuimus: 1) Satisfactionis opus *determinate et* **stincte** proponatur; nec vagi vel fluctuantis quid confessarii **pr-** scripto insit: nec terminis scholasticis vel nimis generalibus **em-**

citur; quare modus, tempora et loca, quibus exercendum sit, nunquam adcurate indicanda sunt. Dic poenitenti, quando satisfactionem facere debeat, quando incipere, quando terminare; designa tempus et ipsum momentum, si fieri potest, v. g. post preces matutinas, vespertinas, meridie ad pulsum campanae pro salutatione Angelica. Ubi omnia ita definita et defixa sunt, non prona est oblivio, et impositum satisfactionis opus non facile negligitur. Accedit, quod determinata satisfactio libentius et attentius impletur, quam quae generaliter praescripta fuerit, et quod, cum satisfactio ad certum tempus determinata non est, postmodum haerent plerumque fiuntque anxii poenitentes.

2) Quod non possumus non inculcare enixissime, id praecipuum est, ut confessarius isthic potissimum *suavitatem et charitatis illecebras adhibeat*, id exercens, quod sibi ab Apostolo praecipitur: „Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis” ¹⁾. Sacerdos enim Dei vicem gerit, et poenitentiae tribunal non est tribunal irae, sed misericordiae. Hoc enim intercedit discriminis inter spirituales corporeosque morbos, quod hi aegro licet invito curari possint; si enim restitit, vincitur, et saepe nulla habita clamorum et ululatum ejus ratione in ipso fiunt necessariae incisiones. Medicus, ait S. Augustinus, non audit ad voluntatem, sed ad sanitatem. At peccator, si nolit curari, nequit, et muneris est ac prudentiae confessarii divina freti gratia, efficere, ut velit; quod ex voto contingere nequit, nisi blande sese in animum ejus insinuet, nam mollibus potius, quam duris sermonibus compungitur animus delinquentis. S. Bernardus confessarios suavitate divini spiritus repletos comparat sanctis mulieribus, quae attulerunt unguenta, ut corpus Domini post ejus obitum ungerent.

3) Confessarius numquam non servata christiana suavitate ac charitate *poenitentem eo deducat, ut satisfactionem alacriter acceptet certoque subeat*. Quomodo vero id efficiet? Praeterquam quod absterneat a verbis duris et asperis, a modo agendi sicco et jejuno, qui animos avertit, e contra utatur omni suavitate et benevolentia, — praepremis requiritur: a) ut in poenitentia sive satisfactione injungenda gradatim procedat, nimirum ab initio iis, quae maxime urgent et spiritum poenitentiae fovent, operibus contentus sit, poenitenti autem frequentiore Poenitentiae Sacramenti usum praecipiat, atque ad sacrum tribunal reducem sensim ad perfectiores poenitentiae fructus hortetur. Pulchre in hanc rem S. Chrysostomus ait. „Quemadmodum optimi medici eos, qui difficili diuturnoque morbo decumbunt, variis medicinis ad sanitatem restituunt, non semper utentes arte (interim enim nonnihil cupientibus diversa

¹⁾ Gal. VI. 1.

obsecundant), sic Deus corruptos non magna vi impellit ad virtutem, sed mansuete et sensim promovet. Imo plerumque portat ovent inventam, non percussam, ne immanior scissura fiat, aut error productior" ¹⁾. Similiter S. Gregorius M., „admonendos, inquit, esse pastores, ut considerent, quod structuris recentibus necdum solidatis, si tignorum pondus superponitur, non habitaculum, sed ruinam fabricatur" ²⁾. b) Ut promptum paratumque reddat poenitentem, ostendat confessarius, satisfactionem ipsi impositam non arbitrariam esse, sed necessariam, quippe intimo cum peccatis locatam nexumque edoceat statum suum inpraesentiarum ob peccata inquietum et anxium, simulque moneat de omni serenitatis et tranquillitatis animi laetitia, qua peracta poenitentia fruiturus sit, dum se in peccatorum abysso emersisse viderit. c) Pariter suggerat poenitenti, in officiis peccatoris esse, ut, quod acerbitalis medicamentis et severitatis castigationi insit, patienter ferat, ceu poenam peccatis debitam, ut iustitiae divinae satisficiat. Si vero terrore perterritus ob satisfactionis gravitatem, meminerit Deum nemini petenti et volenti sua gratia esse defuturum. Virtus in infirmitate perficitur. Erigit elisos, humiles sublevat. d) Si nihilominus poenitente de iis, quae sibi praecipuntur, conqueritur, confessarius sciscitabitur causas, et his perspectis, ubi opus est, alleviabit eum, eide quoque fieri potest, se indulgere contestans, si ex calamitoso statu, in quo versatur, surgere valeat alia faciliore via, quam si ab ipso proposita; quin interrogare poterit: Qua igitur arte poteris futurum, ut hoc in te corrigas vitium? quatenam adhibebis media, pravum hunc habitum abjicias? neque enim finem assequi possumus nisi per ea media, quae sunt idonea. Ullane tenes? Si quae poenitens proposuerit, confessarius ea ad examen revocabit, easque, bona et sufficientia fuerint, utetur, et acquiescet illis. Sin autem nihil adjecerit, confessarius ostendet necessitatem alacriter recipiendi satisfactionis opera, quae ipsi indicavit, utut fors acerba et molesta, nec absterreri se sinat a proposito suo, memor doctrinae a S. Augustino in epistola ad Bonifacium datae: „Molestus est medicus furenti phrenetico, et pater indisciplinatae filiae, ille ligando hic caedendo, sed ambo diligendo." e) Denique non inutile erit poenitentiam canonibus antiquis praescriptam eidem indicare, ut leviores injunctas ardentius exsequatur, dum viderit, quantam pro peccatis suis secundum canones poenitentiales peragere debuisset poenitentiam, si ea aetate vixisset. S. Carolus Borromaeus praecipit confessario, ut addiscat Canones poenitentiales, quia, licet eorum Canonum poenitentias debeat, ut tempora ferunt, pro charitate et prudentia sua minuere, prout peccati et poenitentis circumstantiae requirent, tamen eos debet calere, ut possit demonstrare

¹⁾ Epist. 5. ad Theod. monach. — ²⁾ Libr. Past. P. III. c. 23.

his, qui gravius peccarunt, quo magis scelerum suorum magnitudinem agnoscant quanta ipsis poenitentia juxta Canonum regulas imponenda esset, nec vero putent, peccata sua levia esse, quia parva eis poenitentia data est, sed hoc factum esse, ne eam, quae pro culparum ratione injungenda erat, differant cum periculo salutis; sed eo majorem in peragendis usitatis pro praesenti tempore operibus satisfactoriis zelum habeant, quo mitius cum eis agit Ecclesia, quae, ut bona mater, filiorum consulens infirmitati, nervos severitatis, non eversa tamen fidei majestate, nec profana facilitate suum vigorem dimittens, pro prudentia relaxavit.

Ex dictis igitur intelliget confessarius, lenitatem et charitatem, quam habere debet, non esse ignavam indulgentiam, quae in eo sita est, ut omnia tribuat inordinatis poenitentium desideriis, sed prudentiam, qua illos alliciat ad faciendum, quicquid necessarium est, ut corrigantur. „Habens, ait S. Bernardus, ex fraterno oleum mansuetudinis et ex divino amore vinum aemulationis, securus accede ad vulnera sananda. Sicut compatiabamur fratri, ita justitiae compatiendum est, quam videmus tam impudenter abjici, tam impudenter provocari.” —

Ceterum confessarius personis, de quarum alacritate adimplendi satisfactionem dubitarit, non sine ratione stricte inculcabit, ut in confessione proxima de satisfactione adimpleta, confessarius vel sibi vel alii rationem reddant. Hoc enim pacto plurimum conferet, ut poenitens ad faciendum, quicquid necessarium pro satisfactione injunctum est, impulsus se sentiat.

Ubi periculum est spectata poenitentis infirmitate, ne opera satisfactoria, quae nimis difficilia ipsi videntur, omittat, licet aliunde valde opportuna sint, expedit sane, ut haec omni quidem modo commendentur; ast pro satisfactione adeoque sub stricta et gravi obligatione non facile injungantur. Qui spiritum conservant, facile etiam ea sequuntur, quae pro gravi consilio proposita sunt: aliis autem satisfactio talis injuncta et neglecta fit occasio gravis peccati. Debiliter disposito poenitenti danda est satisfactio, ut parvulus ignis foveatur, et ne apposita palea suffocetur apposis lignis desuper¹⁾.

Satisfactionis commutatio.

§. 146. Ad quaestionem: an satisfactio ab alio confessario imposita per alium confessarium commutari possit, respondemus affirmative, sed his sub conditionibus:

Ut id fiat *justa de causa*; quia rara esse debet, et gravibus nixa rationibus; nam nimia facilitas haec vitia poenitentium foveret, quos saepius vel sola inconstantia vel odium poenitentiae, et amor vitae mollioris impellerent ad commutationem satisfactionis sibi

¹⁾ Cfr. S. Lig. theol. mor. Libr. VI. n. 509. 510. 516.

incommodae extorquendam. Ubi vero prior confessarius modum aequitatem non servavit, vel si qua supervenerit causa, quae poenitentiam primo injunctam fecerit impossibilem, aut maxime difficilem, vel periculosam, tunc justa commutationis ratio aderit. b) *In ipso tribunali poenitentiae*; est enim hujusmodi commutatio actus jurisdictionis clavium. c) *Auditis peccatis*, ob quae satisfactio inposita fuerat a priori confessario, quia iudex nequit iudicare in cognita causa. Prudentia et discretio summopere suadent, ut alter confessarius ita procedat, ut prioris confessarii auctoritas non imminuatur, et, si fors erraverit, semper excusetur.

Commutatio autem poenitentiae a simplici confessario fieri nequit, si haec a Superiori imposita fuerit per viam commutationis vel dispensationis voti. Sic v. g. *Julia* super virginitatis perpetuae et integrae voto simplici dispensationem obtinuit, eique cum confessa esset, poenitentiae loco in *Brevis* executionem, injuncta est, ut quotidie, quoad viveret, *Rosarium* persolveret. Haec scilicet haud simplex poenitentia est; sed voti commutatio, quam confessarius edidit vi potestatis, quam ut Papae delegatus (ad quem dispensatio super voto simplici perpetuae virginitatis pertinet), exercuit, itaque *Julia* ab hac poenitentia, scilicet a substituto *Rosario* non nisi per Apostolicam Sedem, vel etiam per Episcopum auctoritate potest. — Pariter illicitum esse videtur, ut simplex confessarius commutet poenitentiam pro peccatis reservatis injunctam.

Tempus peragendae satisfactionis sacramentalis,

§. 147. Spectata natura et institutione Sacramenti Poenitentiae perinde est, utrum absolutionem antecedit, an sequatur satisfactio. Nullum in hac re constat praeceptum Christi. Et jam dudum in Ecclesia, tum graeca tum latina, haec disciplina invaluit, peccatoribus contritis et confessis absolutionis beneficium impetiretur, antequam satisfactionem peregerint. Fatemur quidem, antiquitus absolutionem lege communi datam non fuisse, nisi explicita poenitentia; quamquam non desint, qui contrarium affirmant, reconciliationem, quae post exantlatos labores fiebat, mere ceremoniam fuisse contendunt. Nihilominus tamen, dum Ecclesia hac parte a veterum canonum institutis recessit, id jure fecit, quod res, de qua agitur, ad disciplinam pertinet, et ex genere eorum est de quibus Tridentinum ait: „Hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum administratione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati, ac ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire judicaverit”¹⁾. Sic, licet praxis

¹⁾ Sess. XIV. cap. 2.

geret, ut post expletum poenitentiae stadium reconciliarentur poenitentes, vetus etiam Ecclesia multis in casibus aliter se gessit, v. g. reconciliabat poenitentes ante expletam poenitentiam a) propter libellos supplices martyrum, b) cum in vitae discrimen venirent, c) quando instabat persecutio, quando ex haeresi vel schismate alios secum ad Ecclesiam reducebant, et quando poenitens vehementem de peccatis suis dolorem et singularem in poenitentiae operibus peragendis fervorem demonstrabat ¹⁾. Merito hinc damnatae et proscriptae sunt duriores asperioresque sententiae illorum, qui Christi lege institutum ferunt, ut poenitentia absolutioni praeceat, ac minus probant eam, quae nunc viget, disciplinam, per quam absolutio satisfactionem antevertit. Errorem hunc damnarunt Alexander VIII. S. P. n. 16. 17. 18. inter propositiones proscriptas, et Clemens XI. in Bulla: „Unigenitus Dei.” „Quia satisfactio jam est in intentione poenitentis antequam re ipsa impleatur, integrum Sacramentum est, et paullatim ad perfectam integritatem perducitur, cum illa persolvitur” ²⁾. Quamvis autem juxta hodiernae Ecclesiae praxin absolutio impertiatur ante expletam satisfactionem, sciunt tamen sacerdotes, nullum existere Ecclesiae decretum: quo prohibeatur, ne unquam satisfactio poenitenti injungatur ante absolutionem implenda. Igitur, si poenitentis emendationi et saluti id expedire judicaverint, possunt aliquando, antequam absolutionem impertiant, satisfactionem injungere, et injunctae solutionem exigere. Qui sacro tribunali frequenter assident, norunt graves ita impediendi causas non raro occurrere, v. g. si poenitens vitiosa peccandi consuetudine sit implicatus, si poenitentiam in aliis confessionibus injunctam neglexerit. Id verum agnoscit S. Bernardus mirifice rem illustrat: „Sicut sunt peccata minima, sunt merita, sunt et magna, sic et (apud Deum) misericordia parva, mediocris et magna” ³⁾. Unde concludit in hunc modum: „Magnus erat peccator, magna misericordia opus habet, ut, ubi abundavit delictum, superabundet et gratia.” — Idcirco rex David post adulterii flagitium Deum rogat: „Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.” Hanc autem magnam misericordiam non largitur Deus magnis peccatoribus sine praecedente luctu gemituque, nec sine multa poenitentiae exercitatione, flagitante hanc oeconomiam justitia Dei, ut e Concilio Tridentino sumus edocti: „Ad quam tamen novitatem et integritatem per Sacramentum Poenitentiae sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus” ⁴⁾. Et sane rationi est prorsus consentaneum, ut ad impetranda a Deo magnae miseri-

¹⁾ Consule Morinum de Poenit. libr. 9. c. 14. — ²⁾ Nat. Alex. Theolog. mor. libr. 2. c. 6. art. 6. reg. 3. — ³⁾ Serm. de Tripl. misericordia. — ⁴⁾ Sess. XIV. cap. 2. de poenit.

cordiae beneficia, cujusmodi sunt copiosa gratiae divinae opitulant auxilia, quibus omnino et peculiariter opus est ad conversionem peccatoris, qui diutina vitiorum consuetudine languescit, longe major etiam praecedat apparatus poenitentiae, quam si quis nuper admodum in crimen aliquod infortunio sit prolapsus ¹⁾).

Modus agendi poenitentiam in veteri Ecclesia.

§. 148: Quoniam poenitentiae rationem, quae in veteri Ecclesia viguit, nosse saepenumero multum juvenis adfert confessorio in tam difficili opere, ut persuadeat unicuique injunctam satisfactionem peccatis debitam promte suscipere susceptamque explere: non inutile navabimus operam, si leviter saltem et brevissime quaedam de poenitentia veteris Ecclesiae canonica delibaturi sumus. Ex tempore, quo arctior poenitentiae disciplina viguit quatuor institutae sunt stationes, quas poenitentes percurrere debebant, antequam reconciliarentur cum Ecclesia et ad sacram Communionem admitterentur. Horum quatuor graduum, quibus poenitentiae curriculum continebatur, primus meminit S. Gregorius Thaumaturgus Neocaes. Episcopus in sua epistola canonica, et deinceps alii Patres, inprimis S. Basilius in Epistola ad Amphil., Constantinum Ancyranum ²⁾ et Trullanum ³⁾. Apud Latinos jam inde a IV. saeculo poenitentium divisiones fuisse, ostendunt Ecclesiae per ea tempora aedificatae ac praesertim antiquissima Basilica S. Clementis. Constantinus Morinum, Albaspinatum, Martenium et alios recentiores auctororum rituum scriptores, qui singulos poenitentiae gradus accurate describunt ⁴⁾. Primum gradum *fletum* vocarunt, graece *πρόκλαισις* alterum *auditionem ἀκούσιν* tertium *substrationem, ὑπόπρωσις* quartum denique *consistentiam, σύστασις*.

In prima statione poenitentes extra portam templi et sub discilio induti et cinere conspersi, ad ingredientium genua advolvuntur, eorumque preces lacrymis expetebant, unde eis *fletitia* nomen dabatur.

Secundus gradus *audientium* vocabatur. Hi quasi novum Catechumenatum inire cogebantur, (nam etiam inter Catechumenos gradus erat audientium). Hinc, qui in hoc gradu erant poenitentes catechumenis permixti in vestibulo, vel intra septa Ecclesiae stabant, ut audirent conciones, lectionem et interpretationem scripturarum, qua finita dimittebantur. „Audiens, ait S. Gregorius, poenitentiam Scripturas et doctrinam ejiciatur, et precatione ne dignus censeatur

¹⁾ Cfr. Card. de Lugo. De Poenit. Sect. 10. n. 170. Edit. Lugd. 1636. 239. — ²⁾ Can. 6. 16. 17. tom. I. collect. Hardulni col. 273. et 274. — ³⁾ Can. 87. — ⁴⁾ Gard. de Aguirre. Dissert. in can. XI. et XII. Con. Tolet. III.

Tertius gradus erat *substratorum*; qui in hac erant statione, proprie poenitentes vocabantur. Flentes poenitentiam efflagitabant, audientes ad poenitentiam praeparabantur, substrati poenitentiam agebant. In hoc gradu diutius versandum erat, et peccata diluenda per multos labores et per varia poenarum genera, quae ex Episcopi voluntate et canonum statutis praescribentur. *Substrati* intra Ecclesiae septa, sed in loco a fidelibus sejuncto stabant; diebus Synaxis et jejunii coram universo populo in faciem se prosternebant, et Episcopus una cum sacerdotibus manus ipsis imponebat, ac certas recitabat orationes precesque expiatorias, quibus auditis dimittebantur.

Poenitentes in tertio gradu jam *purgati* ad quartum ordinem admittebantur, qui *consistentium* dicitur. Hi nullis amplius poenitentiae laboribus subiciebantur, cum fidelibus Missae sacrificio interesse poterant, quod ceteris poenitentibus negatum. De iis ita Nicaenum Concilium decernit¹⁾: „Sine oblatione *χωρίς προσφοράς* populo communicent in orationibus.” Non tamen levis haec poena erat, quod neque offerre, neque, quod consequens erat sacram Eucharistiam sumere poterant: omnes enim, qui oblationum privilegio carebant, etiam Eucharisticae communionis jure destituebantur. Certa erant stationum spatia pro singulis criminibus constituta; sed ea tamen pro gravitate delicti longiora aut breviora erant. Episcopus stata tempora pro vario poenitentium studio contrahebat vel producebat arbitrato suo, et hoc quidem Episcopi arbitrium interdum tam late patebat, ut posset poenitentes ex auditione ad consistentiam omitta substratione traducere.

Jam vero, quo tempore reconciliatio concessa fuerit iis, qui poenitentiae stadium percurrebant, notandum est, distingui duplicem reconciliationem: *parvam* seu *primam*, quam Patres communionem sine oblatione nominarunt, et haec concedebatur substratis, quando poenitentiae laboribus in tertio gradu exantlatis ad consistentiae gradum admittebantur, in quo fidelium societati denuo adscripti, oblationis tamen et Eucharistiae beneficio carebant.

Altera reconciliatio est *major* sive *ultima*, quam Patres perfectionem communionis vel plenam communionem nominarunt; haec poenitentes in omnia christianorum jura, praesertim in oblationem et Eucharistiae participationem restituebat. Jam si tempus absolutionis sacramentalis determinandum est, necesse est unam ex duplici reconciliatione indicare. Quidam putant, ultimam et majorem reconciliationem fuisse absolutionem a peccatis, alii primam, quae in fine substrationis dabatur²⁾.

1) Cap. II. — 2) Cfr. Klee, Kath. Dogmatik. III. Bd. S. 267—280.

Canones poenitentiales.

§. 149. Magna erat veterum Patrum cura et diligentia, ut propria remedia, et iusta pro unoquoque crimine poenitentiae tempora constituerentur. Ea de re agebatur in consiliis, ubi plures conditi sunt canones, consulebantur etiam primarum sedium Episcopi, et qui ceteris pietate ac doctrina praestarent; et hi suas dabant litteras, quibus aptam et idoneam ad singula crimina poenitentiam, et ejus quoque tempus stabiliebant. Hinc collecti sunt *Canones poenitentiales*, ex quorum auctoritate poenitentiae imponebantur; et ideo cum Episcopi concilia habebant, inter cetera monebant presbyteros, ut *non ex corde, sed sicut in poenitentiali scriptum est*, poenitentias darent¹⁾. Quoniam vero ex rationibus supra laudatis Canones poenitentiales nosse, etiamnum confessariorum maxime interest, tam propter suum ipsorum, quam peccatorum quoque commodum et utilitatem, appendicem eorundem, qualis circumferri solet, juxta ordinem Decalogi exhibere juvat. Consule S. Carol. B.²⁾, et Gard. de Aguirre³⁾.

P r a e c e p t u m I.

Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.

Qui a fide catholica desciverit, poenitentiam agat annis decem.

Qui auguriis et divinationibus servierit, quique incantationes diabolicas fecerit, poenitens erit annis septem.

Qui magos consuluerit, artemque magicam ad quodcumque adhibuerit, in poenitentia erit annis quinque.

Si quis in codicibus, aut in tabulis sorte ducta res futuras requisierit, poenitens erit dies quadraginta.

P r a e c e p t u m II.

Non assumes nomen Dei tui in vanum.

Quicumque sciens pejeraverit, quadraginta dies in pane et aqua, et septem sequentes annos poeniteat; et quot homines in peccatum induxerit, pro totidem perjuriis jejundet.

Qui compellit alium, ut falsum juret, quadraginta dies in pane et aqua, et septem annis in poenitentia erit.

Si quis nomen Dei juraverit, si semel nesciens fecerit, poenitens

¹⁾ Apud Burchardum libr. 1. c. 94. Reginonem libr. I. c. 98. Benedict. XIV. de Syn. dioec. libr. I. c. 11. n. 3. — ²⁾ In praefat. ad Canones poenitentiales. — ³⁾ Diss. ad Can. XI. et XII. Conc. Tolet. III.

aqua et pane septem dies victitet, si secundo ac tertio monitus, idem fecerit, dies quindecim.

Si quis Deum, vel beatam Virginem aut aliquem Sanctum publice blasphemaverit, prae foribus ecclesiae dominicis diebus septem, dum missarum solemnia agantur, stet in manifesto, ultimoque ex illis die sine pallio et calceamentis, ligatus corrigia circa collum, septemque praecedentibus feriis sextis in pane et aqua jejunet, ecclesiam tunc nullo modo ingressurus. Singulis pariter illis septem diebus Dominicis tres, aut duos, aut unum pauperem pascat, si potest; si non potest, poenitentiam aliter suppleat.

P r a e c e p t u m III.

Memento, ut diem sabbati sanctifices.

Qui opus aliquod servile die dominico, vel festo exerceverit, poenitentiam agat tres dies in pane et aqua.

Si quis in ecclesia confabulatur, cum divina fiunt, poenitens erit dies decem in pane et aqua.

Qui in quadragesima jejunium violaverit, pro uno poenitentiam agat dies septem.

P r a e c e p t u m IV.

Honora patrem tuum et matrem tuam.

Qui parentibus maledixerit, quadraginta dies poenitens sit in pane et aqua.

Qui parentes injuria affecerit, tres annos.

Qui percusserit, annos septem.

Qui ejecerit, tamdiu poeniteat, quamdiu in hac impietate perseveraverit.

P r a e c e p t u m V.

Non occides.

Si quis patrem aut matrem, fratrem aut sororem occiderit, toto vitae suae tempore non suscipiat corpus Domini, nisi in obitu: abstineat a carne et vino, dum vixerit: jejunet secunda, et quarta, et sexta feria.

Si quis homicidium sponte commiserit, primo jejunet quadraginta dies in pane et aqua, deinde poenitentiam agat annis septem.

Si quis per iram subitam, aut per rixam hominem necaverit, poenitentiam agat annos tres.

Qui homicidii auctor fuit ob consilium, quod dedit, erit in poenitentia quadraginta dies in pane et aqua cum septem annis sequentibus. — Idem constituitur in eum, qui alio instigante vel iubente homicidium fecerit.

Qui insidiatus est alicui, ut ab aliis occidatur, licet ipse non occiderit, eandem agat poenitentiam.

Qui mortem alicui per injustam accusationem accesserit, poenitentiam agat, quasi homicida.

Si quis aliquem graviter vulneraverit, vel ei aliquod membrum praeciderit, poenitentiam agat uno anno per legitimas ferias.

Si qua mulier sponte abortum fecerit, poenitentiam agat tres annos si nolens, tres quadragesimas.

Mulier foetum suum perimens voluntarie ante quadraginta dies poenitens erit annum unum; si post quadraginta dies, annos tres; si vero post partum filium filiamve sponte interfecerit, poenitentiam agat annos duodecim et nunquam erit sine poenitentia.

Paupercula, si ob difficultatem nutriendi id commiserit, annos septem.

Si quis explendae libidinis causa, vel odii meditatione, ut non ex se soboles nascatur, homini aut mulieri aliquid secarit, vel potionem aliquam dederit, ut non possit generare, vel concipere, homicidii teneatur.

Si quis jussu domini homicidium perpetraverit, dies quadraginta in pane et aqua, et praeterea septem annos sequentes per legitimas ferias jejunabit.

P r a e c e p t u m VI.

Non moechaberis.

Si Laicus solutus cum foemina soluta peccaverit, poenitens erit annos tres, et quanto saepius, tanto majori afficietur poenitentia.

Vir solutus, si cum alterius uxore adulterium commiserit, poenitentiam agat annos septem; mulier quinque.

Mulier soluta cum alterius marito adulterans, decennali poenitentia afficietur; ille quinquennali.

Si quis maritus semel lapsus est, poenitentiam agat annos quinque si saepius, amplior accedet poenitentia.

Si quis uxorem nolentem adulterium perpetrare coegerit, poenitentiam agat dies quadraginta in pane et aqua, et septem praeterea annos, e quibus unum in pane item et aqua.

Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, poenitens erit quadraginta dies.

Si quis adolescens cum virgine peccaverit, poenitentiam agat annum unum.

Qui saepe fornicatur laicus cum laica, poenitentiam aget annos tres. Cum duabus sororibus fornicatus, poenitentiam aget toto vitae suae tempore.

Qui cum brutis coierit, poenitentia afficietur annorum decem et diuturniori etiam pro personae conditione.

Qui contra naturam coierit, si sit matrimonio junctus, poenitebit annos decem; si solutus, annos septem; si puer, dies centum. Laicus matrimonio junctus, si in consuetudine habet, annos quindecim.

Vir semel se inquinans, dies decem; si iterum, dies viginti; si tertio, dies triginta; sique nefarie agere perrexerit, poenitentiae accessio ei fiat; si puer, dies quadraginta; si major quindecim annis, dies centum.

Qui complexu foeminae, vel osculo polluitur, poenitentiam aget dies triginta; qui contactu inverecundo, menses tres.

Qui concupiscit mente, sed non potuit perficere, dies decem poenitentiam aget.

Qui lenocinium exercuerit, poenitentiam aget annos duos per legitimas ferias, neque accipiet communionem, nisi in fine.

P r a e c e p t u m VII.

Non furtum facies.

Qui furatus est aliquid de ecclesiae suppellectili, vel thesauro, quod sustulit, reddet, et tres carinas cum septem sequentibus annis poenitebit.

Pecuniam ecclesiasticam furatus, quadruplum reddet, et poenitens erit septem annos.

Qui hospitalis domus administrator aliquid de administratione subtraxerit, restituet, ac tres annos poenitens erit.

Clericus furtum capitale faciens septennii poenitentiam implebit; laicus quinquennii, et quod furatus est, reddat.

Qui fregerit noctu alicujus domum, ut aliquid auferat, pretium reddat, et poenitentiam aget annum in pane et aqua; si non reddat, annos duos.

Si quis furtum de re minori semel, aut bis fecerit, restituta re, poenitentiam aget unum annum.

Qui rem inventam non reddit, furtum committit, idcirco tanquam de furto poenitentiam agat.

P r a e c e p t u m VIII.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

Qui falsum affirmarit, poenitentiam aget ut adulter; ut homicida, qui sponte id facinus admiserit.

Qui proximo falsum crimen objecerit, poenitentia afficiatur, ut falsus testis.

Qui falso testimonio consenserit, poenitens erit annos quinque.

Si quis facile detraxerit falsumque in hoc dixerit, poenitens erit dies septem in pane et aqua.

Qui leviter detraxerit, tres dies poenitebit.

Si quis convicium manifestum fratri intulerit, diuturna expiabitur poenitentia pro modo peccati.

Qui falsitatem, fraudemque in ponderibus et mensuris admiserit praeter restitutionem poenitens erit in pane et aqua dies viginti

P r a e c e p t u m IX.

Non desiderabis uxorem proximi tui.

Si quis presbyter concupiscit fornicari, poenitens erit annos quinque; si clericus, aut laicus, annos duos.

Si quis in somnis ex immundo desiderio polluitur, surgat, et cante septem psalmos poenitentiales.

Si clericus, aut laicus ex mala cogitatione et concupiscentia semes effuderit, poenitens erit dies septem.

P r a e c e p t u m X.

Non concupisces rem proximi tui.

Rem alienam nefarie concupiscens, avarusque, poenitens erit annis tribus.

Qui rem aliquam proximi pretiosam invenire cupit, ut illam sibi retineat, poenitentiam agat, ut dictum est de furto.

C a n o n e s p o e n i t e n t i a e .

De gula et ebrietate.

Si quis nimio cibo se ingurgitaverit, ut inde dolorem senserit, unum diem poenitentiam agat in pane et aqua.

Sacerdos imprudenter ebrius factus, in pane et aqua poenitentiam agat dies septem: si negligenter, dies quindecim; si per contemptum, dies quadraginta. Laicus graviter arguatur, et poenitentiam agere a sacerdote cogatur.

Qui prae ebrietate et crapula vomitum fecerit, si presbyter aut diaconus, poenitentiam agat dies quadraginta; si laicus, dies quindecim. Qui humanitatis gratia alium inebriari cogit, poenitentiam agat dies septem; si per contentum, dies triginta.

ab
cri
hite
seri
guzi

De poenitentia per legitimas ferias constituta confessarius affirmadvertat, eo nomine intelligi feriam secundam, quartam, et sextam; Canonum legitimae poenitentiae jejuniisque praescriptam. Carinae jejunium, quod aliquando poenitentiali Canone cavetur, id appellatur, quod per quadraginta dies in pane et aqua fiebat. ut saepenumero *Burchardus* interpretatur. Carinam alii dicunt, quidam Carenam, alii *Carentiam*, alii *Quadragesimam*. Poenitentia per tres quadragesimas indicta ita intelligitur, ut, cui imponebatur, in anno pane et aqua jejunaret quadragesimas tres; quarum prima est ante diem Natalem Domini, altera ante Pascha Resurrectionis, tertia, quae scilicet per dies tredecim ante diem festum *S. Joannis Baptistae* agebatur, quemadmodum ex Concilii Saiegustadiensis Decreto perspicui potest.

Qui per plures annos ad poenitentiam agendam tenebatur, primo anno per ferias legitimas in pane et aqua jejunare debebat; ceteris vero diebus, piscibus, et fructibus arborum et leguminibus vesci et cerevisia uti poterat, ita tamen, ut a carnibus, caseo et vino abstinere cogerebatur. Excipiebantur tamen dies dominici et festivi totumque tempus paschale. In secundo et tertio anno similiter jejunet, nisi quod tertiam feriam, quibuscumque et Sabbatum potestatem habeat redimendi praetaxato pretio, ubicunque est. Cetera diligenter observet ut in primo anno¹⁾. „Qui jejunare non potuit, redimat quinquaginta psalmorum recitatione genuflexus in ecclesia, ac eo die pauperem nutriet, vel centum genuflexionibus suppleat quinquaginta psalmos“²⁾.

Articulus II.

De satisfactionis operibus.

A.

Satisfactionis opera generalia.

§. 150. Quoniam confessariis, quibus nondum satis est experientiae, saepe difficile est, invenire opera satisfactoria, tot variis et peccatis et peccatoribus convenientia et idonea, quaedam isthuc proponuntur, quae illis ad alia excogitanda viam sternerent. Sunt autem haec partim *generalia*, partim *specialia*, prout vel contra peccata quaevis, vel adversus specialia diriguntur. Quae quum animabus a morbis spiritualibus sive liberandis sive praeservandis inserviant, *medicinalia* dicuntur, et cum vel natura sua, vel intentione saltem poenitentis vindicativa efficacia non careant, *vindictae rationem* habent.

Priora, videlicet generalia, de quibus prima hujus articuli parte agemus, haud incommode ad tres illas notissimas classes reducuntur: I. ad Orationem seu precationem, II. ad Jejunium, III. ad Eleemosynam, ita quidem, ut sub oratione omnia opera aedificationis et devotionis, sub jejunio opera sui abnegationis et mortificationis, sub eleemosyna opera charitatis spiritualia et corporalia comprehendantur³⁾.

¹⁾ Conc. Triburen. d. a. 895. - ²⁾ Burch. lib. 19. c. 12. - ³⁾ Cf. Catechism. Rom. P. II. c. 8. q. 59.

Nobiliora et efficaciora singillatim enarraturi, non inutilem operam navare arbitramur, atque eo libentius id praestamus, quo materiam pertractamus, quae non solum poenitentibus tam ad *conversionem* quam ad *perfectionem* inservit, verum etiam animos nostros jucunde instruit, quo ad majorem in dies virtutis et sanctitatis gradum contendamus ¹⁾.

I. O r a t i o.

Ad hanc classem referuntur :

1. Precatio stricte talis.

§. 151. 1. Precatio stricte talis in satisfactionem poenitentibus nunquam non jure meritoque injungi solet, et ut injungatur, oportet. Quid enim mentem nostram tum ad peccati horrorem, tum ad studium virtutis aequè disponit, ac repetita ejusdem elevatio ad Deum et frequens familiarisque conversatio cum Illo? „Aut quis juxta copiosum ignem stans, non parum caloris inde percipit? — Et tu fons es semper plenus et superabundans, ignis jugiter ardens et nunquam deficiens” ²⁾. Imo sine oratione animus noster non tantum tepescit, ac terrenis diffluit desideriis, sed fons gratiarum magis magisque exsiccari solet, ita ut in tanta naturae nostrae corruptione nonnisi funestissima clades exspectari possit. Ex neglectu orationis originem suam trahunt omnes lapsus: „Orate et vigilate, ne in tentationem intretis.”

2. Cum nemo propriis viribus sine Dei gratia a peccato resurgere et ad gratiam reparari possit, peccator, ut a peccatis resurgat et in gratiam Dei redeat, ad illum confugiat, qui dixit: „Petite, et dabitur vobis,” dicatque cum Propheta: „Converte me Domine ad Te, et convertar.” „Neque fugienda penitus ars medicinae est, neque rursus omnia in ea salutis praesidia collocanda, sed quemadmodum licet gubernatori navim committamus, Deum tamen, ut nos ex alto salvet incolumes, oramus; sic cum *medicamina salutis naturalia* adhibemus, idque ratio fieri concedit, neququam a spe illius erga nos bonitatis debemus recedere.” Item cum stabilitas et profectus in bono aequè sit divinae gratiae donum, ac prima peccatoris conversio, patet, orationem sive petitionem divini auxilii non minus utilem ac necessarium esse peccatori converso, ut in adepta justitia stare valeat et proficere, quam nondum converso, ut justitiam amissam recuperet. „Opus est, ait S. Ambrosius, misericordia Dei, ut continua sit in hoc corpore vivificatio, quo quotidie justus Deo

¹⁾ Cfr. du Jardin, de officio sacerdotis confessorii. Mechlin. 1825. — Cl. Stapf. Theol. moral. Tom. IV. — ²⁾ De Imit. libr. 4. c. 4.

vivat peccatoque moriatur" ¹⁾). Et S. Chrysostomus: „Arbitror cunctis esse manifestum, quod simpliciter impossibile sit absque precationis praesidio cum virtute degere, cumque hac hujus vitae cursum peragere. Etenim qui fiat, ut quis virtutem exerceat, nisi continenter adeat, et supplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem supeditat et largitur?" ²⁾).

3. Non minus deprecatio offensionum necessariam poenitentiae partem constituit, ad quam praestandam in sacris paginis non tantum identidem provocamur, sed pulcherrima etiam exempla nobis proponuntur, praesertim in psalmis, quos poenitentiales dicunt. „Deus, etsi vult ignoscere, vult rogari. David pro uno peccato miserationum multitudinem deprecatur, nos pro pluribus peccatis vix semel ejus misericordiam credimus obsecrandam" ³⁾).

Cum itaque precatio sit medium efficacissimum peccati detestandi et virtutis implantandae, cum Dominus penitentibus elargiatur gratiam conversionis ac profectus uberioris in virtutis studio, cum devotionis erga Deum pars necessaria sit deprecatio offensionum nostrarum: nullo non tempore in omni, quam confessarius poenitenti imponit, satisfactione, oratio sive precatio quaedam juncta reperitur, vel ipsa opera satisfactoria in precationis formam componi jubentur. — „Orandi diligentia, scribit vir venerabilis Blossius, imprimis necessaria est; impenetrabilis enim armatura, certum per fugium, securus portus tutissimumque asylum est oratio. Haec una et mala omnia depellit ab anima, et bona omnia in illam invehit. Ipsam animam purgat, poenam peccatis debitam submovet, praeteritas negligentias sareit, divinas gratias impetrat, pravas concupiscentias extinguit, effrenatas animi passiones domat, hostes prosternit, tentationes superat, calamitates lenit, moerorem fugat, laetitiam infundit, pacem conciliat, hominem Deo conjungit, conjunctumque ad aeternam gloriam sublevat."

Regulae in injungenda precatione observandae.

§. 152. Ut precatio tanquam satisfactionis opus fini respondeat suo, confessarius poenitenti non solum materiam precum, sed et insuper certum pro re nata illarum peragendarum modum et tempus designet necesse est. Jam qualitatem et diuturnitatem precum injungendarum, ex circumstantiis, caractere et subjectiva indole poenitentis dimetiendam esse, alioquin facile ex iis, quae Articulo I. diximus, intelligitur. Quapropter non iis adstipulamur, qui poenitentibus tales tantum preces praescribunt, quae immediate post confessionem vel S. Communionem peragi debent, *nullo alio discrimine*.

¹⁾ In Psalm. CXVIII. — ²⁾ Libr. 1. de Orat. dom. — ³⁾ S. Ambr. Apolog. David. c. 8.

mine observato, nisi, ut pro peccatorum gravitate et multitudine etiam precum peragendarum multitudinem et prolixitatem dimittatur. Hoc enim modo facile fit, ut poenitentes in pernicioso illo praedicio obfirmantur, quo multi putant, peractis precibus poenitentialibus totum simul poenitentiae opus absolutum esse. Hinc notamus:

a) *Omnis precatio*, seu opus satisfactionis poenitentis imposita, *cum peccatis contentis salutari nexu jungatur*. Sic Oratio dominica, cujus singulae petitiones efficacissimam sanradis peccatoribus materiam suppeditant, omnibus quidem cujuscumque status et indolis poenitentibus (praecipue iis, qui legere nesciunt) saluberrime in poenitentiam injungi poterit; ast illa petitio a confessario specialiter designetur oportet, in cujus recitatione poenitentem continuo monitum esse vult, ut illi accuratius perpendendae immoretur, et eorum, quae confessarius salubriter adhortatus fuit, reminiscatur. V. g. Qui nimis saepe jurare consueverant, immorentur in prima petitione: „Sanctificetur Nomen tuum.” Qui terrenis inhiant, in secunda: „Adveniat Regnum tuum.” Afflicti, in tertia: „Fiat voluntas tua” etc. Eadem ratione: Salutatio Angelica, Symbolum Apostolicum — Angelus Domini — Salve Regina — Litaniae omnium Sanctorum et beatae Virginis Mariae — Orationes in Ecclesia recitari solitae — Hymni ecclesiastici et dioecesani utiliter praescribi possunt. Idem valet de actibus Fidei, Spei et Charitatis, de precibus matutinis et vespertinis, de renovatione sponsionis in Baptismate, in Confirmatione, in benedictione Matrimonii factae etc.

b) Omnis precatio in poenitentiam injuncta, *cum actu saltem intentione detestationis peccatorum* bonique propositi de cetero non peccandi, nec non *cum petitione divini pro vera emendatione auxilii persolvatur*. — Precibus addi possunt circumstantiae, v. g. ut fundantur vel flexis genibus — vel coram Crucifixo, vel in Ecclesia coram Sanctissimo, etc. Laboriosae circumstantiae illis tantum imponendae sunt, qui Deum graviter laeserunt atque gravissimis criminibus impliciti sunt.

c) Pariter *designetur, quamdiu preces* injunctae *fundantur*, v. g. vel per dies aliquot continuos, vel per dies dominicos duos aut tres, vel per tempus illud, quod inter hanc praesentem et proximam confessionem intermedium est.

Cum vero preces seu virtutis subsidium efficacissimum iis, qui in virtute proficere volunt, injunguntur, modus petendi virtutem duplex notatur. Peti enim potest virtus in *communis*, exemplo Davidis orantis: „Bonitatem et disciplinam et virtutem doce me”¹⁾; vel virtus in *particulari*, nimirum in hac septimana, in hoc mense una, alia in alia, ita tamen, ut iis consideratis, quae ad virtutem v. g. hu-

1) Psalm. CXVIII. 66.

mitatem movent, exerceas illius actus cum magno proficiendi desiderio. Ut vero precatio inflammetur magis, expedit, Deo proponere modo suam indignitatem, paupertatem, virtutis necessitatem, pericula, — modo charitatem, qua nos Deus ab aeterno dilexit, misericordiam, qua aberrantes revocavit, longanimitatem et patientiam, qua rebelles toleravit, — modo labores, sudores, opprobria, cruciatus et mortem Christi.

Consultum est, ut confessarius poenitentes suos ad exercendos Virtutum theologiarum actus saepius paterne moneat, praepriis urgente tentatione gravi contra fidem, spem et charitatem, vel quando quis in peccatum virtutibus haece oppositum labitur.

Oratio dominica,

variis piis conceptibus instructa.

§. 153. Quum oratio dominica quam frequentissime in satisfactionem injungi soleat, juxta regulam supra laudatam interno poenitentis animi statui applicanda, varios pios, ad meditandum idoneos singularum petitionum dominicarum conceptus, quos confessarius in hunc finem convertere sciet, indigitare inutile haud erit. En:

P a t e r.

Multiplici jure et nomine Pater: 1. Titulo *Creationis*, qua nos ad imaginem suam fecit. — 2. *Adoptionis*, per gratiam, qua nos fecit haeredes suos, et cohaeredes Unigeniti sui. O quam merito Pater, qui toties paratus est peccantes recipere in eandem gratiam, ut tandem quoque admittat in gloriam, quae est haereditas filiorum Dei. Et haec quidem paternitas magno stetit Filio Dei, qui morte crucis et pretio sanguinis eam nobis comparavit. 3. Patrem se *Providentia* praestat, sustentando corpus, tot creaturis in cibum et remedium datis, et animae tot gratiae et salutis auxiliis tam assidue consulendo, ut vel hinc tantum solus vere Pater dici mereatur. Unde ait: „Nolite vocare vobis Patrem super terram, unus est enim Pater vester, qui in coelis est.” Et merito. Nam „Pater meus et mater mea dereliquerunt me, (quid enim opus praestare possunt animo vel etiam corpori absque Deo); Dominus autem assumpsit me,” nunquam deserit, nisi derelictus. 4. *Disciplina* et *Correctione*. Nam Pater filium, quem amat, arguit et castigat. 5. *Pater Indulgentia* et *Amore*. Quomodo miseretur Pater filiorum, ita misericors est Dominus timentibus se: Si itaque ille Pater, utique filius ego! O quanta haec dignitas! Omnino par est, ut praestem ingenui filii partes amore, observantia, obedientia — — Pater, non sum dignus vocari filius tuus!

N o s t e r.

Noster, inquam, non *meus*, 1. quia, cum unicum habet filium naturalem, voluit quam plurimos habere adoptivos; tum angelos tum homines, idque ita, ut bono filiationis unusquisque gaudeat, ac si nullum haberet consortem. Nam bona Dei non minuuntur communicatione inter plures. 2. Cum ita sit generaliter omnium, tamen singulariter Pater singulorum, vult nihilominus dici *nostrum*, ut moneat nos fraternae charitatis, qua omnes nulla exceptione gradus dignitatis, aetatis, atque ut fratres invicem diligendos proque omnibus communiter orandum, nullo spreto; unde Malchias: „Numquid non Pater unus omnium nostrum? numquid non unus Deus creavit nos? quare ergo despicit unusquisque fratrem suum?“ Nihil tamen vetat, privatim, pro affectu aliquando sic Deum alloqui, quod ita pleno jure filius sim adoptivus, ac si forem unicum

Qui es in Coelis.

Cum in omni loco sit, *Coelum* exprimimus, 1. ut reverentiam in nobis excitemus illius Majestatis in coelo velut throno residentis. 2. Ut mentes nostras in coelos erigamus, ubi est filiorum Dei patria et haereditas, 3. Ut intelligamus, nos hic esse exules peregrinos, debere autem ita vivere, quasi in coelis sit conversatio nostra. 4. Ut moneamur, illuc oculos animumque levare, unde solum veniet auxilium nobis. Coelum quoque et propriae Dei sedes sunt animae sanctae e terris elevatae, in quibus habitat Deus pro gratiam, et quas lumine cognitionis suae peculiariter illustrat. — Hactenus prooemium; sequuntur petitiones.

I. Sanctificetur nomen tuum.

1) Habearis, qualis es, purus, sanctus, justus, verus, rectus. Nihil ita Deus aestimat, quam ut sanctus habeatur et praedicetur. Unde toties ait: „Sancti estote, quia ego sanctus sum.“ Hic iratus est contra Moysen et Aron, quod non sanctificassent eum et aquas contradictionis coram filiis Israël. Porro in unum est Beatorum carmen: Sanctus, sanctus, sanctus. 2) Non ait: Potentia aut Majestas tua, sed: *Nomen tuum*, ut simul includat, quidquid Dei apud nos nominatur, totum videlicet sanctum esse, et pro celebrandum. Nominatur autem Omnipotens, Sapiens, Creator et 3) *Tuum*, inquit, quia solum *tuum*, est sanctum per seipsam unde justii sanctitatem participant. Ergo *tuum*, non *nostrum*. Reseculorum immortali et invisibili, soli Deo honor et gloria in saecula saeculorum. Cur ergo tam studiose gloriam nostram, et grande nomen quaerimus? 4) Absolute ait: *Sanctificetur*, non restringat

ad certas personas; quia optandum, ut id fiat ab omni creatura **coelestium**, **terrestrium** et **inferorum**, nec ad certum tempus, quia **par est**, ut laudetur nomen Dei, omni tempore. 5) Porro **sanctificatur** nomen Domini, si homines credant, quae revelat; sperent, quae promittit; faciant, quae jubet; colant Deum, ut ipse **praecipit**; ament eum ex toto corde idque attestantibus operibus; ut, **qui vident** opera nostra bona, glorificent **Patrem**, qui in coelis est. **Digna** filii ingenui et bonae indolis oratio, nihil prius aut posterius **desiderare**, quam gloriam Patris; honori ejus omnia postponere. **Non nobis, Domine, non nobis sed nomini tuo da gloriam: sit nomen Domini benedictum etc.**

II. Adveniat Regnum tuum.

At regnat in coelo et in terra, in mari et ubique; et velint, nolint, omnia serviunt ipsi, et in ditione ejus cuncta sunt posita. Itaque petimus 1) *Regnum*, quo nunc regnat in justis per gratiam, qui per omnia ipsi subjiciuntur. 2) *Regnum*, quo regnat in beatis per gloriam; istud autem adveniet nobis, si in primo permanserimus. Quare ait: *Adveniat*; quasi non sponte secuturum. Et quidem istud omnes optant, at primum non ita, quia cum labore conjunctum est: justitia enim paratur, et conservatur mortificatione carnis, et concupiscentiae, quae regnat in membris nostris, repressione. 3) *Regnum* illud consummatum et perfectum, cum Deus erit omnia in omnibus, in Resurrectione mortuorum, quod exspectant animae beatae. 4) *Tuum*, non mundi regnum, quod ambiunt filii hujus seculi, quod nonnisi caducis bonis, infinitis curis et mille periculis constat: multoque minus peccati regnum, quod funditus eversum cupimus. Filiorum est, continuo suspirare ad patriam, et haereditatem paternam, ceteris posthabitis, appetere. „Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Cupio dissolvi et esse cum Christo. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.” — Regno tuo indignissimus, perdiidi pro dolor! illud peccatis meis.

III. Fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra.

1) *Voluntas* tua, sola semper bona, recta et perfecta in omnibus; quam nobis insinuat praeceptis, consiliis ac inspirationibus; nec non jussis eorum, qui Dei nomine praesunt. Ad haec exsequenda sufficit, quod Deus ita velit et jubeat; adeo quidem, ut, si ei paream et mandata ejus servem, vitam promerear, sin minus, mortem. 2) *Tua*, non *mea*, quae perversa est; nec *carnis*, quae contraria spiritui; nec *mundi*, quae vana; nec *diaboli*, quae maligna; sed *tua*, quae regula est rectitudinis; nam quae est voluntas

tua, nisi sanctificatio nostra? Non enim exigis a nobis, nisi quod prosit nobis, non tibi, qui honorum nostrorum non eges. 3) *Memento* faciendi: *Sicut in coelo* ab Angelis, ubi nulla est rebellio voluntatis iniquae: ita integre, promte, velociter, fortiter, amanter, *et* critere fiat in terris, ubi resistere voluntati tuae, est nolle duci *et* viter, funiculis charitatis, quod est hominis, sed velle cogi, *et* iun- instar, viribus potentiae, vel trahi vinculis iustitiae tuae. „*Dona Domine* facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.” *Ecce* mine, „*servus tuus sum ego Domine*, quid me vis facere? *Loquere* Domine, quia audit servus tuus.”

IV. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

1) *Panem gratiae et verbi Dei*. Non enim in solo pane vivit homo; sed et animae subsidiis opus habet. Nam ut duplex est vita hominis, ita duplici quoque cibo seu pane nutritur. 2) *Praecipue panem vivum*, qui de caelo descendit; panem supersubstantialia: Eucharisticum, qui confirmat cor hominis, *et* spiritum roborat. 3) *Panem corporalem*, vitae sustentandae necessarium, pro quo tamen adeo non vult nos esse sollicitos, aut nimis anxios, ut a benedictione divina eum exspectari jubeat. 4) *Nostrum*, non meum utpote communem, et inter fratres partiendum, qui eundem Deum Patrem cognoscimus omnium, qui dona sua non uni vel paucis, sed necessitati omnium servire voluit. 5) *Quotidianum*. Si de spirituali, non illum, qui est paucorum singulariter dilectorum, quo in dignum me reputo sed communem, quasi portionem necessariam sine qua non vivitur; ita etiam si de corporali accipiatur, non abundantem ad luxum et genium, nec plures annos reponendum, sed ad usum et necessitatem quotidianam. 6) *Da nobis*; pro omnibus tamquam fratribus petendum, etiamsi alioquin odientibus, „*orate pro* persequentibus et calumniantibus vos,” et si videris inimicum esurientem, ciba illum. 7) *Hodie*, quia vult nos quotidie petere *et* perque ab ejus pendere providentia, avocatur etiam a superflua cura de crastino, ad exemplum datae olim Mannae in singulos dies. „*Oculi omnium in te sperant Domine*. Tu das illis escam in tempore opportuno: *aperis* manum tuam, et implet omne animal benedictione.”

V. Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

1) *Multis enim debitis Deo sumus obnoxii*: in multis offendimus omnes, tum ob mala commissa, tum ob bona omissa, quae facere debuimus. Nisi Deus ex misericordia dimittat, quis sustinebit si pro rigore iustitiae agere voluerit, quis poterit unum respondere

pro mille? Itaque ad solam misericordiam restat refugium. 2) Sed frustra, si nos proximis non condonemus offensas, quae tamen exiguae, si conferantur cum debitis, quibus nos Deo tenemur, nempe decem millibus talentorum. Et nihilominus, quae Dei bonitas est, paratus est, dimittere decem millia; si nos mille dimittimus. 3) Sed vide et cave. Dimittet, sicut dimittis; et hanc conditionem et clausulam apponis orationi tuae. Si aegre, tarde, minus sincere et imperfecte dimittis, idem time et exspecta a Deo. Omnino contra se profert sententiam, qui rogat sibi dimitti debita, non dimittens debitoribus suis, idque ex animo. „Si iniquitates observaveris Domine, quis sustinebit?”

VI. Et ne nos inducas in tentationem.

Non petimus, ut non tentemur, quia id saepe expedit, et a Deo sapienter permittitur; sed ne tentationi succumbamus; aut etiam, ne tentari sinat, quando praevidet nos succubituros. Tentatio saepe est occasio et materia exercendae virtutis, sed Dei est, ita moderari tentationem, et opitulari imbecillitati nostrae, ut non tentemur supra id, quod possumus, sed illaesi evadamus. „Proba me Domine, et tenta me, ure renes meos et cor meum, et vide, si via iniquitatis in me est.”

VII. Sed libera nos a malo.

Ab omni genere malorum; sicut orat Ecclesia in Missa: **Libera nos, quaesumus Domine!** ab omnibus malis praeteritis, praesentibus et futuris, nempe aeternis et temporalibus, animae et corporis. — Deinde a malo, h. e. maligno hoste, ne potestatem habeat exercendi in nos malitiam suam. Mala hic censentur non tantum, quae animam tangunt, sed quae corpus etiam, famam et fortunam ita afficiunt, ut animae malum et nocumentum inde timeri possit. „Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: Praevalui adversum eum.”

A m e n.

Fiat, fiat. Magno desiderio pronuntiabitur: nam desiderium pauperum exaudivit Dominus. Magna etiam fiducia, ut qui ea petamus, quae petenda praescripsit: „Haec est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audiet nos, et scimus, quoniam habemus petitiones, quas postulamus ab eo” ¹⁾.

¹⁾ Ex Ludov. de Ponte, Lessio, aliisque.

2. Cultus Dei communis.

§. 154. Diligens cultus Dei communis diebus dominicis et festivis frequentatio, — imprimis verbi divini et sacrificii Missae, attenta auditio, satisfactionis loco saluberrime praecipitur. Optimae sane medicina! praecipue pro tepidis et insciis Christianis, ut si libentius et alacrius virtuti studere satagant; et virtutes religionis Christianae melius pernoscant. Juvenibus (praesertim ruri, et rudibus) diligens frequentatio catechisationum pomeridianarum (Christenlehren) tanquam opus medicinale non utile modo, sed et necessarium injungi potest.

Nisi negotia domestica, aliaeve res poenitentem impediunt, ei in satisfactionem praescribi potest, ut certo per hebdomadam die ecclesiam adeat, ut devotius coram SS. Altaris Sacramento precibus fundat, aut Missae sacrificio intersit, peccata sua detestaturus, ac bona proposita renovaturus. Quod si autem hoc diebus ferialibus fieri nequeat, dominicis et festivis fiat; et quamvis omnibus dominicis et festivis diebus interesse divino officio teneatur, poenitentiam tamen haec ad hujusmodi dies numero determinatos extendi potest.

Ceterum poenitentem edocere juvat, quae de Eucharistia tanquam sacrificio Catechismus Romanus tradit: SS. Eucharistia Christo Domino instituta est non solum, ut coeleste animae nostrae alimentum esset, quo vitam spiritualem tueri et conservare possumus, sed etiam „ut Ecclesia perpetuum sacrificium haberet, quo peccata nostra expiarentur, et coelestis Pater sceleribus nostris saepe graviter offensus, ab ira ad misericordiam, a justae a versionis severitate ad clementiam traduceretur.” „Eucharistia ut sacrificium est, non merendi solum, sed satisfaciendi quoque efficientiam continet. Nam ut Christus Dominus in passione sua pro nobis meruit et satisfecit, sic qui hoc sacrificium offerunt, quo nobiscum communicant, Dominicae passionis fructus merentur, et satiationem faciunt” ¹⁾. Quam magnopere Missae sacrificium fidelibus commendare oportebit!

Peccatores singulari erga Jesum Christum Redemptorem, qui se quotidie in Missae sacrificio Patri aeterno in salutem hominum offert, devotione affectos, et per Illius merita pro conversionis gratia obtinenda Deo supplices, facile exaudiri, satis constat ex eo quod ipse a Patre mundo datus sit tanquam Advocatus, Mediator Propitiator. „Unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus” ²⁾ et „Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi” ³⁾. Experientia

¹⁾ Catechism. Rom. P. II. c. 4. q. 54. 55. — ²⁾ I. Tim. II. 5. — ³⁾ I. Joan. II. 1. 2.

etiam constat, peccatores, postquam ad Crucifixi pedes prostrati aliquot dierum intervallo, per Redemptoris Jesu Christi merita, Deum Optimum Maximum enixe deprecati fuerunt, exauditos fuisse, et tanquam e coeno vitiorum emersisse. Verum non peccatorum duntaxat, sed et justorum Advocatus est et Mediator Jesus Christus in assumpta humanitate apud Deum Patrem. Sicut enim dixit, se venisse vocare peccatores ad poenitentiam, et, ut per ipsum vitam haberent, ita et ait, se venisse, ut abundantius vitam haberent. Et haec ratio est, cur sancta Mater Ecclesia orationes omnes, quas Deo fundit, hac formula concludere solet: „Per Dominum nostrum Jesum Christum,” ad significandum, nihil se a Deo Patre impetrare, nisi per merita unigeniti Filii ejus, ac nostri Salvatoris.

In specie autem tam peccatoribus, ut convertantur, quam justis, ut in justitia perseverent, nihil antiquius commendari meretur, quam SS. Altaris Sacramenti adoratio. Nam eundem illum Deum in eo praesentem credimus, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum, dicit: *Et adorent eum omnes Angeli*, quem Magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilaea ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur ¹⁾. Ipse nimirum in Eucharistia praesens Pater, Frater, Amicus, Medicus, Redemptor et Advocatus est noster, imo Dominus et Deus — atque Judex noster. Quis ad hunc gratiae thronum non adeat cum fiducia, ut misericordiam consequatur, et gratiam inveniat in auxilio opportuno ²⁾, quandoquidem Ipse nos invitare pergit: „Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos” ³⁾?

Itaque confessarius, tamquam spiritualis animarum medicus, totus sit in commendando poenitentibus singularem erga Jesum Christum Redemptorem devotionem, veluti praesentissimum adversus peccata, et pro virtutibus acquirendis remedium.

3. Devotio erga beatam Virginem Mariam.

§. 155. Omnes, qui de pietate solide et juxta mentem Ecclesiae catholicae tractant, cultum Matri virgineae impensum, ceu efficacissimum perfectionis subsidium ac conversionis medium referunt. „Per ipsam quippe Deus descendit, ait S. Augustinus, in terram, et per ipsam homines ascendere merentur in Deum.” Longum foret SS. Patrum seriem texere, qui de efficacia patrocinii Dei Matris et Virginis eximia testimonia scripto ad posterum transmiserunt; sed quid necesse est Augustinos, Laurentios Justinianos, Ildephonsos, Bonaventuras, Anselmos, aliosque quam plurimos adducere, quando ipsa Mater Ecclesia a Spiritu

¹⁾ Conc. Trid. Sess. XIII. cap. 5. can. 4. 6. — ²⁾ Hebr. IV. 16. — ³⁾ Matth. XI. 28.

sancto directa, eam mediatricem nostram, advocatam nostram, refugium peccatorum, consolationem afflictorum, auxilium christi-
 norum in publicis orationibus ac litanis indes nominat, et sub ei-
 dem titulis invocat? Et sane, prout tantum innocentiae atque pe-
 fectionis exemplum maximam in mentes nostras vim edit, ita qu-
 que dubitari non potest, Matris apud Filium intercessionem fo-
 longe efficacissimam. Insuper quantum piissima Mater exoptab-
 ut pretiosissimus sanguis Christi uberrimos redemptionis fruct-
 ferat! Quam maternam igitur curam impendet, ut clientes sui
 ad firmitatibus suis, quibus deprimuntur, feliciter emergant, atque
 ad convenientem perfectionem eluctentur! Quapropter omnib-
 peccatoribus, pariter et justis, specialis erga beatam Virginem
 Mariam devotio a confessario commendanda est. „O quisquis te in-
 telligis, exclamat S. Bernardus, in hujus saeculi profluvio magis
 inter procellas et tempestates fluctuare, quam per terramambu-
 lare, ne avertas oculos a fulgore hujus sideris, si non vis obrui
 procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tri-
 bulationum, respice Stellam, voca Mariam. Si jactaris superbiae
 undis, si ambitionis, si detractionis, si aemulationis, respice Stel-
 lam, voca Mariam. Si iracundia aut avaritia, aut carnis illecebra
 naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam. Si criminum
 immanitate turbatus, conscientiae foeditate confusus, iudicii hor-
 rore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiae, desperatio-
 nis abisso, cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus du-
 biis Mariam cogita, Mariam invoca”¹⁾.

4. Devotio erga Angelum custodem sanctosque patronos.

§. 156. Devotionem quoque erga Angelos tutelares non pa-
 rum conducere ad emergendum e statu peccati et ad perseveran-
 dum ac proficiendum in gratia Dei, facile suaderi potest ex eo, si
 ingens illud gaudium consideramus, quo afficiuntur super uno pec-
 catore poenitentiam agente²⁾). Quantum tum peccati horror, tum
 studium in virtute proficiendi acuetur, si angelum nostrum ut tute-
 larem, nostrum ubique comitem, hortatorem atque testem, cogi-
 tamus! „Adsunt Angeli, inquit Doctor mellifluus, et adsunt tibi,
 non modo tecum, sed etiam pro te. Adsunt, ut protegant, adsunt
 ut prosint. Quid sub tantis custodibus timeamus? Tantum se-
 quamur eos”³⁾). Quapropter confessarius poenitentes ad devotionem
 erga Angelum custodem hortetur, moneatque cum praefato Docto-
 re: „Ut quoties gravissima cernitur urgere tentatio, tribulatio ve-
 hemens imminere, invocet quisque custodem suum, ductorem suum,
 adiutorem suum, in opportunitatibus, in tribulatione.

¹⁾ Hom. 2. super: „Missus est“ circa fin. — Catechism. Rom. P. IV. c. 5.
 q. 8. — ²⁾ Luc. XV. 10. — ³⁾ Serm. 12. in Psalm. XC. 90.

Pari modo non abs re erit, poenitentibus devotionem erga **Sanctos** suadere. „Intuere, ait Thomas a Kempis, sanctorum **Patrum** vivida exempla, in quibus vera perfectio refulsit et religio. **Heu** quid est vita nostra, si illis fuerit comparata!” ¹⁾ Etiam si vero **Sanctos**, quibus Ecclesia cultum assignavit, in genere venerari atque eorum sectari vestigia et suffragia deprecari deceat et utile **sit**: multum tamen expedit, ex illorum numero, unum certum, vel **plures** patronos seligere, quorum vita plura momenta imitationis, **hortaminis** et solatii offert; atque illorum jam virtutes singulari **studio** imitari, ut, prout ipsi imaginem Christi, ita et nos **imaginem** illorum in nobis eformemus. Etenim teste experientia tam ad **conversionem** peccatoris, quam ad uberiorem virtutis profectum, **cultus** Sanctorum, principiis atque doctrinae Ecclesiae catholicae **usquequaque** consonus, plurimum conducit, prout rei natura etiam **comprobat**.

Quamobrem illorum confessoriorum usum approbare par est, **qui** unum ex Sanctorum numero *singulis mensibus*, si rerum **conditio** fert, poenitentibus proponunt, ejus patrocinio non tantum **se mane** et vespere commendunt, sed et virtutes imitari studeant.

Utile quoque erit poenitentibus ad conversionis et virtutis studium promovendum, si pro defunctis in purgatorio preces persolvant, praesertim **pro** his, qui peccato aliquo consimiles nobis fuerint, vel quibus **ansam ipsi** dederimus ad peccandum, et modo poenitentiam in purgatorio luant.

5. Lectio spiritualis.

§. 157. Inter remedia peccatorum et virtutis subsidia lectio **spiritualis** recensenda venit. Hanc omnes commendant, idque jure **merito**, cum multo facilius sit, aliorum, qui virtute excelluerunt, **sensus** et cogitatus assequi, quam eosdem in semetipso excitare. **Libri** spirituales sunt velut muti concionatores, qui uti minori **verecundia** et strepitu, ita majori plerumque fructu etiam audiuntur. **Hi** **finem** ostendunt, ad quem facti sumus, et quo in terrestri hac peregrinatione omnes conatus nostri collineare debeant; pericula nobis **et** hostium insidias detegunt, efficacissima salutis media docent, et **praeterquam** quod intellectum instruant, etiam animus ex tali **lectione** piissimis sensibus imbui, et ad virtutem vehementer accendi **solet**. **His** armis vitia comprimuntur; his alimentis virtutes nutriuntur. **S.** Augustinus per lectionem spiritualem ad Deum se **convertere** cepit, et **S.** Ignatius, in propugnatione Pampelonensi accepto **vulnere** graviter decumbens, ex piolorum librorum lectione **Christi** Sanctorumque vestigia premenda mirabiliter exarsit.

¹⁾ Libr. 1. c. 18.

Locum vero sine omni comparatione primum sacrae literaturae occupant, utpote in quibus non verbum hominum, sed verbum Dei veneramur. »In divinis scripturis, ait S. Augustinus, quasi in quadam speculo homo seipsum considerare potest, qualis sit, et quae tendat. Lectio assidua purificat omnia, timorem incutit Gehennae, ad gaudia sempiterna cor instigat legentis. Qui vult cum Deo seipsum esse, frequenter debet orare et legere: nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur; cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. Labor honestus est lectionis, et multis ad emundationem animi proficit. sicut enim ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis interior homo nutritur et pascitur.» Post scripturas sacras libri auctorum commendari possunt, qui non doctrina tantum, sed singulari quoque virtute eminent. Ad acuendum perfectionis christianae studium, historiae atque res gestae Sanctorum faciunt, illorum praecipue, qui idem nobiscum vivendi genus tenuerunt, et insuper a nostro tempore non adeo distant. Nonnulli libri, veluti liber Evangelii, Catechismus, historia biblica, descriptiones vitae Sanctorum, etiam in domibus rusticarum plerumque inveniuntur, et pro re nata in usum converti possunt. Apud illos autem poenitentes, qui legere nesciunt, brevis atque facilis intellectui sententia biblica, quam saepius repetendam ruminandamque confessarius poenitenti commendat, ipsam lectionem spiritualem supplere potest.

At huiusmodi lectionum respectu magna cautio confessarii opus est. Diligenter advertat, cui, qualesque libros asceticos poenitentibus legendos suadeat. Id quod circa S. Scripturam quoque obtinet ¹⁾. Si fieri potest, poenitenti ea, quae legat, ut assignentur interdum necesse est; pauca tantum eidem praescribantur, nec non breviter instruat, quomodo legat, lectaque ad se ipsum applicare possit. Quare moneas poenitentem, ut lectionem instituat non ex mera curiositate, sed ad excitandum studium pietatis, — animo semper collecto et per precationem praeparato, — non raptim et praepropere, sed attente et mature, et nonnunquam iterato. Fortuita enim et varia lectio, et quasi casu reperta, non aedificat, sed reddit animum instabilem, et leviter admissa levius recedit a memoria ²⁾. Lecta tacitus mente reputet et videat, an nihil contra praescriptum eorum egerit. Insuper unam alteramve sententiam colligat, cujus recordetur saepius ad exemplum illorum, qui amoenuum hortum ingressi fasciculum sibi decerpunt, et naribus iterato admovent. Quando in manum, inquit S. Chrysostomus, librum spiritualem capimus, omni seculari cura repulsa, cogitationem nostram compescamus, et mentem, ne distrahatur, cohibentes, lectioni vacemus magna pietate et attentione, ut possimus a S. Spiritu ad scri-

¹⁾ Con. Trid. Sess. IV. — ²⁾ Guilb. Abbas ad Fratr. de Monte Dei, inter Op. S. Bernard.

orum intelligentiam duci, et multum inde fructum percipere" ¹⁾.
 e S. Ephraemo legitur: „Pingebat actibus paginam, quam legerat.”

6. Frequens conscientiae examen.

§. 158. Frequentius conscientiae examen, vel de singulis per-
 tis diebus, vel de certo aliquo temporis spatio, vitiis extirpan-
 s et virtutis studio utile et necessarium est. Qui se ipsum nescit,
 que defectus suos corrigere, nec a periculis imminetibus sibi
 vere potest, juxta illud notum: Deprehendas te oportet, ante-
 am te emendes. Et profecto cum vitiorum semina identidem in
 bis progerminent, quid exspectandum, nisi etiam indies resocen-
 r? „Credite mihi, et putata repullulant, et effugata redeunt, et
 accenduntur extincta. Parum est ergo, semel putasse; saepe
 tandum est, imo, si fieri potest, semper” ²⁾. Similiter S. Augu-
 nus id ab exemplo navis illustrat, quae, nisi aqua, quae stillatim
 sederat, quotidie extrahatur, demum submergitur. Accedit ratio
 vini iudicii nobis imminetis, quod aliter mitigare non possumus,
 si dum nos ipsi dijudicamus ³⁾. Reproborum esse proprium solet
 mper prava agere, et nunquam, quae egerint, retractare: omne
 im, quod faciunt, caeca mente pertranseunt. At contra electorum
 t, actus suos quotidie ab ipso cogitationis fonte discutere; et
 one, quod turbidum profluit, ab intimis exsiccare.

1) Optandum sane est, ut quisque conscientiae examen quoti-
 e, vespere praecipue, instituat, paucula gravissimo huic negotio
 rae minuta impendendo. „Negotiator secularis, ait S. Ephraemus,
 mna et lucra quotidie computat. Sic etiam tu singulis diebus ve-
 ere et mane diligenter considera, quo pacto se habeat negotiatio
 a. Quodsi compereris, te detrimenta perpessum, futuris lucris
 aeterita damna sedulo resarcire cura” ⁴⁾. „Cum exis dormitum,
 adicio conscientiae tuae rationem exige. Hoc fac singulis diebus” ⁵⁾.
 rum diebus dominicis et festivis omnis etiam opifex et rusticus
 ca elapsam hebdomadam conscientiam suam perquirere potest,
 intelligat, quantum in vita emendanda profecerit; officia sibi in-
 nventia in memoriam revocare, et ad ea sedulo explenda pro se-
 nti hebdomada excitare se potest.

2) Ut autem hoc examen juste peragatur, finique, in quem
 tituit, respondeat, sequentes notamus partes: a) Imprimis beneficia
 diem accepta in memoriam revocentur, ut animus ad piam erga
 am gratitudinem inardescat. „Diligenter considera, inquit S. Ber-
 dus, quae tibi apponuntur, ut nulla videlicet Dei dona debita gratia-
 a actione frustrentur, non gaudia, non mediocria, non pusilla.”

1) Hom. 35. — 2) S. Bern. in Cant. Serm. 52. — 3) I. Cor. XI. 31. —

4) De Vita relig. — 5) S. Chrys. in Psalm. IV.

b) Alterum est, ut necessarium postulemus a Deo lumen ad cognoscenda peccata nostra, quae commisimus cogitatione, verbo aut opere, omissione et negligentia. Quantas habeo iniquitates et peccata, scelera mea atque delicta ostende mihi¹⁾. Atque ut haec indagatio facilius procedat, singulas diei praeteritae actiones expendere juvat, tum voces, ac ipsas denique cogitationes. Primum quidem ab iis exorsi vitis, quae nobis domestica esse senserimus, quorum et pondus et numerum notabimus. Deinde disquiremus, quae sit vitae nostrae ratio ac status, et quid in eo genere peccati admitti potuerit. Tertio videbimus, quibuscum versati fuerimus, et qua in re hic labi et errare potuerimus. Postremo a nobis ipsis exigemus, num quid eorum omiserimus, quae conscientia nobis, ut praestaremus, suggesserit. c) Quodsi culpas nostras detexerimus, veniam a Deo demisso ac humili animo rogabimus, ita quidem, ut concipiamus firmum emendationis propositum²⁾ — non vagum et perfunctorie conceptum, sed ad omnes circumstantias rite determinatum, — et omnes vitiorum causas et fomenta nos abjecturos polliceamur. Ejus tamen ope, sine quo inepta esset et temeraria nostra contentio, scilicet per Jesum Christum, Amen. Pulchre in hanc rem S. Chrysostomus praefatur: „Per diem non habuisti tempus, injunctum negotium et confabulatio amicorum, et domestica necessitas, et mille te circumdederunt causae; quando in lectulum tuum veneris tanquam ad tranquillum portum, dicito in corde tuo: Expendemus diem, o anima, quid boni fecimus? aut quid mali operati sumus? et si quid boni fecisti, gratias age Deo; si quid mali, de cetero ne facias. Et reminiscens peccatorum tuorum, effunde lacrymas, et poteris in lectulo positus ea dolere. Roga Deum, et sic permitte animam tuam soporari. Ora misericordiam Dei, et invenies requiem³⁾“.

3. Haud raro proficuum erit, poenitenti injungere, ut singulis diebus vespere circa defectum aliquem singularem sese examine, scilicet num hoc illudve peccatum, quod praecipue sibi vitare proposuerat, v. g. maledictionis, convitiorum, detractionis, revera vitaverit, aut num opera, quae ad emendationem promovendam confessarius praescripserat, executioni dederit. Hujusmodi spectabile conscientiae examen praecipue hominibus, qui meditationi assueti non sunt, facilius est, quam totale, ac breviori tempore absolvitur, quam examen omnium cogitationum, verborum et operum. Utilitatem hujus exercitii nullus plane inficiabitur. Haec nimirum est conditio nostra, ut, ubi pluribus simul intenti sumus, ad singula deficere soleamus. Dum ergo tot undique hostes irruunt, pugnam illorum segregare juvat, et sic, qui universis nos impares sentimus, adversus singulos simus feroces. Neque acervum lapidum simul

1) Job. XIII. 23. — 2) Psalm. CXVIII. 106. — 3) Hom in Psalm. L.

mel, sed non nisi successive, loco movere potes. Qua de re venerabilis Kempensis scribit: „Si omni anno unum vitium extirparemus, cito viri perfecti efficeremur. Sed modo contrarium saepe contigit, ut meliores et ferventiores in initio conversionis nos esse inveniamus, quam post multos annos professionis”¹⁾.

7. Actus contritionis de peccatis commissis.

§. 159. Poenitentibus, quos gravium peccatorum onus deprimat, non sine magno fructu commendantur, imo et imponuntur frequenter repetiti compunctionis et contritionis actus. Scriptura enim vera salubriter monet: „De propitiato peccato noli esse sine metu”²⁾. Tristitiam non ob aliud nobis Deus indidit, nisi propter illum peccatum. Quis enim non magnopere a reiterando deterreat peccato, quod saepe seria mente detestatur, cum firmo proposito de cetero non amplius relabendi? Sicut enim saepius eliciendo contritionis actum propitium nobis reddimus Deum, ita non minus recedimus a peccati patratione subsequa. Quare David jamjam ablato peccato, numquam non ingemiscit: „Peccatum meum contra me est semper.” „Cogitabo pro peccato meo.” „A voce gemitus mei adhaesit os meum carni meae.” „Defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus”³⁾. Bene S. Chrysostomus: „Oportebat tamquam quodque peccatum, et majus, et minus, quasi in libro, ita in corde nostro habere descriptum, idque *frequentius* recensere, atque ante oculos ponere, et tanquam haec nuper admissa lugere”⁴⁾. Tantum enim boni confert frequentius meminisse hominem peccati sui, ut vitam Paulum Apostolum videamus ea, quae abolita jam fuerant et oblata adducere tamen in medium. — Oportet ergo recordari de priora delicta, etiam ea, pro quibus veniam consecuti sumus, intuentes, quantum debitorum remisit Deus nobis, et amplius eum diligere, et verecundiam et pudorem concipere, et ex eis corde compungi. — Unde commendari meretur monitum, quod confessarius poenitenti inculcabit, ut v. g. *mane* contritionem de peccatis commissis (praesertim de eo, quod prae ceteris adamat), excitet, et firmum propositum, (praecipue quoad certum peccatum) renovet, in antecessum occasiones, quibus per diem ad relapsum induci solet, praemeditetur, et Dei opem pro felici certaminis exitu imploret; ut deinde *vespere* Deo gratias agat pro auxilio ad exsequenda proposita impetrato, nec non spe laeta se erigat, faciliorem se die in diem victoriam fore. Utile quoque erit, praesertim si quis meret dolorem et propositum efficax se non habere, injungere, ut

¹⁾ Libr. 1. c. 11. — Vide Alphonsi Rodriguez Exercitium Perfectionis P. I. tract. 7. — ²⁾ Eccli. V. 5. — ³⁾ Ps. L. 8. XXXVII. 19. Cl. 6. XXX. 11. — ⁴⁾ De Compunct. libr. 2.

ante S. Communionem actus contritionis cum proposito eliciat, hocque post Communionem renovet, et Christo confirmandum offerat. Sic enim consuletur reverentiae et fructui Sacramenti. Unum versimiliter suadet, ut quisque satagat certum peccatum singulari studio cavere, atque hoc propositum Christo post S. Communionem offerat.

Quibus et quomodo contritionis actus saepius repetiti incutiendi sint, confessarius, ex poenitentis indole non minus, ac ex peccatorum natura dimetietur, cavebitque, ne, quod in salutem commendatur, in detrimentum vergat. Sic e. g. recordatio saepius repetita de peccatis impudicitiae, in quantum haec peccata singillatim menti praesentia redduntur, potius nociva, quam salubris erit. Idem valet respectu poenitentium, qui conscientia anxia vel scrupulosa, aut melancholico temperamento laborant.

8. Actus virtutis.

§. 160. Inter remedia sane efficacissima recensendum est illud, quo confessarius numerum quemdam actuum virtutis illius, adversus quam poenitens saepius delinquit, praescribat. Exempli gratia, *lenitatis* erga eum, quocum consentire vix potest: *humilitatis*, saltem interioris, nisi exterioris sese offerat exercendae occasio: *patientiae* et *resignationis* in divinam voluntatem, quando poenitens status sui molestiis premitur, aut malis ingruentibus affligitur. Utque efficacius fiat hoc remedium, confessarius illi addere poterit examen, dicens: Singulis diebus tot *lenitatis*, vel *humilitatis* etc. actus elicies, vespere autem examen institues, utrum in aliquo defeceris.

Illarum vero virtutum exercitium praefendum est, quae officio nostro et debito sunt conformiores, non vero, quae sensualitati et affectui privato magis arrident. S. Paulae imprimis sapiebat, corporalium mortificationum asperitati sese dare, quo dulcedine et consolationibus spiritualibus perfunderetur; sed superioribus eam suis obedire necesse magis erat. Unde fatetur S. Hieronymus, eam in hoc reprehensibilem fuisse, quod contra voluntatem et consilium Episcopi sui immoderatis sese abstinentiis attereret. Apostoli vice versa ad Evangelium praedicandum, et coelestem animabus panem impertiendum constituti, merito et consulto minime impedire iudicarent, sanctum hoc exercitium se relinquere, quo virtutem, quae circa pauperum curam versatur, (esto excellentissimam) exercerent. Unaquaqueque vocatio, et munus specialis alicujus virtutis exercitio opus habet; aliae quippe virtutes sunt praelati, aliae principis, aliae militis, aliae mulieris conjugatae aut viduae, ut, licet omnes, universas virtutes habere debeant, non tamen omnes aequaliter eas exercere, sed quemque particulariter iis se virtutibus dare necesse

it, quae ad vitae genus, ad quod vocatus est, imprimis sunt necessariae.

Inter virtutes, quae ad officium et munus nostrum particulare non spectant, eae sunt praeferendae, quae aliis sunt majores excellentiores, non autem quae prae aliis velut digniores emittent. Cometae ut plurimum aliis stellis majores apparent, et plus oculis nostris continere videntur, cum aliis tamen stellis, nec quoad magnitudinem, nec quoad qualitatem et naturam sunt comparandi; et non alia de causa videntur magni, quam quod prae aliis stellis nobis sunt viciniore, et in materia et subjecto crassiori constituti. Sic etiam quaedam virtutes sunt, quae, quia nobis viciniore, sensibiles et (si dicere fas sit), materiales sunt, hinc semper a populo magni fiunt, et aliis digniores censentur. Hinc est quod vulgus communiter eleemosynam temporalem spirituali praefert; cilicium, jejunium, et mortificationes corporis benignitati, mansuetudini, modestiae et aliis animi mortificationibus, quae tamen sunt longo excellentiores et praestantiores. Meliores itaque virtutes tibi selige, non vero eas, quae pluris ab aliis fiunt; excellentiores, sed non magis apparentes, praestantiores, sed non quae plus gloriae pariunt ¹⁾.

9. Frequentior Sacramentorum usus.

§. 161. Confessarius poenitentem, si proficuum visum fuerit, moneat, ut saepius quam hucusque ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae accedat, quo gratiae divinae, quae in nobis vitam spiritualem operatur, animum aperiat. Nonnullis poenitentibus injungi, et expresse opus satisfactorium imponi debet, ut mox iterum, fortassis etiam saepius confessionem peragant. Quoniam autem frequentior Sacramentorum usus res est summi momenti, remedium peccatorum et subsidium virtutis efficacissimum, operae pretium erit, primo de frequenti Poenitentiae, dein de frequenti sanctissimae Eucharistiae sive Communionis usu, ad confessorum instructionem, pauca quaedam observatu digna delibare.

a) Sacramenti Poenitentiae.

§. 162. Qualis et quanta sit utilitas Sacramenti Poenitentiae, praesertim si quis virum probum et prudentem in confessarium stabilem sibi elegerit, ex iis, quae §. 6 diximus, liquido constat. Sed et usus hujus Sacramenti frequens summopere commendari meretur, utpote quo fideles post Baptismum lapsi, non tantum Deo reconciliantur, sed etiam contra relapsus imminentes praemuniri

¹⁾ S. Franc. Sal. Introd. ad vitam devotam. P. III. cap. 1.

solent. Per frequentem enim et piam confessionem eo eluctamur, ut aucto renovatoque studio nobis invigilemus, et ut labes contractae mox iterum detergantur. Jam ipsa peccatorum expositio et salutaris tristitia mentem providam reddit, pravas affectiones debilitat, pravosque habitus velut arbores saepius transplantatas non sinit altas in sinu cordis nostri agere radices, et si quas inchoatas inveniat, sensim evellit. Porro qui crebrius confessione sacra utuntur, magnam sibi ipsi comparant facilitatem examinandae conscientiae, securioresque sunt adhibitae, quae exigitur, diligentiae. „Computatio dilata multa facit oblivisci,” ait S. Bernardus. Accedunt monita, consilia et adhortamenta confessarii; et praesertim gratia divina, cujus nova semper augmenta recipimus, contra hostium insidias invictum nobis robur suppeditat. Notissima est similitudo a conclavi sumta. Etiam si sordes graviores fors arceantur, quantum tamen pulveris illius parietibus, scriniis atque picturis non tantum adspergi, sed etiam insidere et adhaerescere consuevit, si haec omnia nonnisi rarissime mundantur! Quam vero diversa rerum facies, si omnis immundities mox iterum abstergitur! Quapropter non solum relapsis in mortale peccatum suadendum est, ut sine mora sese praeparare satagant ad Sacramentum Poenitentiae ejusdemque fructum denuo percipiendum, sed etiam in sola venialia relabentibus merito consulitur, ut ea per frequentem confessionem sacramentalem expiare sint solliciti ¹⁾).

Dum autem frequentiore Sacramenti Poenitentiae usum poenitentibus consullimus, consilium hoc spiritu discretionis et prudentiae regatur. Et quidem a) *conditionis poenitentium externae* rationem habere oportet, ne fors officia negligant, quae vi muneris adimplere obligantur. Qui igitur multis muneris sui laboribus occupati, frequenter Sacramentum Poenitentiae, et, quod consequitur, SS. Eucharistiae percipere cupiunt, temporis, quod officiis suis adimplendis impendere oportet, rationem inire debent; num videlicet subtracto temporis spatio ad Sacramenta crebrius frequentanda necessario, nihilominus officiis suis satisfacere valeant. Unde confessarius, si frequentem usum hujus Sacramenti suadeat, conditionem poenitentis consideret, puta multitudinem negotiorum, curam domesticam, adjuncta locorum aliaque impedimenta, quae a frequentiori confessione excusant. b) Pariter ad animum referatur poenitentium *indoles interna*. Mentis animique indoles diversa diversam exigit directionem, adeo, ut, si haec non attendatur, optima quaeque consilia, quin imo praecepta de frequentiori Poenitentiae usu, obsistere potius, quam prosint perfectioni acquirendae. Prout igitur moralis conditio poenitentis fert, aut postulat, frequentior confessio con-

¹⁾ Cfr. Die Beicht, Eine historisch-kritische Untersuchung von D. Heinrich Klee. Frankfurt a. M. 1829. S. 260—281. 283—284.

condari poterit, aut debet. c) Inprimis sedulo cavendum, *ne poenitentes*, dum saepe saepius pedibus confessarii advolvuntur, *scrupulis agitentur, inquietique reddantur*. Quocirca non permittes, ut circumstantiis plane inutilibus sese accusent; non exaggerabis nevos illorum leves, quos confitentur; non obtrudes eis (quasi exquirendo) peccatum, ubi non est; docebis autem eos quam maxime distincte et clare, — quandonam adsit peccatum, v. g. quando distractiones inter precandum, cogitata et desideria objective mala, aie menti obversantur, peccati maculam contrahant; — quomodo conscientiae examen instituendum sit, ne fiat inquieta anxietate, estigatione animi nimioque peccata exquirendi studio; — in quo vera cordis contritio consistat, quae non in sensuum affectionibus; sed in odio et detestatione reponitur peccati, tanquam offensae Dei, et in firmo et efficaci proposito de cetero peccatum non committendi etc. His, quantum ad poenitentes, observatis, confessarius sua ex parte animadvertet, perutile esse, hortari poenitentes, ut bonum sibi eligant confessarium, neque illum, nisi necessitas coegerit, imponent; minime tamen poenitentem cogat, imo neque inducat, ut semper ad se tanquam confessarium redeat; hoc enim malos gignere posset effectus.

Ex vigesimo primo Canone Concilli Lateranensis confessio annua debet fieri proprio sacerdoti, vel alteri ex ejus licentia ¹⁾. Tum autem libera sit confessio, ut huius libertati consulatur, in hac lococesi in usu est, ut cuilibet sacerdoti rite approbato possint fideles, sicut alias per annum, ita et Paschae tempore, peccata sua confiteri, et ab eo absolutionis beneficium percipere. Optandum vero est, ut, qui paschali tempore fidelium confessiones excipiunt, sic se gerant erga eos, qui nonnisi in Paschate confitentur, ut data illa occasione majorem salutis diligentiam ipsis inspicient. Eis ergo exponant, nihil esse insipientius, quam delicta delictis cumulare, et mors incertae periculo, non placato Deo, quem saepissime per annum offendunt, se committere; Ecclesiae praecipuum de confessione annua nonnisi ad *duritiam* cordis hominum impenitentium esse sanctum, sed eam de veris Christianis melius quid sperare et perfectius, Sacramentorum nempe dignam et *frequentem* perceptionem: unde eos serius exhortentur, ut in posterum delictorum suorum confessionem tanto tempore non differant.

Similiter optandum et hinc fidelibus enixe commendandum est, ut, ubi infeliciter peccato gravi succubuerunt, confessionem non differant, sed quam primum cum Deo reconciliari aditantur.

a) „Ne tardes converti ad Deum, nec differas de die in diem; subito enim venit ira illius et disperdet te in tempore vindictae“ ²⁾. — Peccatum, quod per poenitentiam non diluitur, mox suo pondere in aliud tra-

¹⁾ Cfr. Conc. Trid. Sess. XIV. de Poenit. cap. 5. — ²⁾ Eccli. V. 8.

hit. Fieri enim vix potest, quin aliquis per peccatum lethale gratia spoliatus, in multa alia mortifera incidat, a quibus per confessionis beneficium recuperata gratia facile se praeservasset. Ne ergo per confessionis procrastinationem scientes et prudentes in horum periculum alterum labamur, vehementer expedit, ut oblata opportunitate salutis nostrae consulamus. Si enim salutis nostrae securi in ejusmodi discrimine perseveremus, merito in eo perire judicabimur, juxta illud: „Qui amat periculum, peribit in illo“¹⁾. Accedit, quod procliviores ad peccandum reddamur, et peccatum dudum commissum, quod aliorum quodammodo causa existit, propter nostram in eo perseverantiam gravius a Deo aestimetur acerbiusque puniatur.

b) Neque exiguus ille est fructus acceleratae confessionis, quod peccatum recens, dum se ad illud confitendum peccator comparat, majorem de eo contritionem, quam si diu praeteriisset, excitat; anima quoque propter praesens vulnus, dum ejus vel ante vel in media confessione librat atque expendit gravitatem, multo redditur aptior ad consequendam contritionem, illudque detestandum, quam unquam postea erit. Videmus enim plerisque usu venire, ut quo diutius in coeno peccati volvantur, eo sint tum ad verum peccatorum odium imbibendum contritionemque veram consequendam imbecilliores, tum etiam ad confessionem peragendam tardiores.

c) Sunt autem certi eventus, in quibus homo, peccato mortifero obstrictus, confiteri statim tenetur, quando sacrificaturus, aut alias Eucharistiam vel aliud Sacramentum, quod vivorum dicitur, suscepturus est, quando periculum tale occurrit²⁾, in quo communiter homines mori solent, ut contingit in naufragio, in conflictu exercitus, in difficili et periculoso partu etc.

b) SS. Eucharistiae sive Communionis.

§. 163. In Religione christiana nihil sanctius, nihil excellentius Sacrosancto Eucharistiae Sacramento, in hoc inenarrabili mysterio divitias omnes sui erga nos amoris effudit Salvator optimus, quoniam non fontem tantum gratiarum hic nobis aperuit, sicut in ceteris Sacramentis, sed se ipsum nobis inserit intimius, ac propria nos carne pascit et confortat. Hic lignum vitae est in medio paradisi plantatum, cujus fructus immortalitatem praestat edentibus; hic manna de coelo descendens, quod omnem in se continet saporis suavitatem; hic ipsa nobiscum se commiscet incarnata Sapientia, cujus deliciae sunt, esse cum filiis hominum; hic Pastor bonus oves suas pascit proprio cruore; hic nobiscum manet Jesus noster, omnibus diebus, ut et cibus sit peregrinantibus et futurorum honorum pignus certissimum. Sed neque hoc satis est, nosse donum Dei; tota felicitas in possessione est. Beatus, qui panis dulcedinem coelestis degustat, et consors factus divinae naturae vehementius in Dei amorem exardescit, ut totus in eo sit, quem totum in se recipit. Quis igitur non *libere* ad suavissimum hoc Sacramentum accedat, in quo certissima nobis salus et vita promittitur. Hoc enim est,

¹⁾ Eccli. III. 27. — ²⁾ Conc. Trid. Sess. XIII. cap. 7.

mod Salvator optimus de hoc Sacramento loquens dixit: „Qui maneat meam carnem, — in me manet, et ego in illo — habet vitam aeternam, et ego resuscitabo illum in novissimo die”¹⁾. Non minus certum est, idem augustissimum Sacramentum cum devotione tantum, vigorem quemdam spirituales conferre, quo tentationibus resistimus, et a peccati mortiferi veneno praeservamur. Venialia eluit, et cavet mortalia. Hac enim ratione a Concilio Tridentino hoc SS. Sacramentum appellatur „antidotum, quo liberemur a vitiis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur”²⁾. „Duo, ait S. Bernardus, in nobis hoc Sacramentum operatur, ut et senum minuatur in minimis, et in gravioribus peccatis tollatur omnino consensus. Si quis vestrum non tam saepe modo tam acerbos sentit concupiscentiae motus, invidiae, aut luxuriae, aut ceterorum hujusmodi, gratias agat corpori et sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operetur in eo”³⁾.

His itaque attentius perpensis saluberrimus sacrae communionis Eucharisticae effectibus, num non desiderio desideremus, tam frequenter potuerimus, ad hoc suavissimum et admirabile Sacramentum accedere? Si esuris, accede pascendus ad panem vivificum et indefectibilem, esurientem implentem bonis. Aegrotas? In hoc efficacissimum tuae infirmitatis medicamentum. Debilis es, inquis, et instabilis? sed hic panis cor hominis confortat. Tristes es et anxius? sed hoc Sacramentum hominem interiore laetificat. Inquietant te plurima? adhaere ei, qui turbatos fluctus sedat. Peregrinaris a Domino, sed in fortitudine cibi istius non desinas usque ad montem Dei Horeb ambulabis, sed usque ad montem Sion labor, i. e. ad gloriam Dei pervenies.

In principio nascentis Ecclesiae, in qua vigeat charitas, ea fuit per multa tempora consuetudo, ut fideles quotidie, vel frequenter saltem communicarent, uti ex Actis Apostolicis et SS. Patribus constat. Decretum deinde fuit in Ecclesia, ut singulis Dominicis Eucharistiam sacrosanctam sumerent; postea vero tepescente charitate sancitum est, ut saltem, si non frequentius, seculares ter in anno sacra Synaxi sese reficerent in Paschate, Pentecoste, Nativitate Domini. Ea lex nono jam saeculo, partim incuria partim desidia, multis in locis negligi coepit; sensim deinde ex animis fere vanuit. Cui negligentiae ut mederetur Ecclesia, in Concilio Lateranensi IV. filiorum suorum infirmitatem miserata, statuit, ut ad minimum semel in anno, idque in Paschate, communicarent. Ubi est praecipue animadvertendum, quod, quamvis Ecclesia a Spiritu sancto gubernata toties praeceptum communicandi pro temporum conditione mutaverit, nunquam tamen frequentius communicare prohibuit, sed ne prohiberetur, prohibuit.

Qui raro se ad sacramentalem Synaxin accingit, in finem, ob quem SS. Eucharistiae Sacramentum institutum est, graviter peccat; parumque respondet amori, tum illi, quem Christus erga nos

1) Joan. VI. Luc. XXII. 19. I. Cor. X. 16. 47. XI. 26. — 2) — Sess. XIII. cap. 2. Catech. Rom. P. II. c. 4. q. 40. — 3) Serm. 1. de Coena Domini

habuit, nos diligens usque ad finem, tum illi, quo nos feramur in illum. Patres Concilii Tridentini¹⁾ hortantur, rogant et obsecrant, ut omnes et singuli, qui christiano nomine censentur haec sacra mysteria corporis et sanguinis ejus ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione ac pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint. Pius igitur animarum pastor, qui ipse in SS. Eucharistiam inardescit, non solum ad frequentem communionem alliciet eos, quos ea dignos censuerit, verum etiam pro iis, quos in S. Tribunali dirigit, ut panem Angelorum esuriant, cum S. Laurentio Just. orabit: „Aperi, melliflue amor, aperi, inquam, o divina Bonitas, interiores fidelium oculos, ut formatae fidei irradiati lumine mereantur videre te. Dilata etiam Domine affectum ad suscipiendum te, ut eruditi a te quaerant te per te, et requiescant in te, omnium desiderabilium aeterno fonte”²⁾. S. Carolus B. parochos monet, ut fideles ad saluberrimum hujus Sacramenti frequenter sumendi usum diligenter cohortentur, „ut praeter Paschatis Communionem, quae Ecclesiae praecepto necessaria est, saltem in praecipuis solemnitatibus, velut die natali Domini, Epiphania, Pentecoste, in diebus item festis majoribus B. M. V. communicent”³⁾. Laudabilis sane est consuetudo, SS. Altaris Sacramentum suscipiendi: a) die natali et onomastico; b) recuperata pristina corporis sanitate; c) in peregrinantibus, ante iter eoque feliciter peracto; d) in matrimonio junctis, die anniversaria benedictionis nuptialis; e) in mulieribus praegnantibus, ante et post partum; f) in juvenibus, dum milites fiunt; g) die anniversaria defunctorum parentum. In juvenibus frequens Sacramentorum usus peroptandus est, ne scilicet in aetate juvenili peccatis hucusque levibus mox gravia succedant, et omne proficiendi consilium penitus dimittatur. Proni etenim sunt sensus hominis in malum a juventute sua. „Frequenter recurrendum est ad fontem gratiae et divinae misericordiae, ad fontem bonitatis et totius puritatis: quatenus passionibus tuis et vitiiis curari valeas et contra universas tentationes et falacias diaboli, fortior et vigilantior effici merearis”⁴⁾.

Verum his generatim a nobis de frequente Sacramentorum usu dictis, reticere non licet, quod frequens Sacramentorum usus, etsi summe laudabilis et desiderandus, imo fere necessarius est iis, quibus cordi est, salutis aeternae spem magis ac magis solidare, non tamen sit ipsa perfectio hominis christiani, sed medium ad per-

¹⁾ Sess. XIII. cap. 8. — ²⁾ De perfect. mon. c. 9. — ³⁾ Act. Eocl. Mediol. in Instruct. Eucharist. tit. de frequenti sacrae Communionis usu. Similia decreta exstant in Syn. August. anno 1567; Syn. Camarac. a. 1567. tit. 8. c. 1.; Syn. Constant. a 1609. p. 1. tit. 10. c. 4.; Syn. Paderborn. a. 1688. p. 2. tit. 6. — ⁴⁾ Thom. a Kempis de imitatione Christi, libr. 4. c. 10.

fectionem vel fructus istius. Proinde poenitentes suos dirigat confessarius ad finem universae Legis et Propheatarum, dilectionem Dei et proximi, et ex consideratione et ad consecrationem hujus finis conetur fideles inducere ad frequentem usum Sacramenti tam Poenitentiae quam Eucharistiae; ni hoc fiat, loco solidae pietatis subintrabit fragile simulacrum devotionis.

Regulae in determinanda sacrae Communionis frequentia.

§. 164. Quod *frequentiam* sacrae Communionis *determinandam* attinet, Patres Concilii Tridentini optant quidem, a fidelibus frequenter vitalem panem sumi, ast non omnibus eandem regulam Praescriptam esse volunt, sed, ut fidelium utilitati et Sacramenti Reverentiae consulatur, id confessariis determinandum relinquunt ¹⁾. Quem in finem sequentia subjicimus:

1) Respiciat nimirum confessarius, a) *quomodo talis persona se praeparet, et quatenus per negotia et occupationes se praeparare, et gratias agere possit*. Dantur enim circumstantiae, quae a frequentiori usu excusant, v. g. personarum locorumque adjuncta, saepenumero moles negotiorum, cura oeconomiae, famulitii, pax domestica, aliaque impedimenta, quae frequentiae sacrae Communionis obstant. Haec et poenitens attendere, et confessarius, si de frequentioris Communionis consilio quaeratur, considerare debet. b) *Qua intentione feratur ad frequentem Communionem*. Neque enim finis esse debet sensibilis devotio, amor proprius, vanitas, ne videatur minus devota, quam aliae personae, sed vehemens recipiendi Christi desiderium ex charitate profectum, cujus flamma succensicum Propheta dicamus: „Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus ²⁾. Ad excitandum vivum illum ardorem nihil aptius esse potest, quam ista S. Chrysostomi consideratio: „Cuique fideli per hoc mysterium se conjungit (Christus); et, quos genuit, per se nutrit, neque alii tradit, . . . ne ita segnes simus, tanta dignati charitate et honore; . . . unus sit nobis dolor, si hoc alimento spirituali privemur” ³⁾. c) *Quomodo proficiat in spiritu*; num malae veteri consuetudini et passionibus immoderate pergat indulgere, an vero eas mortificare studeat. Qui gravioribus vitiis indulget, prava consuetudine irretiti, in occasioe proxima versantes, quibus vera cordis contritio sat firma non est, frequens communio non facile suadenda est, nisi sincerum ex peccatorum coeno emergendi conatum adhibeant. Frequentior Communio praeferenda rariori, sed et reverentiae Sacramenti consulendum est, cujus aestimatio imminuitur, si ex ea non proficiatur.

¹⁾ Catechis. Rom. P. II. c. 4. q. 46. — ²⁾ Psalm XLI. — ³⁾ Hom. 82. in Matth.

Quin et scandalum sumunt fideles, si frequenter communicantes animadvertant vanitatibus et otio indulgere, ut antea, non reverentia parentes, consortia periculosa adire, vitae conditionisque officia negligere. Quare ejusmodi personis frequentior Communio negetur eo quod non proficiatur in virtute. Joannes de Avila, non minus doctrina, quam pietate insignis, et in difficillima animas ad Deum dirigendi arte versatissimus, ait, „unicum probae Communionis signum animae profectum esse, atque ad pietatem progressionem, quam assequantur, recte ad Eucharistiam saepius recurrant; sin minus ab ea debent abscedere”¹⁾; non quidem, ac si dilatio sacrae Communionis sit remedium contra animi morbum, sed ut melius ad dignam Eucharistiae susceptionem se praeparent, atque culpas, quas identidem incurrunt, acrius ulciscantur, atque orationi et bonis operibus toto pectore instent²⁾. Summus Pontifex Benedictus XIV.³⁾, quantum ad hanc materiam, confessarios monet, ne frequentem ad Eucharistiam accessum iis aut suadeant aut permittant qui in gravia peccata saepius labuntur, nec de poenitentia agenda suaeque vita emendanda sunt solliciti; sicut nec illis, qui, etsi gravia crimina evitent, voluntatem tamen habent venialibus inhaerentibus.

2. Licet igitur certa omnibus regula praescribi non possit, utrum singulis mensibus vel hebdomadibus id magis expediat, personis tamen vere devotis ac piis, quae ad majorem perfectionem contendunt, cur sacra Communio octiduana, quin una alterave vice per hebdomadam, omnino non concedatur, profecto non video. *Falsa est humilitas, quae nos ad longius tempus ab hac mensa retrahit, et generatim accessum valde rarum suadet.* Gennadius de octiduana sacra Communione dicit: „Omnibus dominicis communicandum suadeo et hortor; si tamen mens sine affectu peccandi sit”⁴⁾. Similiter loquitur Walafridus Strabo⁵⁾, et S. Franciscus Salesius, quo duce tot fideles ad justitiam profectiorem pervenere: „Ut quis octavo quoque die, inquit, Eucharistiam percipiat, ab omni eum peccati mortalis labe, ab omni peccatorum venialium studio et voluntate immunem esse oportet”⁶⁾. *Nec probare possum, ejusmodi arcere a Sacramentis ex eo, quod subinde ex fragilitate succumbant.* „Non egent, qui sani sunt, medico, sed qui male habent. Non veni vocare justos, sed peccatores”⁷⁾. Notandum est, quod S. Franciscus Salesius in hoc proposito dicit: „Si quaerunt a te, cur tam frequenter communicates, responde illis, quod duplex personarum genus debet saepius communicare: perfecti scilicet et imperfecti: perfecti, ut se in perfectione conservent, imperfecti, ut ad perfectio-

¹⁾ Libr. 1. epist. 31. — ²⁾ S. Isid. Hisp. de Off. eccl. libr. 1. c. 18. — Idem libr. 1. sentent. c. 22. — ³⁾ Libr. 7. c. 12. n. 9. de Syn. dioec. tom. 12. — ⁴⁾ De Dog. Eccl. c. 53. — ⁵⁾ De Reb. Eccl. c. 20. — ⁶⁾ Philoth. P. II. c. 20. — ⁷⁾ Luc. V. 31.

non valeant pervenire: fortes, ne debiles fiant, debiles, ut fortes vadant; infirmi, ut curentur, benevalentes, ne infirmentur. Et quod ad hoc attinet, utpote imperfectam, infirmam ac debilem, eges frequenti Communione. Dic illis, quod ii, qui mundanis negotiis non sunt implicati, debent saepius communicare, quia habent opportunitatem; qui vero huiusmodi negotiis detinentur, quia egent Communione." *Nec praetermittenda est in eiusmodi personis sacra Communio, et quandoque non sentit homo specialem devotionis gratiam, cum se ad illam praeparare studet, vel in ipsa perceptione vel post forte animus devotum se sentit, quam vellet. Nam, ut S. Laurentius Just. scribit, „quemadmodum corporalis cibus nos alit, etiam si non sentiamus, ita Eucharistia nobis quandoque non sentientibus gratiae incrementum et multorum munerum copia divinitus animam reficit itaque corroborat.”* Et celebris Cancellarius Paris. Joannes Gerson horum timorem et reverentiam minus prudentem vocat, „qui nolunt ad Eucharistiam accedere, nisi sint actu *devoti* et *fervidi*, eosne similes esse dicit *frigidis*, qui nolunt accedere ad ignem, nisi prius sint calidi; et *infirmis*, qui nolunt adire medicos, nisi prius sint sani; quibus ex justitia divina accidit, quod contigit Aadae, qui cum erat in Paradiso, noluit de ligno vitae comedere; cum vero voluit, non potuit.”

3. Quid vero dicendum est de ea sacrae Communionis frequentia, qua SS. Eucharistia *pluries quoque per hebdomadam* suscipitur?

S. Augustinus quaerenti, utrum quotidie accipere liceat Eucharistiam nec ne, respondet: „Rectius inter eos fortasse quisquam irrimis litem, qui monet, ut praecipue in Christi pace permaneant. Faciat autem unusquisque, quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat Corpus et Sanguinem Domini, sed saluberrimum Sacramentum certatim honorare conentunt. Neque enim litigaverunt inter se, aut quisquam eorum se alteri praeponit, Zachaeus et ille Centurio, cum alter eorum gaudens in domum suam susceperit Dominum, alter dixerit: Non sum dignus, ut intres sub tectum meum; ambo Salvatorem honorificantes diverso et quasi contrario modo; ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti. . . . Nam ille honorando non audet quotidie sumere, et ille honorando non audet ullo die praetermittere. Contemptum solum non vult cibus iste, sicut nec manna fastidium”¹⁾.

S. Congregatio in decreto dato mense Januario 1587, statutum cujusdam Episcopi rejecit, quo volebat, nisi *certis tantum diebus*, aliquibus certi status et sexus SS. Eucharistiam ministrari; quod obstare censuerat Tridentino, concludens, *Et ideo licitum est, quotidie Eucharistiam sumere*²⁾. Innocentius P. XI.

1) Epist. 54. alias 118. ad Januar. c. 2. — 2) Vide Schram. Inst. theolog. myst. Aug. Vind. 1777.

in decreto de frequenti Communione edito 1679, die 12. Febr. vetuit, ne *unica praecepti formula aliqui a quotidiana vel frequenti Communione deterrentur, aut accedentes repellerentur, aut sumendi dies generaliter constituerentur*; jubet tamen, ut parochi et confessarii invigilent, ut quisque pro praeparationis et devotionis modo rarius aut crebrius digne accedat. Deinde hortatur, ut frequentius communicantes excitentur ad magnam praeparationem, et ad agnoscendam suam infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, et formidine divini iudicii discant, coelestem mensam, in qua Christus est, revereri, et si quando minus se paratos senserint, ab ea abstinere seque ad majorem praeparationem accingere. Monitus vero vult obsequi Ordinis sui statutis; si quae tamen ea mentis puritate niteant, ut dignae videantur frequentiore aut quotidiana, jubet, ut id illis a Superioribus permittatur. — Ludovicus de Ponte hac de re scribit: „Cum hoc Sacramentum panis sit quotidianum, credibile est, non deesse hodieum in Ecclesia, qui praeter sacerdotes admitti possint ad frequentiam plus quam octidianam. Et sicut in primitiva Ecclesia largiebantur illud Apostoli quotidie multis fidelibus, ita est credibile, non defuturos in Ecclesia nunc aliquos; etsi *paucos*, qui mereantur id ipsum: nec enim abbreviata est manus Domini, neque Sanguis Jesu Christi refriguit, ut tantum non ferveat modo in aliquorum cordibus, quantum fervuit tunc in cordibus multorum.”¹⁾

Ex quibus patet, communionem *quotidianam*, praeter sacerdotes, *omnibus absolute vetitam* non esse; ast non facile cum piis quoque petentibus, a confessariis, quorum iudicio frequentia sacrae communionis determinanda a Patribus Concilii Tridentini relicta est, concedendam fore; quia merito timendum instat, ne res sacratissima vilescat, aut praeparatio, qualis omnino exacta eximia requiritur, desit. Si quae vero sint animae singulari puritate nitentes, quae adeo frequentem Communionem desiderant, ut proficiant in divino amore, eam videtur non posse director spiritualis sine scrupulo negare. Excipe tamen ordinarie loquendo unum diem in quavis hebdomada, et facere solent prudentes aliqui directores, excipe tempus illud, quo privari velint poenitentes Communionem, ad probandam eorum obedientiam, aut humilitatem, aut ob aliquam aliam justam causam²⁾. Legas quaeso de hoc puncto acta Concilii Mediolanensis sub S. Carolo Borromeo, et quae sapienter et pie monet S. Franciscus Salesius in libro de introductione ad vitam devotam.³⁾

¹⁾ Tom. I. de Perf. christiana. T. IV. c. 6. §. 3. — ²⁾ Cfr. S. Lig. Praeconfess. n. 148.—155. — ³⁾ Philoth. P. II. c. 20. Libr. II. epist. 39. 46.

Objectionis solutio.

§. 165. Superest modo, ut ad objectiones responsum demus illorum, qui, nescio quo spiritu ducti, frequentationi hujus mysterii adeo molesti sunt, ut illam dissuadeant, aut tanquam periculosam, ac dicam superstitiosam, exprobrare non vereantur. Num possumus non vehementer quidem de his dolere, verum nolimus pro modestia christiana existimare, viros hos et vel ecclesiasticos agi perverso iniquoque animo, sed forsitan ejusmodi zelo, quem non esse secundum scientiam arbitramur. Etenim frequentationem sanctissimae Eucharistiae ex amore Christi utiliore et fructuosiore esse, quam abstinentiam ab ea ex irreverentiae metu, liquido constat tum ex Veteris Ecclesiae jam inde ab Apostolorum temporibus consuetudine et auctoritate, tum ex effatis SS. Patrum et Doctorum Ecclesiae, graecorum non minus ac latinorum, quin imo ex rationibus ab experientia ductis. Jam his omnibus satisfacere institutionis nostrae ratio prohibet, licet labor facilis et peramoenus esset. Unam tamen objectionem, in qua plurimum adversarii instant, in medium producere juvat. Sonat in hunc modum: Qui raro accedunt ad hoc Sacramentum, magna cum devotione accedunt ad illud, qui vero saepe, frigide et indevote accedunt, ex quadam potius consuetudine, quam ex devotione, ut videmus in iis, qui frequenter mensam Eucharisticam accedunt, quin imo in nonnullis sacerdotibus, qui ob quotidianam frequentationem adeo irreverenter et indevote celebrant, ac si agerent quodvis aliud opus, quantumvis profanum, in suam perniciem magnamque offensionem populi Christiani. Quare liquido constat, melius esse raro ad Communionem, quam frequenter accedere. — Hoc, quod adversarii pro firmissimo suae objectionis fundamento constituunt, nos ut falsum omnino rejicimus negamusque, eos, qui frequenter communicant, frigide et indevote communicare. Ac primo dicimus, nos non probare, imo maxime vituperare mercenarios sacerdotes, qui nulla tanti Sacramenti devotione ac reverentia celebrant in dedecus sacerdotalis dignitatis. Pariter adversarios monitos esse volumus, a nobis ejusmodi homines nullo pacto probari, qui ex consuetudine magis, quam ex devotione ad hoc SS. Mysterium accedunt, et propterea frigide et indevote accedunt. Verum vehementer horum hominum miramur pietatem, qui propter communicantium vitium tanto studio damnant rem omni laude dignissimam, et quia aliqui indigni accedunt ad hoc sacrosanctum et venerabile Sacramentum, ideo frequentem illius usum sine discrimine periculosum affirmant. Nonne eodem argumento isti quotidianum usum rerum quam plurimarum periculosum dicere deberent, quia multi illis abutuntur? Abusus non tollit usum. Vitium paucorum, quod non ex re ipsa, sed ex prava ipsorum voluntate oritur, non debet in argumentum ad improbandam sanctae Eucharistiae frequentationem ad

duci, praesertim apud pios et religiosos homines, qui magna cum devotione et non minori cum fructu ad illam accedunt. Qui vero dimissis illis velit convertere oculos ad alios, et sacerdotes et laicos, religiosasque et seculares foeminas, reperiet sane quam plurimos quorum in accedendo ad hoc venerabile Sacramentum devotionem pietatem atque religionem non possit non suspicere ac venerari cum illorum vita et mores clare testentur, quantum in ejus frequentatione proficiant. Ceterum an depravato quis animo accedat, non facile est dijudicandum, ne, dum alios judicamus, nosmetipsos condemnemus. Est enim hoc manna illud absconditum, et calculus candidus, in quo scriptum est nomen novum, quod nemo scit, nisi qui accipit¹⁾.

Dilatio sacrae Communionis.

§. 166. Absolutione denegata aut dilata etiam **S. Communio** nem suspendi, hoc est, neminem mortalis peccati conscium, nec antea confessum absolutumque, ad sacram synaxim admitti debere juxta sacri Concilii Tridentini²⁾ decretum manifestum est. Verum quia potest evenire, et merito, ut quis, etsi confessus et absolutus a sacra Communionem abstinere debeat, vel utile sit, etsi non necessarium, **S. Communionem** differre, confessarius etiam de hoc instruendus est, ne qua in parte functioni suae desit.

Primus itaque *casus*, in quo confessarius post absolutionem datam, Communionem tamen negabit, ille est, si poenitens eodem die quid cibi potusve sumsisset. Sanxit enim Ecclesia catholica, in sumptus venerandum hoc Sacramentum non nisi jejunos accedat³⁾. Verum qui aegrotat, et hoc Sacramentum pro viatico percipit, nihil impedit, si ex necessitate cibi aliquid ad refocillandum se confoutandumque sumsisset, ne sine tam necessaria provisione ex hac vita emigret.

Alter est, si quis adeo tussi aut debilitato stomacho laborat ut continere nihil possit, sed sumta confestim cogatur evomere. Tunc est interponenda mora, donec ejusmodi incommodum se remi-

¹⁾ Apoc. II. 17. — Cfr. Lud. Granat. de frequenti Communionem; item Hieronymi Cacciaguerra de eadem frequenti Communionem. Coloniae 1591. — Libr. de freq. Communionem sive usu SS. Euch. Sacramen-
 auctore R. P. Christophoro Madrigo, Theologo S. J. Leodii. 1630. De
 alte Frohnleichnam. Augsburg. 1812. — Das heilige Abendmahl, von
 Jakob Frint. Wien. — Ueber den öftern Empfang der heiligen Sacra-
 mente der Busse und des Altars. Von Mathias Hauser, kathol. Pfarre
 und Schulinspector zu Dreis. Eine gekrönte Preisschrift. Trier. 1833.
 — ²⁾ Sess. XIII. cap. 7. can. 11. S. Pauli I. Corinth. c. XI. ³⁾ S. Joar
 Chrys. hom. 27. in Epist. I. ad Corinth. S. Isid. Hisp. de Off. eccl.
 libr. I. c. 18. Conc. Bracar. II. anno 573. can. 15. Conc. Matiscon. II
 anno 585. can. 6. Conc. Toletan. VII. 646. can. 2.

serit, aut jam cesset, idque ob reverentiam huic Sacramento debitam. Id quod etiam observandum est in ipso mortis articulo. Hoc enim casu aeger, qui mala ejusmodi tenetur affectione, metuque periculi jam dicti Sacramento frui non potest, sufficit, ut hoc adoret, et spiritualiter sumat. Quod ipsi vera fide ac devotione praedito in itinere viatici loco deserviet, si sit e vita discessurus.

Tertius est, quod longo tempore gravibus peccatis maximeque carnalibus immerso, modo cum legitima necessariaque contritione confiteatur, absolutio conferri potest: consultius tamen etiam est, diebus aliquot eum a Communionem suspendi, quibus accuratius sese praeparet, precibus aliisque operibus vacando. — Demum suadent etiam, ne diem Communionis actus maritalis praecedat ¹⁾. Sed, prout S. Franciscus Salesius observat, „indecens quidem, quamvis non graviter peccaminosum est, die Communionis *petere* debitum conjugale; at indecens non est, — — illud eadem die *reddere*. Adeoque si talis persona ad Communionem devote anhelat, ob redditionem hujus debiti ab illa non prohibeatur. Certe in primitiva Ecclesia Christiani quotidie communicabant, quamvis conjugati essent, atque prolibus procreandis operam darent” ²⁾. Ast qui nocte praecedente peccatum grave in materia luxuriae admisit, altera die a Communionem abstineat, etsi contritus, confessus et absolutus, nisi tamen urgeat necessitas, v. g. iter navale, vel aliud confessario videatur.

Postremo, quando confessarius existimat, utilem fore poenitentem Communionis dilationem, ut ad eam percipiendam se magis idoneum reddat, aut in eo major zelus desideriumque communicandi accendantur. Nam, ut S. Gregorius M. testatur, desideria dilata crescunt, et augentur ³⁾.

Communio spiritualis.

§. 167. Praeter susceptionem sacramentalem pii scriptores etiam ardens ejusdem desiderium, seu spiritualem Communionem commendant. Sacra synodus Tridentina eam solemniter adprobavit, dicens: „Patres nostri docuerunt, — — quosdam sumere tantum spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum panem coelestem edentes, fide viva, quae per dilectionem operatur, fructum ejus et utilitatem sentiunt” ⁴⁾. Unit Communio spiritualis cum Christo praeparatque animam ad Communionem sacramentalem nec non

¹⁾ S. Hieronym. libr. 1. adversus Jovinian. Epist. 30. alias 50. ad Pamach. — S. Isid. Hisp. de Off. eccl. libr. 1. c. 18. — S. Greg. M. libr. 12. epist. 31. — Cassian Collat. 22. c. 4., 5. et 6. — ²⁾ Philoth. P. II. c. 20. — ³⁾ Hom. 25. in Ev. — ⁴⁾ Sess. XIII. cap. 8. — Joan. XIV. 23. Apoc. III. 30. — S. Aug. Tract. 25. et 76. in Joan. — S. Thom. Summ. theolog. III. q. 80. a. 1. ad 3.

ad sacrificium cum fructu auscultandum. „Spiritualiter communicare est valde utile, inquit S. Theresia; nolite id praetermittere; hic enim experietur Dominus, quantum eum ametis.” „Licet autem per utramque Communionem homo uniatur cum Christo per fidem et charitatem — — nihilominus in Communionem mere spiritali non unitur realiter caro Christi cum carne communicantis, sicut contingit in Communionem sacramentali; sed solum intentionaliter et per affectum. Deinde communicans digne sacramentaliter recipit augmentum gratiae justificantis ex opere operato ultra meritum operantis; ceterum communicans spiritualiter tantum, seu solo desiderio, acquirit augmentum gratiae solum ex merito operantis”¹⁾. Quum itaque piissimum hoc votum, prout Redemptori perquam acceptum est, ita et insignis sit utilitatis: merito fideles excitentur, ut id faciant, praecipue quoties SS. Missae sacrificio intersunt²⁾. Mentis vere devotae non semel tantum, sed iterato in dies hoc desiderium excitasse leguntur.

10. Frequens Dei praesentis memoria.

§. 168. Brevis, sed frequens recordatio divinae omnipraesentiae, omniscientiae, etc. in sacris literis iteratis vicibus commendatur. Abrahamo dicitur: „Ego Dominus omnipotens, ambula coram me et esto perfectus”³⁾, et divini Psalmi hoc saluberrimum exercitium commendant identidem: „Oculi mei semper ad Dominum.” „Ecce oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.” „Omnibus diebus vitae tuae in mente habeto Deum,” ait Tobias ad filium suum, ut caveas tibi peccare coram Domino⁴⁾. S. Gregorius Nazianzenus: „Ut corpus arborum, rami arboris trunco, solares radii soli nnti esse debent, ut ab illis virtutem suam trahant, ita mente Deo uniti esse debemus. Accedite ad Deum, ait Propheta, et illuminamini, et facies vestrae non confundentur. Nec enim tam saepe spiritum ducere, quam Dei meminisse debemus.” Et profecto, quae alia ratio a peccato nos magis retrahit, quam viva recordatio, Deum omniscium iudicem et vindicem nostrum nobis esse praesentissimum. Inprimis autem moneatur poenitens, ut inter negotia, et praesertim temptationis tempore Dei praesentis memoriam sibi vivide ob oculos ponat, et ita evigilantem in se malam concupiscentiam reprimere studeat. Dic mihi, si tibi semper prope principem standum esset, an non cum timore adstares? Adeoque quando comedis, cogita praesentem Deum; adest enim. Quando dormiturns es, quando irasceris, quando delicias, quidquid tandem feceris, cogita adesse Deum.

¹⁾ Quart. de Benedict. tit. 3. sect. 5. dub. 1. — ²⁾ Conc. Trid. Sess. XXII. cap. 6. — ³⁾ Gen. XVII. — ⁴⁾ Tob. IV. 6.

Jam vere quantum ad methodum sibi repraesentandi Deum, ^{pi} scriptores diversos pro captu hominum modos commendant. Vel ^{causa} a) ope imaginationis Redemptorem tibi repraesentes in praesepio jacentem, vel intra brachia Virginis cubantem, vel tormentis subditam, vel e cruce pendentem, vel ut Pastorem, Medicum, Magistrum etc. Praxis excellens et nunquam satis commendanda est, b) ut ope fidei Deum praesentem cogitemus. Hac ratione mens filiali timore et charitate repletur, cauta et attenta redditur, ne ipsi displiceat, vel saltem, ut ejus, qui omnia perlustrat et scrutatur, districtum judicium pertimescat. Qui in hoc exercitio magis profecerunt, etiam in rebus, quae sensibus usurpant, ubique divinae tum sapientiae tum benignitatis vestigia detegunt, ex iis, quae facta sunt, quasi totidem gradibus ad Creatorem ascendentes ¹⁾. Absit tamen in his exercitiis omnis vel anxietas, vel defatigatio cerebri, sed potius illa suaviter ea animo penitus tranquillo in usum deducantur ²⁾.

11. Piae adspirationes.

§. 169. Inter peccatorum remedia virtutisque subsidia numerantur quoque piae adspirationes, quibus Deo nunc indubitatum fidem, nunc spem et fiduciam, nunc charitatem, nunc dolorem de peccatis, vel qualem demumcunque virtutis sensum testamur. Dum enim per pias adspirationes mens ad Deum anhelat, tentationes facile vincuntur, intellectus coelesti lumine imbuitur, erigitur affectus, inflammatur voluntas, quidquid terrenae adhaesionis et deformitatis est, paulatim detergitur, atque dum hanc desideriorum frequentiam nobis familiarem reddimus, ipsos quodammodo Beatos in coelo aemulamur. His oratiunculis quisquis Christianae perfectionis avidus pro viribus adsuescat, ut cor suum et voluntatem ad Deum erigere conetur, *die ac nocte, domi et foris, sedens et ambulans, et in omnibus negotiis suis*, quae exinde non turbantur, sed perficiuntur potius, et expeditiora fiunt ³⁾. Quum igitur hae mentis elevationes multum polleant ad detestationem peccati commissi augendam, et ad amorem virtutis oppositae inserendum, quum eas fere quilibet, etiam incultus homo, si vel paululum desuper edoceatur, instituere valeat, iis, tamque opere medicinali, pro poenitentibus utetur confessarius.

Materia horum affectuum desumi potest ex Scriptura sacra, ex scriptis SS. Patrum aliorumque auctorum pietate praestantium, vel ex proprio affectu et devotione uniuscujusque. Praesertim Psalmi talium precationum feracissimi sunt quibus quasi totidem igni-

¹⁾ Cfr. Philoth. P. II. c. 13. — ²⁾ Vide Alphonsi Rodriguez: Exercitium Perfectionis P. I. tract. 6. — ³⁾ S. Aug. Ep. 121. ad Probam. S. Chrys. hom. 79. ad populum. Libr. I. de Oratione Cassiane. libr. 2. de institutis c. 10. et Gollat. 9. c. 35.

culis corda nostra accenduntur. — Circa modum, quo illae poenitenti praescribi debeant, haec observato: Rudes utiliter docebis, ut ejusmodi adspiraciones *certo* (de quo admoneantur) *tempore, loco, signo* eliciant. Sic v. g. moneri potest poenitens a) *respectu temporis*. Nocte cubitum concessurus, dices aut cogitabis: Lectam nunc subeo ignorans, an crastina surrecturus sim... Quot peccatores incurii subita morte oppressi sunt! Id forte, si deinceps peccavero, et mihi evenire poterit. O Deus mi! averte hoc malum a me: non peccabo amplius, hoc firmiter et sancte propono. — *Mano* vigilans, cogita: Forte haec dies ultima vitae meae, aut certe ad salutem meam curandam a bono patre data. Quid, egone ad peccandum ea abutar? Absit, o Deus mi! Renovo propositum meum, adesto mihi gratia tua, non cedam peccatis, malis desideriis, irae, invidiae etc. Simile quid etiam ad horae pulsum aut ad Angelicae salutationis signum a poenitente dici, vel cogitari potest. b) *Aspectu loci* moneri quandoque poterit poenitens, ut locum e. g. coemeterii transiens aut respiciens, sibi ipsi dicat: Hic plures tumulantur, qui in diem praesentem se victuros confidebant; hoc in loco item, citius quam credam, fors brevi, putrescet corpus meum, quod nunc perdit amo. Ast ubi tunc erit anima mea? In inferno; nisi peccare desistam. Adjuva me Deus, dum firmiter propono, peccatum hoc vel illud non porro patrare velle . . . Vel si dicat aspiciendo sepulera: Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Terrenis cor meum non affigam amplius, Tibi soli, Deus mi, adhaerebo, propter Te omnis libenter sustinebo etc. Similiter e. g. in ecclesia respiciendo ad fontem baptismalem, potest foedus baptismale renovari. c) *Respectu signi* doceri potest poenitens, ut v. g. aspiciendo ignem infernalis ignis memoriam resuscitet; — aspiciendo Christi crucifixi imaginem ad patientiam aut peccati odium, ad contritionem, ad fiduciam se animet etc.; — spectando coelum stellis coruscans coelestis patriae desiderium, et in virtute proficiendi fervorem accedat ¹⁾).

12. Matura veritatum religiosarum perpensio et applicatio ad animum emendandum.

§. 170. Brevem veritatum religiosarum considerationem earumque ad animum emendandum applicationem poenitentibus perutilem esse, dubio caret. Pariter facile patet, confessarium poenitenti, praecipue minus culto, *certam* quandam veritatem assignare, ac simul modum illam salubriter ad animum suum applicandi, ostendere debere. Ita v. g. moneatur poenitens, ut circa veritatem: „Deus infinite sanctus, scit malas cogitationes, quas intimo corde

¹⁾ Cfr. Libellum precum in usum stud. juventutis. Vien. p. 134—139.

fovemus. — „Deus diligit bona, odio autem habet mala, — — remuneratur bonos, poena afficit malos” etc., quotidie per septimanam, vel singulis diebus dominicis et festivis usque ad proximanam confessionem diligenter meditetur; quo fiat, ut facile illius memoriam in se excitet, et ita tentationis tempore confortetur. Huc referri possunt actus virtutum theologiarum, hac tamen cautione, ut formula non ore tantam recitetur, sed ejus verba perpendantur, et ad specialem poenitentis statum applicentur, v. g. in *actu fidei* excitando, ad animum in fide, in veritates vel in genere divinitus revelatas, vel in specie a poenitente addubitatas roborandum; in *actu spei*, ad animum ob peccata commissa anxium quietandum, vel intuitu divinae gratiae — et vitae aeternae erigendum; in *actu charitatis*, ad animum in Dei amorem inflammandum etc. — Aequè bene consuletur poenitentis emendationi, si moneatur, ut certam quamdam admonitionem sive exhortationem, quam confessarius modo ei impertivit, quotidie aut saltem interdum in mentem animumque revocet, ejusque sedulam executionem Deo promittat.

Quem in finem juvat, monitionem, quam poenitenti dat confessarius, locis sacrae Scripturae intellectu retentumque facilibus, praesertim pericopis Evangeliorum nectere; quin imo quo facilius monita in memoriam redeant, objectis quoque in rerum natura visibilibus conjungere, ut a visibilibus ad invisibilia, a corporalibus ad spiritualia ascendat.

13. Meditatio.

§. 171. Poenitentium excultorum nonnullis meditatio sensu strictiori sumta, de qua §§. 22—25. mentionem jam fecimus, instar medii conversionis et perfectionis promovendae merito et utiliter praescribitur. Meditationem utilem esse et necessariam tam peccatoribus, quam justis, sacrae literae probant: „Desolatione desolata est terra, quia nemo est, qui recogitet corde” ¹⁾. „In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis” ²⁾. „Beatus vir, qui meditatur in lege Domini die ac nocte” ³⁾. „Beatus vir, qui in sapientia morabitur, et qui in justitia sua meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei” ⁴⁾. SS. Patres omni data occasione fideles ad meditationem frequentandam adhortari non desistunt. Sic S. Hieronymus: „Eligatur tibi opportunus et aliquantulum a familiae strepitu remotus locus, in quem, veluti in portum quasi ex multa tempestate curarum, te recipias, et excitatos foris cogitationum fluctus secreti tranquillitate componas. Tantum sit divinae legis studium, tam crebrae cogitationum vices, tam firma

¹⁾ Jer. XII. 11. — ²⁾ Eccl. VII. 40. — ³⁾ Psalm. I. item Psalm. CVIII. —

⁴⁾ Eccl. XIV. 22.

et pressa de futuris cogitatio, ut reliqui temporis occupationes, facile hac vacatione compenses. Nec hoc ideo dico, quod te retraham a tuis, imo id agimus, ut ibi discas ibique mediteris, qualem tuis praebere te debeas¹⁾. „Meditatio, ait S. Augustinus, praesentis vitae nostrae in laude Dei esse debet. Non potest fieri, ut habeat mala facta, qui habet bonas cogitationes²⁾. Et S. Bernardus: „Et primum quidem ipsum suum fontem i. e. mentem, de qua oritur, purificat consideratio; dein regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat; postremo divinarum pariter et humanarum rerum scientiam confert³⁾. Ne quis vero sibi persuasum habeat exercitium meditationis solis personis specialiter Deo dicatis quales sunt Religiosi et Clerici, utile esse ac necessarium, non autem ad omnes fideles ejus utilitatem ac necessitatem esse extendendam, audiat Catechismi Romani illustre ea de re testimonium, ubi, quae sint praecipue observanda, Sacerdoti aliorum confessiones excipienti, declarans ait: „Docendus est etiam poenitens, ut nullum patiat esse diem, quin aliquid de Passionis Domini nostri mysteriis meditetur, — hac enim meditatione assequetur, ut ab omnibus daemones temptationibus indies se tutiorem esse sentiat. Neque enim ulla est alia causa, cur tam cito, vel leviter ab hoste impugnati, animo et viribus succumbamus, quam quod ex coelestium rerum meditatione divini amoris ignem concipere non studeamus, quo mens recreari atque erigi possit.” Haec concinnat, quae pulchre de meditatione loquuntur S. Franciscus Salesius⁴⁾ et Ludovicus Granatensis⁵⁾.

Nullus corpore sanus negotiorum multitudine impediri se sentit, quin corporali cibo, potu, quiete, indies corpus reficiat et alat; et si in statu augmenti sit, etiam augere satagat. Cur igitur obtenta animas per poenitentiam sanitate, non quilibet Christianus singulariter sit sollicitus, ut exercitio meditationis (quae vere cibus et potus spiritualis animae est) quotidie eam reficiat, et gratiae vitam in se augeat? Non difficile est fidei, attente recogitare gravissimas nec unquam finiendas inferni poenas, infinitam Dei clementiam, acerbissimam Christi Domini Passionem, summam Dei propter peccatam amabilitatem infinitam, denique peccati, quod offensa Dei, summi Boni est, gravitatem, ut nimirum his considerationibus moveatur animus peccatoris ad eliciendos actus timoris, spei, dilectionis Dei, ac odii et detestationis peccatorum, vel justae voluntas in Dei amorem magis et magis accendatur? Nec efficit meditationis officio, quod distractiones facile obveniant; nam evagatio mentis, quae fit praeter propositum, orationis fructum non tollit. „Saepe, ait S. Gregorius, in ipso orationis sacrificio importunae se cogitationes

¹⁾ Ad Colant. — ²⁾ In Poenit. CXLVIII. — ³⁾ Libr. 1. Consider. c. 2. — ⁴⁾ Philoth. P. II. c. 1. P. V. c. 17. — ⁵⁾ Libro 1. De Orat. et med. c. 1.

ingerunt, quae hoc rapere vel maculare valeant, quod Deo immolamus. Unde Abraham, cum ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aves pertulit, quas studiose, ne oblatum sacrificium raperent, abegit. Sic nos, cum in ara cordis holocaustum Deo offerimus, ab immundis hoc volucris custodiamus, ne maligni spiritus, et perversae cogitationes rapiant, quod mens nostra offerre se Domino utiliter sperat¹⁾. — Quemadmodum distractiones minime causa esse possunt, quominus orationi vacemus, ita pariter non excusant ab exercitio meditationis; sed utrinque remediis utendum est contra hujusmodi mentis evagationes. Sic, qui distractionibus obnoxii sunt, adminiculo libri spiritualis utantur, ex quo, prius quam se meditationi dent, legant materiam fini meditationis accommodam; vel si legere nesciant, suaderi potest, ut ante Crucifixi, vel aliam piam imaginem sese in oratione collocent, et ad longiores distractiones evitandas obtutum oculorum ad eandem imaginem identidem convertant; vel uti possunt adminiculo orationis vocalis; v. g. recitando orationem dominicam, et ad singulas petitiones attentiori consideratione nonnihil subsistendo; vel simili modo recitando psalmum; „Miserere mei” et ad singulos versiculos brevi aliqua consideratione tantisper immorando, donec pius aliquis affectus inde exurgat in animo.

Quoad eos autem, qui ad perfectionem christianam serio quidem anhelant, attamen vel ob ingenii debilitatem, vel ex praesenti sua dispositione prorsus inepti sunt, lumina et ardores, quibus indigent, per alia media aliquatenus suppleri possunt, nempe per piam lectionem, per attentam auscultationem verbi divini, repetitas preces et suspiria, per frequentem orationem vocalem etc.

14. Exercitia spiritualia.

§. 172. Ad calcem hujus articuli de variis devotionis et pietatis generibus non possumus nobis temperare, quin de *exercitiis spiritualibus* breviter aliqua moneamus; quippe quae non tantum ceu peccatorum remedium in quibusdam saltem poenitentibus plurimum valent ad conversionem feliciter auspicandam, sed etiam ceu virtutis subsidium, ut gratia, quae diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, statis temporibus resuscitetur. Quis enim inficias ibit exercitiorum spiritualium utilitatem, dum quis seclusis hujus temporis turbis atque negotiis, veritates aeternas omni qua potest attentione meditetur, interiora exactius discutiatur, vitae melioris proposita concipiat, vel jam concepta restauret, eaque continuatis precibus et devota Sacramentorum susceptione sanciat, et quasi obsignare satagat? Haec est forma studii spiritualis, ut sa-

¹⁾ Mor. libr. 16. c. 19.

plenter disponamus praesentia nostra, recogitemus in amaritudi-
 animae nostrae praeterita, futura quoque sollicito provideamus.
S. Franciscus Salesius similitudinem ab horologio repetit, quod non
 tantum per singulos dies de novo intendi solet, suisque ponderibus
 restitui, sed semel saltem per annum dissolvi, ut aerugo, quae
 forte contraxit, auferri, et ferramenta, si laxata vel continuo
 detrita fuerint, restaurari queant. Pari modo, inquit, et nos pra-
 ter exercitia quotidiana, semel saltem per annum cor nostrum int-
 mius perscrutari, appetitus et affectus illius accuratius inspiciere,
 quidquid ibi hiuleum vel corruptum invenerimus, reparare oportet.
 Quare exoptat **S. Mater Ecclesia**, imo propositis indulgentiis etiam
 allicit ¹⁾, ut, quod a clericis et sacerdotibus praesertim fiat, a reli-
 quis quoque fidelibus instituitur.

S. Martinus, quo utilis saluti proximorum vacaret, solebat ad tempus
 in coenobium, urbi Turonicae vicinum, meditationis causa secedere
 ab omni turba et strepitu rerum temporalium secretus. **S. Augustinus**
 alienatis a se curis secularibus, Deo cum his, qui eidem adhaerebant
 vivebat, jejuniis, orationibus honorisque operibus, in lege Dei meditari
 die ac nocte. «Hoc me delectat, ait, et ab omnibus actionibus neces-
 sitatis, quum relaxari possum, ad istam voluptatem refugio. Neque in
 his omnibus, quae percurro consulens te, invenio tutum locum animae
 meae, nisi in te, quo colligantur sparsa mea, nec a te quidquam re-
 cedat ex me²⁾». **S. Carolus Borromaeus** bis saltem singulis annis a
 urbe discedebat, seque in remotis solitariisve locis colligens, plures
 dies totos ab omni alia occupatione liber, tum superioris temporis
 errata dolebat, tum sese spiritualibus divinisque contemplationibus
 majorem sanctitatem incitabat. Inde coelesti pabulo reffectis anima-
 viribus ad sua curricula recens alacrisque descendebat. **S. Franciscus**
Salesius exercitiorum spiritualium causa recessit omni anno semel
 saltem de populo, atque unico salutis suae vacabat negotio, non aliter
 curans, quam ne quid praeter hoc curaret. In hunc portum quasi
 multa curarum tempestate sese contulit. Ibi lectionibus divinis, cre-
 bris orationibus, firma pressaque de futuris cogitatione didicit, quale
 se, egressus inde, omnibus praebuit.

II. J e j u n i u m.

§. 173. Quum homo, qui per aliquod tempus pravis animi con-
 cupiditatibus nimium indulsit, dominium in illas amittat, ad emendationem
 nem vere talem requiritur, ut amissum illud dominium denuo acqui-
 rere adlaboret. Media autem ad hunc finem facientia sunt opera
 ipsius abnegationis et mortificationis, quae sub nomine jejunii com-
 prehenduntur. Quae quidem pro diversitate indigentiarum et cir-
 cumstantiarum sunt:

¹⁾ Benedict. XIV. 16. Dec. 1746. — ²⁾ Libr. 10. Conf. c. 40.

1. Jejunium stricte tale, sive abstinencia cibi potusque.

§. 174. Jejunium, quod in cibi potusque abstinencia per certos dies extensa consistit, omnibus ad veram perfectionem contentibus perquam familiare fuit, et exinde commendandum se praebet, ut ejusdem ope carnem spiritui facilius subjugemus, huncque ad rerum coelestium contemplationem expeditiorem faciamus. »Quemadmodum leviores naves maria velocius transeunt, contra multo onere gravatae submerguntur, ita jejunium, leviolem reddens mentem, efficit, ut facilius hujus vitae pelagum transmittat, ac ea, quae in coelis sunt, respiciat, et nihil faciat praesentia" ¹⁾. Et S. Ambrosius: »Jejunium refectio animae, vita Angelorum, culpa mors, remedium salutis, radix gratiae, fundamentum castitatis. Hoc gradu Elias ascendit, antequam curru" ²⁾. Hoc exercitium sensum poenitentiae atque saluberrimam peccatorum vindictam spirat. Quem in finem confessarius poenitentibus abstinenciam a cibo potuque praescribere poterit, ita tamen, ut nunquam non regulae et cautelae observentur, ne scilicet obliviscamur, quid valetudo, quidque ratio reliquorum officiorum et adjunctorum expetat. *Cavendum* igitur: a) ne natura per nimiam abstinenciam fracta, postmodum eo largiores refocillationes quaerat. »Per jejuniorum excessum debilitas stomachi, ex hac autem cruditas quaedam consequitur, quae parens libidinum est" ³⁾. b) Ne abstinencia, quae virtutis subsidium et conversionis medium esse debet, virtuti locum praeripiat. »Quid enim tenuatur corpus abstinencia, si animus intumescit superbia? Quam laudem merebimur de pallore jejunii, si invidia lividi simus? Quid virtutis habet vinum non bibere, et ira et odio inebriari" ⁴⁾? c) Ne abstinencia coram iis, quibuscum communi mensa utimur, forte singulare quid affectare videamur. Quapropter confessarius, dum poenitenti jejunium praescribit, his cautelis intendat, et, ubi poenitens ultra in se suscipere velit, cum summa tantum cautione permittat. Plurimum juvabit, poenitentem monere, ut pro abnegatione sui ipsius excepto casu necessitatis conveniens et statutum refectionis tempus servet, quin intermedio tempore quidquam cibi sumat; ne alimentis exquisitoribus et delicate conditis inhiat; ut illis, quae apponuntur non inordinata aviditate, sed pio semper fine utatur, et dum mensa largior instruitur, saltem aliquid sibi subtrahat, cum gaudio spiritus sancti Deo offerens.

Quin imo suadendum est poenitentibus, ut abnegandi nosmetipsos occasiones sollicitè considerent, quae nobis invitis occurrunt, v. g. dum ob singulares labores consuetam refectionis horam differre cogimur, dum cibaria minus grata, insipida, vel manu forsitan

¹⁾ S. Chrys. in Gen. hom. 1. — ²⁾ De Elia et jejun. c. 3. — ³⁾ S. Hier. ad Rust. — ⁴⁾ Hier. ad Celant.

parciosi opponuntur. Quodsi in ejusmodi casibus naturæ indigna-
tis motus compescere, nosque rerum circumstantiis promte acco-
modare studeamus, hæc nostri denegatio prae omni inedia divini
nobis benepacitam conciliabit. Praeclare S. Franciscus Sales
docet: »Magna in veneratione et honore habenda mihi videntur illi
verba Redemptoris nostri Jesu Christi, ad discipulos suos dicentis
»Manducate, quae opponuntur vobis.» Majoris, ut mihi quidem
detur, virtutis est indiscriminatim comedere, quicquid tibi offertur,
eo, quo id tibi apponitur, ordine, sive id tuo sapiat palato, sive
sipsiat, quam semper, quod deterius est, seligere. Licet enim haec
posterior agendi ratio videatur austerior, prior tamen plus contra
resignationis: per hanc quippe homo non solum gustui suo, sed
electioni suae renuntiat, uti non parva quaedam austeritas est, et
suum ad omnia adaptare, et eum omnibus obviis subijci.
His accedit, quod hocce mortificationis genus nequaquam emine-
nti nulli noceat, et vitae sociali maxime conveniens et proprium.
Cibum enim unum rejicere, quo alius sumatur, omnia delibare et
stare, nihil autem invenire, quod bene coctum, aut satis mundum
pareat, ad singulos morsus et buccellas mysteriosum agere, molli-
delicati, et lancium et catarinorum studiosi et attenti hominis in-
cium est. Pluris facio, quod S. Bernardus aquae aut vini loco ele-
biberit, quam si dato studio et ultro aquam absinthiatam bibisset
illud quippe signum erat, eum ad id, quod biberet, non respexisse
et in hac eorum, quae aut comedenda aut bibenda sunt, non cura-
tia, negligentia, perfecta verborum illorum: »Manducate, quae
opponuntur vobis,» praxis consistit. Semper tamen hic exopto
bos sanitati et valetudini noxios¹⁾.

Huc quoque spectat abstinentia a vino, vel saltem usus ejus-
dem moderatus et attemperatus, ut sanitati sufficiat, quin virtuti
adversetur.

Haec a vino potuque fervido abstinentia interdum omni
praescribi poterit poenitentibus, praecipue si constet, hujusmodi
potulenta plerumque ansam peccatis committendis dare, perque illud
temperamentum poenitentis alioquin fervidum ad certa quaedam
peccata v. g. irae, vindictae, impudicitiae, vehementius inflammari.

2. Evitatio socialium conventuum et oblectationum.

§. 175. Evitatio socialium conventuum et generatim oblectationum, earum etiam, quae in se nil mali continent, injungi poterit poenitentibus. In rebus licitis homo se ipsum vincere addiscat oportet, nisi vinci in rebus illicitis velit. Solitudo saltem per aliquos dies, et voluntaria gaudiorum per se licitorum denegatio int-

¹⁾ Philoth. P. III. c. 23.

opera vindicativa referenda venit, quae peccatorem in se suscipere oportet, ut suos in rerum terrenarum usu commissos reatus luit. A poenitentibus conventus, qui eorum emendationem vere impediunt, spectacula publica, saltationes, obscenas imagines, lectionem lubricam, nec non omnia, quae eos ad peccatum incitabant, vitari debere, et hanc illarum rerum evitacionem a confessario tanquam opus poenitentiae imponi posse, alioquin facile patet. Etenim propositam, occasionem peccati vitandi, est, ut dici solet, *conditio sine qua non* absolutionis obtinendae, et nonnisi eatenus ad opera satisfactoria referri potest, quatenus *spiritu poenitentiae* peragitur, nec remedium solum est conversionis, quo futura vitae emendatio facilius, imo possibilis redditur, sed etiam vindictae rationem habet, utpote quum saepe numero molesti acerbique aliquid continet.

3. Abbreviatio somni.

§. 176. Abbreviatio somni usque ad illud tempus, quod restaurandis hominis viribus necessarium est, quin vel animi vigor vel corporis valetudo, vel reliqua demum officia aliquid detrimenti patiantur, nonnunquam utiliter a confessario suadetur, imo praescribitur ceu opus satisfactorium. Sedulo tamen hic respiciendum est ad poenitentis statum, occupationes, corporis constitutionem, nec non, in quantum diuturnior somnus ad peccati commissionem cooperari possit. Experientia enim docet, quaedam peccata ab iis maxime committi solere, qui insomnes diutius in lecto commorantur. Inprimis notum est, quam periculosum sit juvenili aetati, somnum in multum diem producere, vel, quod pejus est, si quis vel somno jam discusso, vel blando sopore constrictus, plumis inhaerere pergit. Quapropter poenitentibus de hujusmodi peccato se accusantibus praescribi poterit, ut lectum non prius adeant, nisi somno jam superveniente, atque tum, quando somno cessante mala concupiscentia in iis evigilare forte incipiat, quantocius lectum relinquunt. Quae de lecto surrectio ipso noctis tempore fieri potest, nisi forte reliquae ex parte habitaculi circumstantiae obstant. Quid, si peccator surgat flexisque genibus supplices ad Deum preces fundat! S. Franciscus Salesius de hoc remedio monet: „Nox dormitioni est destinanda, et impendenda unicuique juxta suam complexionem, quantum scilicet ad utiliter per diem invigilandum requiritur. Et quoniam sacrae Scripturae diversis in locis et modis, exemplum Sanctorum et rationes naturales matutina crepuscula unice et mire nobis commendant, velut optimam et fructuosissimam diei totius partem, et quia Dominus ipse Sol oriens et beata Virgo Aurora consurgens in literis sacris vocatur, hinc probum et pium esse existimo, curare, ut vespere tempestive cubitum conscendamus, quo summo mane expergiscamus, et strato exurgamus. Hoc certe tempus amabilissimum est,

dulcissimum et minus impeditissimum, in quo et ipsae aviculae nos ad expergiscendum et Deum laudandum excitant adeo, ut mane summo surgere et sanitati et sanctitati mire conducat¹⁾.

4. Voluntaria molestorum laborum susceptio.

§. 177. Voluntaria susceptio laborum molestiorum taliumque rerum, quae sensualitati sunt ingratae, commendari potest. Quales in specie commendari, vel suscipi debeant, ex singularibus poenitentis adjunctis dijudicare oportet. Interdum defatigans aliqua deambulatio, ceu medium malam concupiscentiam facilius compescendi, inservire potest. Quodsi poenitens alioquin jam per statum saum certis quibusdam molestiis afficiatur, veluti laboriosa corporis virium intensione, aestus frigorisque perpessione, defectu ciborum satis nutrientium, paupertate, vilipensione ex parte aliorum hominum: confessario eo enitendum est, ut poenitentem doceat, hujusmodi mala et incommoda cum christiana patientia et resignatione, ex obedientia erga Deum, cui toties inobedientem se exhibuerat, cum humili reatum suorum ac poenae promeritae agnitione, cumque consilio pro peccatis satisfaciendi, in se suscipere et perferre. Quae quidem peccata luendi, ac pro iis satisfaciendi intentio generatim in omnibus exercitiis, quae sub titulo satisfactionis comprehenduntur, requiritur.

5. Mortificatio.

§. 178. Generatim studium suam commoditatem et voluptatem refrenandi, quadumcunque occasione sive qualicunque ratione illud fiat, a confessario poenitentibus commendandum erit. Studeat autem confessarius poenitenti persuadere, cuilibet esse summe necessarium, ut suis malis concupiscentiis dominetur; at vero caveat, ne forte ridicula, vel nimis ardua exercitia praescribat, utpote quae cultiorem exacerbatura, incultum autem frustra vexatura tantum forent. Quodsi poenitens ipse impositionem operum mortificationis externae petat, confessarius ejus statum, corporis constitutionem, negotia, sanum vel praeceptum ejus judicium, nec non eos, quibuscumque conversari solet etc., diligenter attendat, nec nisi talia opera praescribat, quae poenitens absque suo et aliorum detrimento exercere potest, quaeque immediate ad debilitandam ejus malam concupiscentiam faciunt. „Aliter enim est judicandum de fine, aliter de his, quae sint ad finem. Illud enim, quod quaeritur tanquam finis, absque mensura quaerendum est; in his autem, quae sunt ad finem, est adhibenda mensura secundum proportionem ad finem. Est ergo

¹⁾ Philoth. P. III. c. 23.

considerandum, quod in spirituali vita *dilectio Dei* est sicut finis, jejunia autem, vigiliae et alia exercitia corporalia non quaeruntur tanquam finis, sed adhibentur tanquam media necessaria ad finem; et ideo hujusmodi sunt adhibenda cum quadam mensura rationis; ut scilicet concupiscentia dometur, et natura non extinguatur, juxta illud S. Apostoli: „Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem — — — rationale obsequium vestrum” 1). Et S. Gregorius: „Plerumque cum plus justo caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur, ut ad orationem quoque vel praedicationem non sufficiat. — — Saepe dum hostem insequimur, etiam civem, quem diligimus, trucidamus.” Neque exempla desunt, tales, qui ab initio severitate nimia semet affligerunt, postea vel ejusdem pertaesos ad seculum rediisse, vel saltem ad vires suas recuperandas mollibus studuisse ac cupediis 2). — Illustrissimus Episcopus Saller auream istam regulam in memoriam revocat, quam S. Salesius et alia Ecclesiae lumina commendarunt: „Nullam corporis castigationem esse suscipiendam, nisi exquisito antea prudentis confessorii consilio. Corpus regendum est, non frangendum.” Idem cuilibet virtutis studioso suadet, ut, priusquam voluntarias mortificationes in se suscipiat, illis se submittat, quas ipsius vitae genus, sive agnatum aliquod officium secum adducit, sive quas providentia divina per vitae discrimina imponit, quae igitur alioquin cum aliis officiis quasi jubentur, adeoque involuntariae commode dici queunt. Huc, ut pauca tantum moneam, spectant labores, quotidianae sollicitudines, vigiliae atque incommoda, multiplices infirmitates, aegritudines corporis et animi, diversi eventus, quibus bonis nostris, amicis et charissimis spoliatur, molestum contubernium cum hominibus stupidis, morosae indolis, neglectus et contemptus, quem non solum ab improbis, sed et probis experiri solemus, hinc inde sancita Superiorum, quae utcumque sensul molesta videantur etc. Hujusmodi castigationes, quas ipsam jam nostrum manus ac officium secum fert, quaeve singulari aliqua necessitate et aerumna nobis imponuntur, externas etiam reliquis praestant, quod sint a propria voluntate et a fastu magis liberae, adeoque puriores, quam voluntarie electae. Pulcherrimo S. Franciscus Salesius causam praesentem explicat. Postquam similitudinem ab amygdalo desumptam retulit, his pergit verbis: „Nunquam illorum approbare potui methodum, qui, quo hominem reformant, ab exterioribus, a gestibus, vestitu et scribis, inquam, initium ducunt. Imo vero contra, ab interioribus mihi videtur incipiendum. Dicit enim Dominus: „Convertimini ad me in toto corde vestro.” Et: „Fili, praebete mihi

1) S. Thom. Quodl. 5. art. 18. — 2) De nimio excessu in hac re, vide S. Basil. libr. de Virg. 8. Greg. M. Mor. libr. 30. c. 14. S. Bern. Serm. 49, in Cant. Gerson. Tract. de myst. Theol. consid. 10.

cor tuum." Cum enim cor actionum omnium sit origo et fons, quod illud est, tales erunt et haec. Sponsus sacer animam ad amorem, invitans: „Pone me, inquit, et signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum." Et vere; nam quicumque Jesum Christum intus in corde suo habet; statim eum etiam in omnibus actibus suis exterioribus habet. Hac de causa ante omnia cordi sacrum et sanctum illud symbolum et verbum: Vivat Jesus! inscribere, et inscribere volui; certus quippe sum, vitam tuam, quae in corde, sicut amygdalus e suo nucleo ortum habet et nascitur, exinde omnes actiones suas, quae ejus quodammodo fructus sunt, haec eodem verbo salutis inscriptas et insculptas producturam; et sicut dulcis hic Jesus in corde tuo vivet, ita et in omnibus gestibus et moribus tuis victurum, et in oculis, ore, manibus, quin et in omnibus tuis appariturum, ut sancto cum Apostolo Paulo dicere possis. „Vivo ego, jam non ego, vivet vero in me Jesus Christus." Denique qui hominis cor lucratus est, totum jam hominem se lucratus¹⁾.

Quae tamen non ita intelligenda sunt, ac si *externae mortificationi*, Sanctorum piorumque hominum exemplo commendata *quidquam derogare velimus*, idque eo minus, quo magis verbis Hugonis a S. Vict. ²⁾ in aevum nostrum juro meritoque cadunt „Ecce diabolus Physicam docet; ecce medicus factus est; de complexionibus loquitur; infirmitates diversas, si teneatur Religio generari praedicat. Sed quare hoc? Non ut mederi velit, sed ut occidere possit; non ut aegritudines curet, sed ut securius inferat mortem." Positivae enim corporis afflictiones ad carnis petulantiam reprimendam, aut ad contractos malos habitus emendandos, ad fervendum poenitentiae fervorem, ad facilitatem in suimet abnegatione comparandam, atque adeo ad christianae virtutis custodiam perfectionemque quandoque conferunt. Jam Seneca memoratu digna haec verba protulit: „Ad majora natus sum, quam ut sim mancipium corporis mei. Dum carni parcimus, contra nos hostes nutrimus. Et S. Paulus: „Omnia, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Ego igitur sic curro, non quasi in incertam; si pugno, non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicavero, ipse reprobus efficiar"³⁾. Carnis castigationes saepe fructus sunt nati ex permagno poenitentiae fervore ac peccati detestatione quod in semetipso poenitens vindicare studet, ut a Deo mitius puniatur. Verum fateri oportet, fieri posse, ut quis externam mortificationis exercitiis abutatur, quatenus negligat ea, quae in hoc gravissimo negotio prima semper et principalis cura esse debent, sine qua omnis corporalis exercitatio nihil valet. Quisquis

¹⁾ Philoth. P. III. c. 23. — ²⁾ Libr. de Claus. c. 2. — ³⁾ I. Cor. IX. 25. 26

interna sua justo minus refrenat, similis erit viro stulto, qui aedificabit domum suam super arenam, et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna ¹⁾.

III. E l e e m o s y n a .

§. 179. Sub eleemosyna tanquam opere satisfactorio intelliguntur omnia opera christianae charitatis, quibus tum corporalis, tum spiritualis aliorum salus adjuvatur; sive ad eleemosynam refertur omne genus misericordiae tum spiritualis, tum corporalis, ut ajunt, id est, charitas, beneficentia singularis aliis indigentibus exhibita. Plura exstant loca S. Scripturae, quibus opera misericordiae commendantur, velut efficacissimum remedium tum ad impetrandam a Deo remissionem peccatorum, tum etiam ad proficiendum in gratia adeptam, in eaque perseverandum usque ad finem. E. gr. „Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem ab ullo paupere, nec a te avertetur facies Domini” ²⁾. „Eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat, non patietur animam ire in tenebras” ³⁾. „Conclude eleemosynam in corde pauperis, et haec pro te exorabit ab omni malo” ⁴⁾, „Peccata tua eleemosynis redime” ⁵⁾. „Beati misericordes.” „Venite benedicti Patris mei etc.” ⁶⁾. „Quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis” ⁷⁾. S. Chrysostomus pulchre ait: „Tanta est eleemosynae virtus tantaque potentia, ut vincula peccatorum dissolvat, fuget tenebras, extinguat ignem, mortificet vermem, expellat stridorem dentium. Huic cum multa fiducia coeli portae aperiuntur, et veluti Regina intrante, nullus janitorum, aut custodum, qui portis assistunt; audet dicere: quae tu es, vel unde? sed omnes eam suscipiunt” ⁸⁾. *Duo* autem hic *errores vitandi*, quorum primus eorum, qui testimonia Scripturae in commendationem operum misericordiae adducta solitarie considerantes, ita fidunt eleemosynis, quas largiuntur, ac si illae solae ad salutem sufficerent, et hinc in peccatis perseverandi ansam arripiunt: quibus oportet ob oculos ponere illud Apostoli: „Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest” ⁹⁾. Alter est eorum, qui existimant, eleemosynas in statu peccati mortalis factas, esse prorsus inutiles ad salutem aeternam. Licet enim elargitione eleemosynarum aut aliis bonis operibus homo non possit de condigno mereri gloriam coelestem, potest tamen per haec se disponere ad remissionem peccatorum et receptionem gratiae sanctificantis, eamque impetrare.

¹⁾ Matth. VII. 26. — ²⁾ Tob. IV. 7. — ³⁾ Tob. IV. 11. — ⁴⁾ Eccl. XXIX. 15. — ⁵⁾ Dan. IV. 24. — ⁶⁾ Matth. V. 25. — ⁷⁾ Luc. XI. 41. — ⁸⁾ Hom. 32. in Epist. ad Hebr. — ⁹⁾ I. Cor. XIII. 2.

Haecce vis non inest operibus misericordiae, quatenus procedunt ex mere naturali inclinatione, subveniendi miseriae proximi, sed quatenus a *Spiritu sancto* non quidem inhabitante, sed movente cor peccatoris, per auxilium gratiae actualis *originem ducunt*, et ad Deum offensum placandum peccatorique reconciliandum referuntur. Inter omnia misericordiae opera eminent voluntaria a proximo illatarum injuriarum remissio: „Dimittite, et dimittetur vobis.” — Misericordiae opera corporalia et spiritualia in catechismo exhibentur fidelibus suggerenda. De his valet illud S. Augustini effatum: non solum qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, aegro vel incluso visitationem, captivo redemptionem, debili subvectionem, coeco deductionem, tristi consolationem, non-sano medellam, erranti viam, deliberranti consilium, et quod cuique necessarium est, indigenti: verum etiam, qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat”¹⁾).

Quodsi confessarius sensim accuratorem poenitentis ejusque status et rerum domesticarum notitiam sibi comparaverit, haud difficile erit eidem, speciales bene operandi casus assignare.

Compensatio damni aliis quocunque modo illati, sive respectu possessionis, sive honoris, strictum poenitentis officium est. Quodsi autem hoc justitiae officium expleverit, aut saltem consilium cuilibet debitam satisfactionem praestandi ceperit, illudque, quantum quidem hucusque fieri poterat, executioni dederit, tunc instituatur ad exercenda opera charitatis, quae opposita sunt illis vitiis, quibus hucusque servierat.

B.

Satisfactionis opera specialia.

§. 180. Praeter satisfactionis opera *generalia*, quae conversionis et perfectionis christianae remedia sunt et subsidia, opus est quoque adhibere *specialia*, quae contra particularia peccata diriguntur, et adversus peculiarem animi aegritudinem valent. Inter haec primum locum obtinet contraria cuique vitio virtus; ut enim clavus clavo pellitur, et contraria contrariis curantur, ita pariter id ipsum in vitiis curandis fieri quotidiana experientia ostendit. Porro monstrare juvat cujusque vitii foeditatem ex specialibus illius proprietatibus et effectibus; ut si e. g. ostendatur, quam absonum et absurdum sit superbire ob dona, quae non sunt propria, sed mutuata tantum a Deo; avarum congregare divitias in loco, ubi non est mansurus diu, negligere autem opes, quas secum accipere, iisque aeternum frui potest etc. Denique plurimum valet, singillatim ad hoc vel illud vitium extirpandum et virtutem fovendam, loca S. Scripturae, et

¹⁾ De fide, spe et charitate c. 62.

Passionem Domini considerare, qui pro peccatis nostris tot ac
tanta pertulit opprobria et tormenta; quin imo et mortem ignomi-
nio sissimam.

Singillatim specialia pro vitiis capitalibus, ad quae cetera fa-
cile revocantur, opera satisfactoria annotare placet in usum junio-
rum confessariorum, ut haec distinctius agnoscant, atque adeo faci-
lius applicare possint. Quae vero a nobis ita dicuntur, *ut simul*
ea hortationi inservire possint. En igitur!

Contra superbiam et vanam gloriam.

§. 181. Superbia, teste Scriptura, fons est omnium peccato-
rum. Propria, quae confessarius huic vitio applicabit remedia, sunt
speciales considerationes frequentes, quibus homo miseram suam
conditionem et statum potest agnoscere; cum superbia nihil aliud
sit, quam immoderatus appetitus et cupiditas propriae excellentiae
et praecminentiae. Quamobrem confessarius, cum poenitentem hoc
vitio laborantem offenderit, pro illius curatione ei injungere poterit,
 1) ut seria meditatione frequenter expendat sacrae Scripturae loca,
 quibus Spiritus sanctus superbiam aliaque ei annexa vitia reprobant
 ac detestatur, oppositam vero humilitatis virtutem extollit et com-
 mendat, ut: „Initium omnis peccati superbia”¹⁾. „Superbiam nun-
 quam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas, in ipsa
 enim initium sumpsit omnis perditio”²⁾. „Quanto magnus es, humi-
 lia te in omnibus”³⁾. „Omnis, qui se exultat humiliabitur”⁴⁾. „Filius
 hominis non venit ministrari, sed ministrare”⁵⁾.

2) Cogitet, hominem, quamvis alio nullo malo gravaretur,
 quam sola superbia, nihilominus hanc unam ob causam fore mise-
 rum, contemptum et odiosum apud omnes; praesertim apud Deum,
 qui, ut scriptum legimus, „superbis resistit, humilibus autem dat
 gratiam”⁶⁾. Quod exemplis poenarum docere possumus, quibus
 crimen hoc initio mundi tam in Angelis, quam in hominibus Deus
 vindicavit. Etsi nobis ad fugiendum hoc vitium abunde exemplo
 possit esse ruina Luciferi, qui propter hoc in abyssum Gehennae
 praecipitatus est; quanto magis aversabimur illud repetitis in animo
 nostro tot exemplis altis, quae in sacris literis commemorantur,
 earum praecipue, quos Deus ob hoc peccatum in hac etiam vita ve-
 re graviterque punivit, ut Saulum, Roboam, Nabuchodonosorem,
 Antiochum aliosque plures⁷⁾. De *Anania et Saphyra* Act. V. ait
 S. Basilus, quod inani gloria ducti, facultates suas terrenas ven-

1) Eccli. X. 15. — 2) Job. IV. 14. — 3) Eccli. III. 20. — 4) Luc. XIV. 11.

5) Matth. XX. 28. — 6) Jac. IV. 6. Petr. V. 5. — 7) I. Reg. XV. 26. III.

Reg. XII. 19. — Dan. IV. 30. I. Mach. VI. 12. 13.

didissent, ut perfecti haberentur, permisisse Deum, mediam proffert partem sibi retinere, propter quod repente utrumque mortuum fuisse, simulque cum vita honorem, quem affectabant, amisisse.

3) Secum expendat, quam benevolum et amicum se Deus humilibus exhibeat, variaque et magna dona concedat. Rex Achab, quod se coram Deo humiliasset, evasit poenas, quas Deus fuerat illi minatus ¹⁾. Publicanus etiam propter humilitatem descendit justificatus in domum suam, cum Phariseus ob superbiam fuerit reprobatus ²⁾. Eodem ergo modo, cum se justi humiliant, in eadem a Deo justitia exaltantur; augentur enim illis sanctitas et dona gratiae, honorque et gloria, quam propterea promerentur. Id quod singulariter in laudatissima Beata Virgine Maria spectari potest, quae propter excellentem suam humilitatem adeo exaltata fuit, sicut in hymno suo: *Magnificat* etc, ipsa confitetur.

4) Recordetur poenitens, quam multis imperfectionibus et defectibus laboret, quandoquidem humilitas, qua vitium superbiae veluti suo contrario curari debet, ex verissima imperfectionum et defectuum, nec non omnigenae a Deo dependentiae agnitione nasci solet. Profecto ingentes quisque in vita ante acta lacunas reperit, de quibus merito erubescat, nam „in multis offendimus omnes” ³⁾. „Et qui dicit, se peccatum non habere, mendax est” ⁴⁾. Quot mentis maculae Deo omniscio nudaee et apertae erunt, quae notitiam et attentionem nostram hucusque latent, dum ipse Apostolus fatetur: „Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non justificatus sum” ⁵⁾. Quot infirmitates adhuc in nobis experimur! Quantum a requisita intentionis puritate distamus, et quanta est inconstantia nostra in exsequendis bonis propositis! Hinc S. Basilius consilium praebet ad superbiam retundendam: „Si quando te praesens benefactum non nihil elatum reddit, ad memoriam revoca, quod olim mali feceris, et cessabit inflata elatio” ⁶⁾. Recordetur, quod omnia bona, quae nobis sive per nativitatem, sive per educationem, sive per prosperum rerum nostrarum cursum obtigerunt, aliud non sint, nisi dona Dei, a quo, omnis bonitatis fonte, cuncta decurrunt, et ex cuius voluntate omnia per singula momenta pendent; quod bona opera et merita nostra, quorum quidem auctores sumus, nonnisi tamen ex sanctificante gratia descendant, et quod voluntas nostra de torpore suo nunquam soluta, et sat robusta fuisset absque gratia superna, quae mentem nostram praevenit, penetravit et invictam fecit. Haec Apostolus considerabat, cum diceret: „Quid babes, quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis” ⁷⁾. Cave igitur, pauper superbe, ne Deus te arguat, sicut illum superbum: „Nescis, quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et caecus, et nudus” ⁸⁾?

¹⁾ III. Reg. XXI. 29. — ²⁾ Luc. XVIII. 14. — ³⁾ Jac. III. 2. — ⁴⁾ Joh. I. 8.

⁵⁾ I. Cor. IV. 4. — ⁶⁾ Hom. de Humil. — ⁷⁾ I. Cor. IV. 7. — ⁸⁾ Apoc. III. 17.

caecus, qui te non cognoscis. *pauper* virtutum, *nudus* bonorum *peccatorum*, gravibus vero culpis *miserabilis*. Quid igitur superbis?

Meminerit etiam, quod alii, quibus se anteponit, praediti sint illis donis et virtutibus, quas ille non cognoscit, et quae sunt suis constantiores. — Cogitet quoque, quæ res omnes hujus vitae, de quibus mortales tantopere exultant et gloriantur, ut honos, favor, utilitas, divitiæ, vanæ sint et inconstantes, caducae et veluti fumus evanescentes. Quare inane est et superfluum, de hoc se jactare, quod adeo caret omni fundamento, et instabile est ¹⁾.

5) Juvabit quoque praescribere, ut saepius viva fide sibi proponat exemplum Christi Salvatoris, ut discat ab eo, non superbire, sed humillem esse: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in humili stabulo natus, circumcissus octavo die ut peccator, triginta annis latitans, filius fabri reputatus, tribus ultimis vitae annis a scribis et Phariseis, et tempore Passionis, a militibus despectus, contemptus, derisus ac denique inter duos latrones cruce pendulus, tanquam novissimus virorum factus opprobrium hominum et abjectio plebis, humiliavit semet ipsum usque ad mortem, mortem autem crucis. „Erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus ²⁾.”

6) Ut vero ex his considerationibus efficaciter moveatur superbi animus ad humilitatis amorem, et superbiae odium, inculcentur ei orationis necessitas, praescribaturque, ut quotidie statis temporibus, ac praecipue tempore sacrificii missae ferventi prece idcirco a Deo per humilitatis Christi meritum infinitum postulare non cesset. Quoties insuper per diem superba cogitatio animum pulsaverit, vel se interius convertat ad Christum humiliatum, ut ejus exemplo roboratus, in humilitate persistat; vel sententiam aliquam Scripturae sacrae, qua humilitas commendatur, animo volvat, ut ea veluti gladio spiritus omnem a se superbiam propulset, adjungendo orationem aliquam jaculatoriam ad divinum auxilium obtinendum, sicut: „Non nobis, sed Nomini tuo da gloriam.” „Discite a me, quia humilis sum corde.”

7) Pro remedio autem *vanae gloriae*, *jactantiae* et *ambitionis*, praeter dicta utile erit considerare, quam vere sint *vana*, quae obprobrium oculis divinis homini nihil possunt adjicere; imo quam sint *nociva*, quae non solum bona opera nostra privant coelesti mercede, juxta illud Salvatoris: „Receperunt mercedem suam,” verum etiam optima quaeque operantes divinae ultioni reddunt obnoxios: „Deus enim dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos” ³⁾. „Proh dolor, ait S. Chrysostomus

¹⁾ Cf. Dux peccatorum Ludov. Granat. Colon. 1618. p. 609. — ²⁾ S. Aug. in Psalm. XVIII. — ³⁾ Psalm. LII. 6.

mus, qui saepe pecunias mundi, illecebras et vehementiores corporis voluptates valere jubent, hi nonnunquam innani gloria capti omnia perdidērunt¹⁾.

Contra avaritiam.

§. 182. Avaritiae crimen ita Deo pariterque hominibus est exosum, et in sacris literis maledictum, ut Sapiens dicat: „Avaro nihil est scelestius”²⁾. Aequum ergo est et necessarium, ut confessarius adcuratus sit cum suo poenitente in crimine hoc pervestigando, itemque ut idonea et opportuna remedia praescribat illi, quos hoc peccato coinquinatos deprehenderit, quod, ut Apostolus docet, „radix est omnium malorum”³⁾.

Quoniam autem avaritiae vitium reponitur tam in divitibus, qui opes suas immoderate amant et retinent, quam in pauperibus, qui inordinata cupiditate divitiis, quas non habent, acquirendis incumbunt, utrisque remedia quaedam a confessario praescribenda sunt. Et quidem *poenitenti avaro, si pauper est*, injungere poterit confessarius, ut frequenter consideret, Christum Dominum a pueritia paupertatem elegisse, eamque magno studio et sedulitate cum in vita, tum in morte coluisse, idem quoque fecisse sanctissimam ejus matrem, sanctos Apostolos, praecipuosque viros ac servos Dei. Ex quo licet colligere pauperum conditionem, si oculo fidei inspiciatur, honoratiorem et beatiorem esse conditione divitum, utpote a Christo Domino, et praecipuis Sanctis magis adamatam et cultam. Praeterea ut secum cogitet, huic vitae, quae veluti transitus est, pauca necessaria esse ac sufficere, illaque pauca, nempe cibum et vestimenta, quibus Apostolus⁴⁾ nos contentos esse jubet, sine tanta contentione et molestia, quibus se divites onerant, acquiri posse, cum Dominus haec daturum et adjecturum se promiserit illis, qui in primis regnum Dei quaesierint, et justitiam ejus⁵⁾. Meminerit saepe, quod melius sit modicum justo super divitias peccatorum multas; quod non sit inopia timentibus Deum, quod magnus sit quaestus pietas cum sufficientia; quod optimae literae censuales sint illa Christi promissio: „Quaerite primum regnum Dei, cetera adjicientur vobis”⁶⁾.

Juvabit etiam ad nimiam divitiarum cupiditatem comprimentam poenitenti inculcare frequentem ac seriam considerationem sententiae Paulinae: „Qui divites fieri volunt, incidunt in tentationes, et in laqueum diaboli”⁷⁾; quod multa exempla tam ex sacris literis, quam ex profanis historiis testatum reddunt. Sufficere

1) Hom. 28. in Joan. Cfr. Ludov. Granat. l. c. p. 610—613. — 2) Eccli. X. 9. — 3) I. Tim. V. 10. — 4) I. Tim. IV. — 5) Matth. VII. 20. — 6) Matth. VI. 33. — 7) I. Tim. VI. 9.

potest, quod legitur de Gienni ¹⁾, qui hanc ob causam lepra percussus est; item mors Ananiae et Saphyrae ²⁾; infelix etiam Judae proditoris ³⁾ exitus cum multis aliis, qui in scopulum hujus criminis impacti naufragium fecerunt.

Diviti avaro, ne cor suum divitiis affixum teneat contra momentum prophetarum: „Divitiae si affluent, nolite cor adponere” ⁴⁾; eadem considerationes utiliter praescribentur, quibus et aliae magis competentes adjungi poterunt; puta: opes nunquam satietatem adferre, sed e contra, quo plus augmentur, eo magis habendi sitim et aviditatem accendere, adeoque merito divitias comparari aquae salis, quae cum deberet sitim extinguere, magis eam accendit; summam proinde stultitiam esse, desiderio ferri in id, quod majorem dolorem ac cruciatum prae se fert.

Plurimum etiam proderit, si poenitens avarus jubeatur identidem recordari mortis, quae omnibus hisce fortunae bonis, maximo labore paratis, et anxia sollicitudine servatis, possessores suos brevi demittet, juxta illud Apostoli: „Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possimus” ⁵⁾. „Stulte! hac nocte animam tuam repetent a te, et quae parasti, cujus erunt ⁶⁾?” Cur ergo tanta aviditate corraduntur, custodiuntur opes, quae tam celeriter diffluunt, et aliis relinquuntur, qui eas pro libitu suo usurpant; et insument fortassis in animae suae perniciem sempiternam, irrisuri etiam eos, a quibus relictas fuere.

Utiliter quoque confessarius injunget, ut poenitens saepius animo revolvat inestimabiles et incorruptibiles thesauros coelestes, quae neque fures effodiunt, neque tinea demolitur, nec aerugo consumit; qui ad omnia sunt utiles, quibus vera beatitudo et regnum coeleste emittitur; qui facili labore acquiruntur, cum magno solatio et securitate possidentur, et cum inexplicabili voluptate in alterum mundum evahuntur, quorum comparatione nihil omnino sunt omnes ubique terrarum opes. Et hoc est, quod a S. Gregorio dictum est: „Si consideremus, inquit, quae et quanta sunt promissa in coelis, viliseunt animo omnia, quae habentur in terris ⁷⁾. Hos vero thesauros coelestes non inhiantibus terrenis divitiis, sed paupertatem amantibus promisit Dominus. „Beati, inquit, non divites, sed pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.” Et e contra: „Vah vobis, ait, divitibus, quia habetis hic consolationem vestram.” „Facilius est, camelum (funem) per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum coelorum” ⁸⁾.

Maxime vero *opulentis et divitibus avaris* pro satisfactione injungi debet, ut eleemosynas erogent. Quod aliquando fieri tempore

¹⁾ IV. Reg. V. 26. 27. — ²⁾ Act. V. 3. — 10. — ³⁾ Act. I. 18. — ⁴⁾ Psalm. LXL. 11. — ⁵⁾ I. Tim. VI. 7. — ⁶⁾ Luc. XII. 16. — ⁷⁾ Hom. 37. in Evang.

⁸⁾ Luc. VI. et Math. XIX, 24.

continuato magis expedit, etiamsi parum detur, quam uno tempore multa largiri; nam ex assidua consuetudine saepius eleemosynas dandi paulatim habitus et exercitatio liberalitatis nascitur, qua studium avaritiae disturbatur; quod tamen prima et secunda vice, licet eleemosynae multo largiores essent, non efficeretur. Pariter pro hujus vitii remediis suaderi potest, ut orphanos nutriant; in studiis alant, aliaque misericordiae corporalis opera faciant.

Contra duritiam et immisericordem animum in pauperes.

§. 183. Contra duritiam et immisericordem in pauperes animi affectum, refutatis praetextibus, quibus multi divites ab obligatione eleemosynae dandae conantur sese eximere, primi remedii loco est consideratio seria praeepti dandae eleemosynae ¹⁾. «Ne dixeris, inquit S. Ambrosius ²⁾, redi, cras dabo. Qui non patitur dicere, cras dabo, quomodo patitur dicere, non dabo? Non de tuo largiris pauperi, sed de suo reddis. Quod enim commune est in omnium usum datum, tu solus usurpas? Omnium est terra, non divitum: sed pauciores, qui non utuntur suo, quam qui utuntur. Debitum igitur reddis, non largiris indebitum. Ideo tibi dicit Scriptura: «Declina pauperi animam tuam, et redde debitum tuum.» «Superflua divitum, ait S. Augustinus, sunt necessaria pauperum.» Et alibi: «Si nihil amplius habes in substantia tua, quam tibi tuisque in victu, vel in vestitu rationabili et mediocri sufficit, sola tibi potest bona voluntas (scilicet dandi eleemosynas) sufficere, sed rogo te, conscientiam tuam interroga, ne forte aliquoties per ebrietatem, intemperantiam, convivia, lusum etc. perdas, quod per eleemosynam dare potueras, ne forte delicias praeparando, ornamenta ac luxum comparando, non habeas, quod pro remedio animae tuae possis pauperibus erogare» ³⁾.

Secundum remedium sit, ut poenitens dives, qui hactenus immisericors fuit erga pauperes, frequenter cogitet, Deum qui Pater est omnium, non velle, ut alii sint ita divites, ut abundant superfluis, alii ita pauperes, ut careant necessariis, sed velle, alios esse divites, alios pauperes, ut illi per misericordiam, isti per patientiam salutem consequantur. «Cur tu dives, ille pauper? ait S. Basiliius, profecto non aliam ob causam, nisi ut tu benignitatis ac fidelis administrationis mercedem accipias, ille vero patientiae maximis praemiis honoretur» ⁴⁾.

Tertium remedium sit, attente considerare, pauperes praesertim fideles, Christi membra esse, in quibus proinde ipse Christus juxta dicta sanctorum patrum, velut caput mysticum, necessitatem patitur, adeo ut eleemosynae quae pauperibus erogantur, ipsi Chri-

¹⁾ Matth. XXV. Eccli. IV. I. Joan. III. — ²⁾ S. Ambr. de Nab. c. 12. —

³⁾ In Psalm. XLVII. et serm. 227. de temp. — ⁴⁾ Hom. 6.

sto censeantur conferri, quod Matthaei locus testatur his verbis: „Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis mihi fecistis” ¹⁾. Unde etiam, cum S. Martinus Tournonensis episcopus, adhuc miles existens et catechumenus, Ambiani pauperi nudo Christi nomine eleemosynam petenti partem chlamidis dedisset, sequenti nocte Christus illa vestis parte indutus ei apparuit, hanc emittens vocem: Martinus catechumenus hac me veste contextit.”

Quartum remedium sit, attenta consideratione saepe expendere amplissimas promissiones, quibus Spiritus sanctus in Scripturis sacris divitum corda excitat ad misericordiam in pauperes exhibendam. Ex. gr. „Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus” ²⁾. „Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur” ³⁾. „Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae, — — — non perdet mercedem” ⁴⁾. Item serio recogitare horrendas comminationes, quibus idem Spiritus sanctus in Scripturis sacris passim terrere solet divites immisericordes, e. g. „Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, ipse clamabit, et non exaudietur” ⁵⁾. „Cor durum habebit male in novissimo” ⁶⁾. „Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam” ⁷⁾.

Denique nihil efficacius esse potest ad duritiam divitum erga miseros et egenos corrigendam, imo auferendam, quam seria consideratio integri contextus verborum Christi Judicis Matthaei capite XXV. — — Certe quovis adamante duriozem esse oportet animum, qui his Filii Dei promissis non emollitur, nec terroribus flectitur: nec aliud ei praesidium restat, quam ut humili ac ferventi oratione interioris gratiae auxilium a Spiritu sancto indesinenter exoptulet, quo omnis cordis in pauperes durities penitus auferatur.

Contra peccata impudicitiae.

§. 184. Ex omnibus fere peccatis forte impudicitia, pro dolor! est maxime communis, quae homines in statum sane miserimum praecipitat. Impudicitia quoque est, quae confessarios occupat, ut horrorem ejus inspirent et media illam effugiendi propinent. — Haec passio cum admodum importuna, frequens et violenta sit, ante omnia confessarius, qui eidem mederi cupit, totum se impendat illis, quos illa impetit: misereatur eorum, suscipiat illos semper cum charitate, soletur et animet. Qua regendi ratione efficies, ut revertantur cum fiducia ad sacrum tribunal, tentationes suas detegant, se-

1) Matth. XXV. 40. — 2) Psalm. XL. 1. — 3) Matth. V. 7. — 4) Matth. X. 42. — 5) Prov. XXI. 13. — 6) Eccl. III. 27. — 7) Jac. II. 13.

que sincere, et quin quidpiam diminuunt aut dissimulent de commissis, incensent. His servatis *inspirabis* ejusmodi poenitentibus:

1) *Amorem et aestimationem, quam potes maximam, putatis.* Semper nominabis illam virtutem sanctam virtutem angelicam, ut tanto plus illi concilies aestimationis. Monebis hac virtute attolli nos, et levari supra nosmetipsos, supra quasvis inclinationes nostras, utcunque fortes et vehementes similesque Angelis effectus. Monebis castos prae ceteris amari diligique a Deo. „Qui diligit cordis munditiam, — — habebit amicum regem“ ¹⁾. In aeternitate futuros illos in comitatu sponsi sui primos et proximos. „Virgines — — sequuntur Agnum quocunque ierit; sine macula enim sunt“ et cantabunt canticum novum, quod nemo potest canere ²⁾.

2) *Repraesentabis impuritatem* quantacunque illa sit, *ut et vitium Spiritui sancto maxime contrarium, ut vitium turpe et obiectum*, quod non tantum animam contaminat, sed et corpus — vivum Spiritus sancti templum — et cujus sola apud alios suspicet ruborem nobis elicit; *ut peccatum adeo periculosum, cujus habitus promte et facile contrahitur, ex quo ardue et ita raro emergitur, ut plerique, qui in illud labantur, funeste in eo etiam pereant; ut peccatum, quod tentationibus, quas continuo excitat, et remorsibus omnem quietem et pacem et tranquillitatem animae tollit.*

Haec argumenta bene apud te expendas necesse est, ut accommodare poenitentibus possis, ac plane instillare more nutritivum quae cibum durum in lac convertit, suique providet alumni necessitati. Praecipua autem cura ipsis persuadeas veritatem nunquam tantis inculcandam, quod, quanto magis accumulatur peccata, tanto reddatur difficilior consecutio salutis; et quanto pronius est, in hoc vitium delabi, tanto difficiliter sit inde emergere. Qui hoc persuadet securim mittit ad radicem arboris. Dic illud, quod nunc est durissima crystallus, quid fuit aliquando? Fuit tenuis vapor. Vapor hinc primo coalluit in nebulam, tum condensabatur in nivem, inde congelatus in glaciem, denique induratus in petram. Sic etiam tentatio quae ab initio levis erat vapor, et solvebatur radiis non vehementibus solis, demum repetitis actibus solidatur instar crystalli, et ferri resistit. Visum sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus, consensum opus, opus consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem condamnatio.

3) *Exhibebis mala huic vitio conjuncta.* Quantam malorum multitudinem fallax haec pestilentia secum trahit! Primo famam pollet, quae inter res humanas est pretiosissima, quam quis habere potest, nec ullum peccatum est, quod turpiorem secum infamiam trahit luxuria. Deinde et vires hominis enervat, pulchritudinem au-

1) Prov. XXII. 11. — 2) Apoc. XIV.

fert, sanam laedit dispositionem, parturit infinitos morbos, qui et immundi sunt et infames; flori juventutis insidiatur, nec illum sinit efflorescere; ante annos inducit senium, frangit vires ingenii; subtilitatem hebetat intellectus, et hominem brutis animalibus facit similem. Abstrahit hominem ab omnibus honestis studiis atque exercitiis et submergit in pelago carnalium voluptatum ita, ut nec audeat miser homo, nec appetat quidquam loqui aliud, nisi de rebus inhonestis et carnalibus. Reddit juvenes stolidos et infames, et senes exponit hominum ludibrio. Nec contentum est hoc vitium, eo modo homines ipsos perdidisse, nisi etiam facultates et divitias illorum evertat et dissipet. Probantur haec omnia exemplo filii prodigi, qui dissipavit omnem substantiam suam vivendo luxuriose¹⁾. Atque his omnibus malis succedit in hac vita jactura gaudii bonae conscientiae, in futuro vero gloriae sempiternae, et permissio poenarum, quae finem non sunt habiturae. »Momentaneum est, inquit S. Gregorius, quod delectat; aeternum, quod cruciat²⁾.

Continuatio.

§. 185. Quod si poenitens, his momentis, ad ingenerandum sanitatis desiderium conducentibus, sincera mente desideret sanitatem, nondum salutis portum tenens, terram tamen prospiciens, eidem aptissima quaeque remedia praescribantur, quibus emergat ex hoc peccato, simulque praeservetur. Sunt autem haec vel ejus generis, ut removeant, quae alimentum praebent peccato, suntque *causa ac radix luxuriae*, vel talia, quae libidinis ardorem supprimunt, et casti spiritus amorem instillant ac ingenerant. Sic quantum ad priora impudicitiae causa esse solet 1) *cohabitatio, consortium et alloquium* certarum personarum alterius sexus, et quandoque etiam ejusdem. 2) *Excessus in potu*, praesertim calidiori. 3) *Otiosa et deliciosa vita*.

Jam si *primum* obtinet, praescribi debet, ut cohabitatio illa deseratur, si licite et absque majori vel aequali animae periculo deseri potest. Nec refert, quod haec desertio grave incommodum temporale poenitenti adfert, quia juxta testimonia Christi Domini etiam oculus, si scandalizet, erui debet, si manus, amputari etc. Si tamen spes affulget, fore, ut adhibitis certis remediis cohabitatio desineret esse occasio relapsus, praescribi haec poterunt et experimentum capi, praesertim, ubi poenitens difficilem se exhibet ad dictam cohabitationem deserendam. Quodsi remedia non juvent, aut saltem non ita, quin supersit molare periculum relabendi, esto rarius, deserenda erit conformiter ad ea, quae de occasione proxima

¹⁾ Luc. XV. — ²⁾ Cfr. A. Stapf's Erziehungslehre, et Scupuli Pugn. spirit. c. 19.

peccandi tractaturi sumus. — Item per alloquia et aspectus relabentibus injungi debet horum mortificatio, et proponi exemplum Davidis, qui, cum haud mediocris esset sanctitatis, per incautum aspectum turpiter lapsus est, illud quoque Jobi: „Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne quidem cogitarem de virgine“¹⁾; nec non dictum S. Hieronymi ad Nep. scribentis: „Nec in praeterita castitate confides. Nec sanctior Davide, nec Salomone sapientior esse potes. Memento semper, quod paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit.“ Si sanctus es, nec tamen securus es. Plurimi sanctissimi ceciderunt hoc vitio propter suam securitatem. Nullus in hoc confidat. „Numquid potest homo ambulare super prunas, ut non comburantur plantae ejus“²⁾? „Num tu saxum es, num ferrum“³⁾ dicit S. Chrys. Homo es, communi naturae imbecillitati obnoxius. Ignem capis, nec ureris? Qui fieri id potest? Lucernam in foenum pone, ac tu aude negare, quod foenum uratur. Quod foenum est hoc natura nostra est.”

Si alter casus occurrit, quo causa luxuriae latet in excessu calidioris potus, injungere oportet moderatum illius usum, maxime si poenitens frequenter expertus est, eo libidinem magis accendi seque ad venerea provocari; qualis non paucis esse solet vini adustum imo omnis generis vini immodicus usus; — teste enim Apostolo in vino luxuria est; nonnullis etiam fortioris cerevisiae.

Ut vero poenitens facilius ab excessu absteineat, simul praescribatur, ut devitet consortia, convivia, tabernas et hujusmodi occasiones, in quibus excedere in potu consuevit. Item extra horam refectionis vel non bibat omnino, vel non nisi ad sitim exstinguendam, et utatur potu tenuiori. Porro hic diligenter observandum, excessum in potu, seclusa ebrietate et periculo illius ac proinde ex se non mortalem, mortalem fieri, quando experientia constat, eum adferre morale periculum alterius peccati mortalis, puta luxuriae; in quo casu etiam sub mortali excessu ille et illius occasio proxima evitari debet.

Quod denique tertiam attinet luxuriae causam, quae ex vita otiosa et deliciosa tanquam matre haud infoecunda nascitur, exercitationes aliquae praescribantur corporis et spiritus, quibus tempus fructuose impendatur, unicuique juxta rationem conditionis status ac officiorum, v. g. patribus ac matribusfamilias, ut vel domesticae diligenter invigilent, prolem bene instruant in fide et moribus; literarum studiosis aliisque, quorum officii recta administratio a studio inprimis pendet, ut studiis graviter incumbant; omnibus vero Christianis poenitentibus, ut corpus apto labore exerceant.

1) XXXI. 1. — 2) Prov. VI. 28. — 3) Eph. V. 18.

Continuatio.

§. 186. Praeter evitacionem fomentorum hujus vitii, omnibus et singulis, hoc non satis deplorando scelere irretitis, vel ut denuo inde emergant, quo lapsi sunt, vel ut in posterum sibi praecaveant, aut praeservent, nullo non tempore *positiva sceleris remedia*, et *castimoniae subsidia* injungenda sunt.

Et quidem a) *diligens custodia sensuum externorum*, visus, auditus, odoratus, gustus et tactus; per sensus enim externos, ut Propheta loquitur, mors quasi per fenestras ascendit¹⁾. Absit quidem omnis ridicula timiditas, sed etiam omnis temeritas. „Virginem, ait S. Scriptura, ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius.” „Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius.” „Averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspicias faciem alienam”²⁾. Debent et aures caute custodiri, ne audiant sermones obscenos et inhonestos, quos forte si audieris aliquando, displiceant tibi, idque moesto vultu ostende; facile enim homo complet opere, quod auribus audit cum jucunditate. Refrena quoque linguam tuam, ne loquaris verba turpia et inhonesta; „corrumpunt enim mores bonos colloquia prava. Lingua detegit cor hominis, et affectus illius prodit: plenitudinem enim cordis loquitur lingua”³⁾.

b) *Justa refrenatio sensuum internorum* et praecipue *imaginacionis*, ne vel nimium incalescat, vel omnino repraesentationibus lubricis impleatur. Semper occupatum sit cor hominis cogitationibus sanctis: immittunt enim daemones in animam otiosas cogitationes perniciosas, ait S. Bernardus, quibus occupetur, ut, quamvis opere non peccet, peccet tamen cogitatione. „Nolo, sinas cogitationes crescere; dum parvus est hostis, interfice”⁴⁾. „Primis diaboli titillationibus obviandum est, nec coluber foveri debet, donec in serpentem formetur”⁵⁾.

c) *Moderata severitas* quoad victum et cultum corporis: nam quo mollius lautiusque corpus fovetur, eo plures quoque faces libidini subjiuntur. „Si quis existimat posse se versari in deliciis, et deliciarum vitiis non teneri, se ipsum decipit”⁶⁾.

d) *Custodia pudoris naturalis* tum erga alios tum erga *proprium corpus*. Juveni enixe commendandum, ut quidquid pudorem coram aliis vel coram *se ipso solo* laedit, sollicitè eliminetur⁷⁾.

e) *Studium humilitatis*, quatenus castitas apprehendi non potest, nisi humilitatis fundamenta in corde fuerint collocata. „Priusquam humiliarer, deliqui”⁸⁾. Ut castitas detur, humilitas meretur⁹⁾.

1) Jer. IX. 21. — 2) Eccli. IX. 5. 7. 8. — 3) Cfr. Lud. Granat. Dux pec. p. 630. 640. — 4) S. Hier. epist. 22. — 5) S. Cypr. de Jejuniis. — 6) S. Hier. libr. 1. contr. Jovin. — 7) Cfr. A. Stapf's Erziehungslehre. — 8) Psalm. CXVIII. 67. — 9) S. Bern. epist.

„Custos virginitatis caritas, locus custodis humilitas” 1). „Qui sola continentia bellum hoc superare nititur, similis est ei, qui una manu natans pelago liberari contendit; sit ergo humilitas continentiae conjuncta 2).

f) *Usus imprimis remedium religiosorum*, quae inter numerantur: a) *Ruminatio locorum sacrae Scripturae*, in quibus hoc vitium prohibetur, et castimonia inculcatur; meditatio *Passionis Domini* aliarumque veritatum, quibus animus ad sectanda charismata meliora urgetur, seria consideratio quatuor *novissimorum*. De hac S. Anselmus bene praefatur: „Quodsi adhuc carnis stinilis tangeris, si adhuc libidinis suggestionem pulsaris, memoriam mortis tibi objice, diem exitus tui propone, finem vitae ad oculos adhibe. Propone tibi futurum iudicium et futura tormenta; propone tibi infernum perpetuos ignes, propone tibi Gehennae poenas horribiles” 3). β) *Continua recordatio tum Dei potentis*, in quo vivimus, movemur et sumus, tum etiam *Angeli Custodis*, qui ad tutelam nostram deputatus est. Haec enim cogitatio id efficit, ut nunquam turpe aliquid in conspectu Dei deas. Quomodo enim, quod facere erubescis, si videret quaecumque homo, id audebis in tantae Majestatis conspectu, atque inspectante tuo Angelo Custode; Accusatore, Judice? γ) *Humilis et fervens oratio*, qua per merita Salvatoris imploratur efficax Dei auxilium: „Et sciivi, quoniam non aliter esse possem continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientia, scire cujus esset hoc donum, adli Dominum, et deprecatus sum illum, et dixi ex totis praecordiis meis” 4). Impossibile enim est, hominem suis pennis ad huiusmodi virtutis praemium evolare, nisi eum gratia exerit: idcirco audeundus est Dominus, et ex totis praecordiis deprecandus. Hinc S. Cyprianus bene monuit: „Inter haec media ad obtinendam castitatem inno et ante omnia haec de divinis castris auxillum petendum est” 5); δ) *Devotio erga castissimam Dei Matrem, Virginem immaculatam*, et ejus sponsum castissimum *Josephum*, aliosque castitatis patronos. ε) *Frequens et devotus Sacramentorum usus*, et quidem quoad Poenitentiae Sacramentum, ut uno eodemque semper utatur poenitens confessario, viro docto pioque ac prudenti, cujus monitis fideliter et constanter obtemperet. Quoad Eucharistiam sacrosanctam, frequens cum magna reverentia et devotione ejusdem non consulendus est, quippe quae a Concilio Tridentino Antidotum vocatur, quo non solum a culpis quotidianis liberamur, verum etiam a peccatis mortalibus praeservamur. „Licet enim, ut notat S. Thomas, hoc Sacramentum non directe ordinetur ad diminutionem fomitum, diminuit tamen fomitem in quadam consequentia, in quantum

1) S. Aug. de Virg. c. 51. — 2) S. Clim. de Castit. gradu, 14. — 3) Exhort. ad Contem. temp. — 4) Sap. VIII. 21. — 5) De Bono pudic.

augeret charitatem; quia, sicut Augustinus dicit, augmentum charitatis est diminutio cupiditatis" ¹⁾).

Quodsi poenitentes his remediis assueti non sint, expedit eos admonere, ut persoluto eo, quod ipsis injunctum fuit, atque ex obligatione praestandum, sponte quoque horum usum assumant. Remedia enim ista applicata juvant, sed non sanant nisi continuata. Noverint nonnisi magna diligentia recuperari sanitatem. Quoadusque leo non degustavit sanguinem humanum, facile mansuescit, at semel strage facta, quis eum domabit? Quare si illi nolint his remediis constanter uti et cooperari, febris eos non ante vitae finem deseret, quemadmodum cereus non cessat, quamdiu superest alimentum.

Continuatio.

§. 187. Quid vero consilii *contra pollutionis* proprio voluntatis actu procuratae *crimen*?

a) Confessarius hujus criminis reis, convenienter animi statui eorundem interno vitii foeditatem depingat, ut a crimine maxime nefando abhorreant. Adversus nullum aliud peccatum Spiritus sanctus vehementiori utitur formula, quam contra hocce. „Homines Sodomitae pessimi erant et peccatores coram Deo nimis" ²⁾, Onan filius Judae ob id a Deo subita morte fuit mulctatus. „Et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret" ³⁾.

b) Exponat sequelas hujus sceleris jam in hac vita funestissimas, habita tamen indolis poenitentis ratione, ne vel in desperationem praecipitem agat, vel pusilli animi reddat; quare tantos ac tales solummodo ipsi ante oculos ponat tristissimos effectus, quantos ad salubrem timorem incutiendum sufficere prudenter judicaverit.

c) Plurimum juvabit, splendidissimis pulchram innocentiae faciem depingere coloribus, ut poenitens allectus desiderio feratur ardenti in castimoniam vitae.

d) Dein specialia ad libidinis ignem exstinguendum validissima remedia praescribantur, partim naturalia, partim et inprimis, positiva, religiosa, quae ex dictis paragraphorum praecedentium patent.

e) Denique pro felici curationis istius successu fateri oportet, nisi ipsemet huic turpitudinis luto infixus *fortiter et magno animo velit*, vires totas exserat, summa ope nitatur, ad singularem vim quamdam ascendat, atque in res aeternas animum intendat suum, nunquam futurum, ut ex mortifero hoc morbo evadat.

Quapropter confessarius, quam maxime potest, poenitentem

¹⁾ Summ. theolog. III. q. 79. a. 6. ad. 3. — ²⁾ Gen. XIII. — ³⁾ Gen. XXXVIII. 10.

excitabit, ut ipse fortiter et velit et obnitatur. Potius mori quam peccare! Ceterum in praesenti causa distinguendum est inter confitentem, qui paucis tantum vicibus, et quin peccati gravitatem norint, sese polluere, et inter illos, qui nefanda hujus criminis consuetudine detinentur. Hos diriges secundum regulas, quae de consuetudinariis infra notantur. Labor sane difficilis, verum plenus meritorum, quo animae praetioso Christi sanguine redemptae diaboli faucibus eripiuntur, et Christo Salvatore restituuntur.

Si poenitens de pollutione nocturna se accuset in somno orta, petatur utrum illam in se intenderit, aut causam per se efficacem et proximam dederit, praevidens illam secuturam, an in illam evigilans consenserit! Si unum horum factum, reus est peccati, si minus, culpa vacat, non patiens propterea inordinatam tristitiam admittat; est enim miseria corruptae naturae.

Contra odium et invidiam.

§. 168. Qui odio in proximum adfecti sunt, 1) salubriter confessario pro satisfactione medicinali jubentur, ut seria meditatione considerent, et memoriae commendent sententias sacrae Scripturae, quibus tam in veteri, quam in nova Lege praecipitur dilectio inimicorum, et odium prohibetur. Ut veteris Testamenti loca ¹⁾ mittamus, praecipue sententiae ex novo Testamento sunt. Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percussit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram ²⁾. „Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros etc.” ³⁾. „Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem” ⁴⁾. „Nullum malum pro malo reddentes” ⁵⁾. „Omnis qui odit fratrem suum, homicida est, et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam aeternam in semetipso manentem” ⁶⁾. Et „si diligamus invicem Deus in nobis manet et charitas ejus in nobis perfecta est. . . si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est” ⁷⁾.

2) Utiliter injunguntur odii in proximum labe infectis, ut quoties per diem oculis animi Christum ligno crucis affixum in tueantur, qui pro se crucifixis oravit, ac sanguinem suum effudit, cogitentque eum, erga quem tantum odium et invidiam exercent, etiam de numero esse eorum, quos sanguine suo aspersit et expiavit. Quod Christi in cruce pendentis exemplum sane efficacissimum sit ad extinguendum odium proximi et amorem illius concipi

¹⁾ Exod. XXIII. 4. 5. Lev. XVIII. 18. Prov. XXIV. 17. XXV. 21. 22. Eccli. XXVIII. 1. Job. XXX. 28. — 30. — ²⁾ Matth. V. 39. — ³⁾ Luc. VI. 27. — ⁴⁾ Joan. XIII. 34. — ⁵⁾ Rom. XII. 17. — ⁶⁾ 1. Joann. III. 15. — ⁷⁾ 1. Joan. IV. 12.

landum, sancti patres passim agnoverunt et praedicarunt, ut S. Ambrosius: „Quis enim appetitus ¹⁾, inquit, non discat ignoscere, quando pro persecutoribus Christus et crucifixoribus orabat.“ Et S. Augustinus: „Quid vis? Vindicari? Vide pendentem, et tibi de ligae tanquam de tribunali praecipientem. Vide pendentem, et tibi sanguenti de suo sanguine medicamentum facientem. Vide pendentem, audi precantem: Pater ignosce illis” ²⁾).

3) Juvabit etiam cogitare, quam multa ad nos mutuo amantium, aliorumque felicitati ac saluti congaudendum et gratulandum incitare debeant; uti, nos omnes auctore Deo secundum carnem descendere ab eisdem protoplastis, parentibus Adamo et Eva: unum nos habere Redemptorem Jesum Christum, qui uno eodemque pretio nos mercatus est, et ut unum essemus inter nos, sicut ipse et Pater unum sunt, pridie mortis suae Patrem exiit rogavit: unam quoque nos habere matrem, sanctam Ecclesiam, quae lavacro regenerationis nos in Christo peperit; ac demum ad eandem nos tendere beatitudinem, et eandem sperare mercedem sempiternam. Quapropter tam multis causis concordiae et charitatis existentibus unusquisque facile concludet, nec aequum esse, nec ferendum, ut odium et invidiam in se sinat regnare.

4) Quantum ad invidiam, poenitentem in particulari perpendere jubeat: a) Christiani, et generosi animi esse, Dei potius beneplacitum velle, quam proprium; imò, si Deus id vult, ut alii majora dona naturalia aut supernaturalia habeant, quam ego, justum esse, me hoc ipsum libenter habere. Nec esse debeo sicut Josue Moysis famulus, qui tangebatur invidia, quod alii prophetarent; sed potius sicut ipsemet Moyses, qui dixit: „Quis tribuat, ut omnis populus prophetet et det eis Dominus spiritum suum?” ³⁾ ut omnes et sapientes sint, et prudentes, ac sancti, et serviant ac glorificent Deum. Nec esse debeo sicut illi Joannis Bapt. discipuli, qui invidabant Christo, quod baptizaret, et omnes ad eum venirent, sed sicut ipse Joannes, qui respondit: „Qui habet sponsam sponsus est, amicum autem sponsi, qui stat, et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi, hoc ergo gaudium meum impletum est: illum oportet crescere, me autem minui” ⁴⁾. b) Quantorum malorum causa multis invidia fuerit, colligere licet ex caede Caini, venditione Josephi, persecutione Davidis a Saule, morte Christi per invidiam procurata, imo totius generis humani perditione, nam „invidia diaboli intravit mors in orbem terrarum” ⁵⁾. c) Quod invidus per invidiam non modo rem illam, ob quam invidet, non eripiat alteri, sed sibi potius corpore et anima noceat; uti bene S. Chrysostomus indicavit, dum

¹⁾ Libr. 2. de fide c. 3. — ²⁾ Serm. 223. de temp. — ³⁾ Num. XI. 29. —

⁴⁾ Joan. III. 26. — ⁵⁾ Sap. II. 24.

dicit: „O invidia, quae semper est sibi inimica! nam qui invidet, sibi quoque ignominiam facit, illi autem, cui invidet, gloriam parit.” Et S. Gregorius M.: „Quo alii ad meliora properant, eo ipso deterius ipse ruit.” Invidia namque se habet instar vermis intra lignum nati, qui mox ipsum lignum, unde productus est, consumit: invidia nascitur in corde, et primum, quod cruciat, ipsum cor est, cumque jam cor corruerit, etiam tollit naturalem vultus colorem, carnem exsiccatur, intellectum torquet, pacem conscientiae interturbat, omnes dies vitae facit tristiores omnemque tranquillitatem et gaudium a mente humana elongat. Quis non exhorrescat ad horum auditum, et invidiam adhuc in semine suffocare non studeat! Invidia malum est tam foedum, ut invidus ipse se prodere non audeat; simulat propterea gaudium, at tacite secum rumpitur; ob quam causam nec medium nec medicinam mali sui facile invenit.

5) Denique utiliter admodum injungetur, a) ut pro iis, quos odio et invidia persecuti sunt hactenus, tam preces Deo offerant pro illorum bonis, quam gratias agant pro beneficiis illis collatis tanquam suis. „Nihil enim ita dilectionem conciliat, inquit S. Chrysostomus, quam quod et in gaudio et tristitia alterutrum communicamus. — — — Communica ergo plorantibus, ut tristitiam illorum alleves; communica gaudentibus, ut et laetitiam illorum radices, et dilectionem consolidas, et ante illos te ipsum juves, lacrymando siquidem misericordem facis, congratulando vero livore te ipsum liberas ¹⁾.” b) Ut dent operam, ut de iis omnia bona etiam coram aliis loquantur, ipsosque, ubicunque deprehenderint accusatos aut malitiose traductos, quam fidelissime possunt, excusent. c) Ut visitent eos quandoque, cum illis loquantur, aliove officii genere ipsis gratificentur. Cum enim, ut saepe dictum est, contraria contrariis curentur, sicut inordinatus et lascivus amor proximi, qui inclinatur in conjunctionem, curari debet separatione, ita ex opposito odium proximi, quod inclinatur in separationem, conjunctione potius et conversatione cum illo curari debet. d) Postremo pro dono dilectionis Deum, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum descendit, humili et ferventissime recenterpellare non intermittatur, idque per merita Jesu Christi Salvatoris, qui e cruce pendens pro inimicis suis Patrem est deprecatus.

Contra suspiciones et judicia temeraria.

§. 189. Confessarius a poenitente, qui se accusat de deliberatis suspicionibus aut judiciis temerariis de proximo, inquirat, ex qua radice haec processerint: cognita enim radice vel causa morbi facile est, ea sublata morbo mederi. Tres radices a S. Thoma as-

¹⁾ Hom. 22. super epist. ad Rom.

signantur. „Quod enim aliquis ex levibus indictis malum opinetur de proximo, contingit ex tribus, Uno quidem modo ex hoc, quod *aliquis ex se ipso malus est*, et ex hoc ipso, quasi conscius suae malitiae faciliter *de aliis malum opinatur*, secundum illud: „In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos aestimat ¹⁾.” Allo modo provenit ex hoc, quod *aliquis male afficitur ad alterum*; cum enim aliquis contemnit, vel odit aliquem, aut irascitur, vel invidet ei, ex levibus signis *opinatur mala de ipso*, quia unusquisque faciliter credit, quod appetit. Tertio modo provenit *ex longa experientia*. Unde Philosophus dicit, quod senes sint maxime suspiciosi, quia multoties experti sunt aliorum defectus ²⁾.” Accedunt, aliae causae, ex quibus judicia temeraria nascuntur. Est *superbia*, qua quis existimans se aliquid esse, in sui comparatione alios parvi facit, atque hinc temerarie de illis saepe iudicat. Est *levis credulitas*, qua quis nimis faciles aures praebet incertis de proximo rumoribus. Est *ignorantia*, qua quidem rudiores credunt judicia temeraria mere interna, sive quae alteri non revelantur, non esse peccata, saltem mortalia. Est falsa *persuasio*, qua aliqui existimant, ex physiognomia hominum, sive ex habitu et lineamentis corporis posse colligi illum tali vitio laborare v. g., esse impudicum, invidum, ebriosum etc. Denique est *prava consuetudo* non retractata, qua quis assuetus est, ex levibus indiciis proximi actiones vel intentiones in malam partem interpretari, ac sinistre dijudicare.

Contra primam radicem, quae est propria temerarie de proximo opinantis malitia, praecipuum remedium est, ipsius malitiae correctio et emendatio: illa enim ablata facile cessabunt judicia, quae ex illa pullulabant. Illa vero manente verendum est, ne ex corde malo ac virulento enasci pergant, ut ante. Sicut enim, dum quis caeruleum vitrum oculis admovet quaecunque videt, caerulea se videre putat; si vero rubrum, rubra: sic malo et imperfecto omnia videntur esse mala, omniaque sinistram ipse in partem interpretatur, eo quod trans vitium, eandem qualitatem referens, ea percipiat; quia enim ipse ea ita facit, et eo fine et intentione, credit et alios ita et eadem intentione facere.

Contra secundam radicem, quae est odium vel aversio a proximo, adhiberi possunt remedia adversus peccata odii et invidiae assignata. Maxime vero monendus est poenitens, ut ardenti charitate proximum prosequi studeat, inde namque fiet, ut ea, quae in malam partem interpretari solebat, potius excusaturus sit, quia charitas non cogitat malum ³⁾.

Contra tertiam radicem, quae est diuturna experientia, optimum remedium erit, si talibus consulas, ut non tantum in memoriam reducant, quam saepe experti sint malorum defectus, sed etiam

¹⁾ Eccli. X. 3. — ²⁾ Summa theol. 2. II. q. 60. a. 3. — ³⁾ I. Cor. XIII.

quam saepe experti sint proborum virtutes: nec solum quam frequenter, dum de proximo male suspicati sunt, verum attigerint, sed etiam quam frequenter a vero aberraverint.

Contra quartam radicem, nempe superbiam, deservire poterunt remedia contra superbiam allata. Signanter autem injungendum erit poenitenti, ut oculos ad propria peccata inspicienda apertos habeat, clausos vero ad aliena observanda: ita nempe se, non alios parvi faciens, seipsum condemnabit, de aliis vero bene sentiet.

Contra quintam radicem, quae est levis credulitas, remedium est, attente considerare, quam fallax sit iudicium humanum, ideoque nihil tutius esse, quam animum a suspitione et iudicio de peccatis alienis cohibere, et incertis rumoribus in proximi infamiam ruentibus, nullam fidem adhibere, juxta illud salutare monitum venerabilis Kempensis: „Non est credendum omni verbo; nec instictui, sed caute et longanimiter res est secundum Deum ponderanda. — — Perfecti viri non facile credunt omni enarranti, quia sciunt infirmitatem humanam ad malum proclivem, et in verbis satilabilem ¹⁾).

Contra sextam radicem, scilicet ignorantiam, instruendus est poenitens et de opposito plene convincendus, nempe dubitationes, suspiciones, opiniones et iudicia temeraria de proximo in gravi materia, si sint perfecte deliberata, etsi exterius non prodantur, nec alteri revelentur, gravem continere injuriam in proximum.

Contra septimam radicem, id est, falsam persuasionem, quam quis ex physiognomia alterius colligit, eum tali vel tali vitio laborare, pro remedio sit, clare demonstrare istius persuasionis falsitatem. Etsi enim ex habitu et delineamentis corporis posset fortassis aliquo modo colligi inclinatio, sive propensio naturalis subjecti ad tale vel tale vitium, quae propensio cum maxima probabilitate consistit: inde certe nequiquam colligi potest, personam istam tali propensione voluntarie obsequi, seu voluntarium consensum praebere. Imo juxta regulas christianae charitatis, oppositum omnino iudicandum est, quamdiu apertissima indicia id non convincunt.

Contra octavam radicem, quae est pravus habitus et consuetudo, in genere adhiberi poterunt, quae contra consuetudinem peccati valent, praesertim eam indies mane et vespere ex animo propter Deum detestetur, implorando etiam divinum auxilium ad propositi de illa exstirpanda adimpletionem necessarium, nec non sibi multam aliquam statuendo, quoties deinceps in id vitium inciderit.

Porro contra temeraria iudicia, ex quacunque tandem causa processerint, remedia sunt a) diligenti consideratione expendere sacrae Scripturae testimonia: „Nolite iudicare, et non iudicabimini” ²⁾. „Tu qui es, qui iudicas alienum servum? Domino suo stat

¹⁾ Lib. 1. c. 4. — ²⁾ Luc. VI. 37.

aut cadit" ¹⁾. „Nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo" ²⁾. Quibus in oculis, districte prohibentur judicia temeraria, non solum, quia injuriam in proximum continent, verum etiam in Deum ipsum, cujus jurisdictionem et judicium sibi arrogat, qui cordis intentionem aliaque incerta et occulta animi arcana, soli judicio divino reservata, temere dijudicare praesumit. „Cave, alienae conversationis esse ut curiosus explorator, aut temerarius iudex. Etiam si perperam etiam quid deprehendas; nec sic iudices proximum, magis autem excusa! Excusa intentionem, puta subreptionem, puta casum! Modsi omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat; suade nihilominus ipsi tibi et dicito apud te ipsum: vehemens nimis est tentatio. Quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter attestatem" ³⁾. b) Alterum est se ipsum inspicere et propriis vitiis considerandis et judicandis occupari. „Qui sine peccato est, primus fratrem lapidem mittat" ⁴⁾. „Judicet ille, inquit S. Ambrosius, alterius errore, qui non habet, quod condemnet in se; iudicet ille, qui non agit eadem, quae ab alio putaverit non agenda, ne, ut de aliis iudicat, in se ipsum sententiam ferat."

Observe tamen, si necessitas vel utilitas postulet, ubi iudicia non sunt omnino manifesta, prudentiae esse, expendere, quantum a momenti habeant, ut, si opus sit remedium adhiberi queat, idque maxime in iis locum habet, qui ratione officii aliis invigilare eorumque errores corrigere debent" ⁵⁾.

Contra linguae peccata.

§. 190. Primum remedium adversus linguae peccata, puta alumniarum, detractionum, contumeliarum, susurrarum, sit seria consideratio locorum sacrae Scripturae, quibus ea insectatur spiritus sanctus, *Calumniatores*, qui vitia falsa aliis tribuunt, vel laudes et virtutes aliorum directe negant, non solum mendacii peccatum committunt, sed fraternam charitatem turpiter laedunt, Deo et hominibus abominabiles facti. Epistola ad Romanos ⁶⁾ *detractores* vocantur Deo odibiles, numeranturque inter illos, quos Deus tradit in reprobum sensum: similiter et contumeliosi et susurrones. eisdemque iudicantur digni morte, non solum, qui faciunt male, sed etiam qui consentiunt facientibus, quales sunt, qui detrahentibus benignas aures praebent; quibus dicitur: „Sepi aures tuas spinis; linguam nequam noli audire, et ori tuo facito ostia et seras" ⁷⁾.

¹⁾ Rom. XIV. 4. — ²⁾ I. Cor. IV. 5. — ³⁾ S. Bernard. Serm. 50. in Cant. n. 5. — ⁴⁾ Joan. VIII. 7. — ⁵⁾ Cfr. Jardin. I. c. — ⁶⁾ Cap. I. — ⁷⁾ Eccli. XXVIII. 28.

Item „Cum detractoribus non commiscearis” ¹⁾. *Contumeliosos* Christus Dominus pronuntiat reos aeterni supplicii: „Qui dixerit fratri suo: fatue, reus erit Gehennae ignis” ²⁾. *Susurrones a Spiritu sancto* maledicuntur: „Susurro et bilinguis maledictus, multos enim turbavit pacem habentes” ³⁾. Item dicuntur detestabiles apud Altissimum ⁴⁾. „Sex sunt, quae odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus. Pro septimo autem ponitur, „qui seminat inter fratres discordias,” ut proinde mirum non sit, a S. Thoma peccatum susurrationis ex specie sua censerī gravius peccato detractionis et contumeliae, eo quod amicitia, quam separat, sit bonum praestantius fama et honore, quae auferuntur per detractionem et contumeliam. „Amico enim fidei nulla est comparatio” ⁵⁾. Maledici excluduntur a regno Dei: „neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt” ⁶⁾. Quodsi poenitentes in linguae vitia praecipites praefata Spiritus sancti testimonia, matura, prout par est, consideratione indies expenderent: facile in horum vitiorum odium ac detestationem accenderentur; ad quam igitur considerationem confessarius eos plurimum adhortabitur.

2. Diligenter inquirendum ex poenitente, ex qua radice haec linguae peccata ortum ducant; si enim ut communiter accidit *in odio latente in corde* adversus proximum, vel ex superbia nascuntur, radici isti extirpandae praecipua opera adhibenda est usu remedium contra *odium* et *superbiam*, si vero ex quadam *animalevitae orisque loquacitate* contingat, quempiam proximo detrahere etc. α) huic verba S. Jacobi consideranda proponantur: „S quis putat, se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio” ⁷⁾. β) Is moneatur, ut diligenter expendat, quantorum malorum origo sit effrenis illa loquacitas, utpote quae famam bonam aufert; honorem laedit; amicitias separat, ac pacem et tranquillitatem perturbat. γ) Doceatur, quantis et saepenumero inextricabilibus difficultatibus restitutio, qua stringitur, famae, honoris, amicitiae laesae implexa sit.

3. Inter cetera item remedia, poenitenti vitiis linguae laboranti opportune injungetur, ut aliquoties per diem ex animo efficaciter detestetur propter Dei et proximi amorem quaelibet de proximo temere effutiendi consuetudinem, cum serio emendationis proposito, imposita etiam sibi multa, in casu, quo contingeret eum a proposito delabi: cujus ratio habenda erit in quotidiano conscientiae examine, vespertino praesertim tempore instituendo. Verum quia teste S. Jacobo lingua „modicum quidem membrum est — — universitas iniquitatis” — — inquietum malum, plenum veneno mortifero, quod nullus hominum domare potest” ⁸⁾, remedium remedio-

¹⁾ Prov. XXIV. 31. — ²⁾ Matth. V. 22. — ³⁾ Eccli. XXVIII. 13. — ⁴⁾ Prov. VI. 16. 19. — ⁵⁾ Eccli. VI. 15. — ⁶⁾ I. Cor. VI. 10. — ⁷⁾ I. 26. — ⁸⁾ III. 5. 8.

rum est, humili et ferventi oratione Deum indes mane et vespere, ac praecipue tempore sacrificii Missae deprecari, ut ipse omnipotenti sua gratia linguam refrenare dignetur: „Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis”: „Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea”¹⁾

Officium bonam aliorum famam laesam aut denegatam restituendi, quo omnes, qui hocce se crimine foedarunt, tenentur, vide infra §. Compensatio injustae laesionis.

Non solum maledici graviter peccant, sed etiam, qui eorum sermonibus benignas praebent aures. Ait Ecclesiasticus: „Sepi aures tuas, et linguam nequam noli audire.“ In quae verba Ludovicus Granatensis commentatur, „quod magni momenti res sit, non audire maledicos. Non enim dicit, obtura vel claude aures gossipio, lana, vel alia molliori lanugine, sed vult septas spinis ut non solum non intrent huiusmodi verba maledica in cor tuum, audiendo illa, te delectantia, sed et ipsi maledico vultu tristi et moesto ostende, quod cum dolore audias illa; quod et Salomon apertius docet: „Ventus Aquilo dissipat pluviam, et facies tristis linguam detrahentem“²⁾. Nam ut S. Hieronymus dicit: „Sagitta ab arcu missa, in dura petra non figitur, sed cum impetu revertitur, et laedit eum, qui misit. Quodsi maledicus aut subditus sit tuus aut te minor, sine officiculo potes illi mandare, ut taceat; teneris enim ad hoc faciendum; sin autem, ut taceat, imperare non potes, saltem alio colloquio filium orationis ejus, cum discretione interrompe aut illum ei vultum exhibe, ut ipse erubescat, et taceat. Modeste itaque admonitus tacebit, aut sermonem mutabit. Alioquin si vultu hilari orationem ejus excipias, das illi occasionem in proposito permanendi, atque ita non minus peccas tu audiendo, quam ille loquendo. Quemadmodum enim male facit ille, qui domum incendit, sic et male facit, qui, cum ignem potest extinguere, nec vult, sed accedens ad flammam sese calefacit.“

Contra gulam et ebrietatem.

§. 191. Ad gulosi aut ebriosi animum a vitio gulae aut ebrietatis avocandum, opportunum ei remedium erit, 1) si quotidie mane aut vespere vel subinde etiam per diem serio expendat testimonia sacrae Scripturae, quibus gulosi et ebriosi a Spiritu sancto graviter perstringuntur, uti per Isaiam: „Vae, qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem”³⁾. „Cui vae, ait Sapiens, cui rixae? cui sine causa vulnera? nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis”⁴⁾? Et Christus: „Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et superveniat in vos repentina dies illa”⁵⁾. S. Paulus ad Rom: „Non in comessionibus et ebrietatibus.” — „Non est regnum Dei esca et potus”⁶⁾. „Manifesta sunt opera car-

¹⁾ Eccli. XXIII. 28. Psalm. CXL. 3. Psalm. XXXVIII. 1. — ²⁾ Prov. XXV. 23.

³⁾ V. 22. — ⁴⁾ Prov. XXIII. 29. — ⁵⁾ Luc. XXV. 34. — ⁶⁾ Rom. XII. 13. XIV. 17.

nis, quae sunt . . . ebrietates, comessiones, quae praedico vobis sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur¹⁾. Et denique: „Multi ambulat, quos saepe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi. . . quorum Deus venter est“²⁾. Manifesta est parabola de Lazaro paupere et divite qui epulabatur quotidie laute. — Juvabit autem plurimum, si vitii gulae aut ebrietatis addicti haec praememorata Scripturae testimonia, aut aliqua ex illis sedulo memoriae commendent, ut, quoties inordinata cibi aut potus voluptas animo se ingesserit, et ad solito excessus provocaverit, mox attenta eorundem testimoniorum recordatio servire possit pro valido munimine ac repagulo. — Pariter multum prodest in hac causa studium rerum spiritualium: nam gustato spiritu dissipat omnis caro. Quod medium eleganter suavit S. Gregorius his verbis; „Gula per abstinentiam frangitur, sed abstinentiam ciborum corporalium habere non potest, qui mentem spiritualibus cibis non replet; potenter enim corpus extenuat, quae amore coelestium cor inflamat, qui, dum spiritualia diligit, desideria carnis volenter premit.“ — Denique utilis est quoque poenitentia perpensio malorum, quae gula et ebrietas progignunt. Quae mala ex gulae vitio! Corpori morbos, menti tenebras affert; sancti desideria extinguit, carnem facit rebellem spiritui luxuriae fomenti subministrando. Gula omnibus aliis vitiis et peccatis fenestra ostiumque aperit, hominemque ad bonum quodvis ineptum reddit „Gula, ait Innocentius P. . Paradisum clausit, primogenituram vendidit, suspendit pistorem, decollavit S. Joannem Baptistam.“ E contra consideratio honorum temperantiae arma quoque praebet contra gulae vitium. Abstinentia parata (ut dicitur) pecunia difficultatem quam initio vincit, recompensat; alleviat enim corpus, praeservat a morbis, conservat sanitatem, vitam producit, recreat animam aptamque reddit ad orationem et coelestes consolationes suscipiendas; subtrahit hosti arma, ipsi scilicet carni, quam subjicit spiritui ut gloriosa audeat divini obsequii facinora aggredi.

2) Accedit, ut peccata gulae et ebrietatis ipsamque si forte contraxerunt, pravam consuetudinem, saepius ex animo detestentur, cum efficaci proposito deinceps peccata illa vitandi et serio allaborandi ad consuetudinis extirpationem, idque amore illius, qui in terris constitutus famem et sitim aliquando perpeti, et in crucis aceto et felle potari dignatus est, ut nobis pararet aeternum in caelis convivium omnium deliciarum.

3) Injungatur, ut omni studio hujus vitii occasiones devitent, puta tabernas et socios gulae ac ebrietati addictos, qui vel ad aequales haustus provocare, et poculis certare solent vel potitandi nullam mensuram servare ac finem facere nesciunt, juxta illud

1) Gal. IV. 21. — 2) Philip. III. 19.

Proverbi: „Noli esse in conviviis potatorum“¹⁾. Item, ut, quoad fieri potest, non intersint conviviis, ubi inter exquisita et multiplicata ferocula admodum difficile est, praesertim homini gulae dedito, temperantiae limites non excedere.

4) Praescribatur ebriosis, ut ad tempus ab usu vini absterneant, aut non nisi aqua dilutum et parcius bibant, idque tantummodo intra refectionis horam; pariter gulosis, ut aliquando jejument, una refectione eaque frugali contenti; item ut aliquamdiu sibi ab iis rebus specialiter temperent, quarum usus magis expetitur voluptatis, quam necessitatis ergo, velut ab aromatibus, condituris, fructibus aliisque similibus, potissimum tamen ab iis, quibus quisque magis dilectatur.

5) Admodum etiam utile erit, ut, quoties temperantiae limites excesserint, sponte aliquam poenitentiam assumere doceantur, quae veluti freno ab ulteriori excessu se coërceant, puta, postridie parcius et tardius comedere, vilioribus cibus uti et tenuiori potu.

6) Denique in curatione eorum, qui ebrietatis habitum contraxerunt, consulto observabit confessarius modum, quem S. Augustinus tradit his verbis: „Qui se de hoc malo desiderat liberare, quomodo sibi intervallo dierum potum addendo ad ebrietatis tenebras pervenit, ita paulatim subtrahendo ad sobrietatis lucem redeat. Qui si simul totum, quod amplius capiebat, subtraxerit, ubi nimia siti cooperit exardescere, eum grandi amaritudine clamet, et dicat, malle se mori, quam sibi bibendi et inebriandi consuetudinem tollere; nec attendit, quod tolerabilius erat illi, carne mori, quam in anima per ebrietatem interfici. Et ideo, ut nec ardorem nimium patiatur et de tam gravi malo liberetur, per intervalla dierum, sicut diximus aliquid de nimietate potus subtrahat; quoadusque ad rationabilem bibendi consuetudinem redeat“²⁾. Potissimum vero hoc Augustini monitum usurpare oportet erga cachecticos, qui immoderate potu, puta, vini adusti, ita facti sunt languidi stomachi, ut non possint sine gravi vitae periculo a simili potu ex integro abstinere de repente; his enim injungi debet, ut paulatim aliquid subtrahant, quo fiet, ut tandem sine ullo incommodo in totum abstineant. Cum gulosis, qui copioso cibo ultra temperantiae mensuram stomachum gravare solent, eadem ratio servari poterit, ut paulatim progrediantur, quotidie aliquid minus sumendo, quousque ad regulam temperantiae perveniatur.

Contra iram.

§. 192. „Mansuetus sibi ipsi dulcis, et utilis aliis; iracundus vero et sibi insuavis, et aliis damnosus. Nihil insuavius homine ira-

¹⁾ XX. 24. — ²⁾ Serm. 241.

cundo, nihil molestius, nihil foedius, quemadmodum nihil suavius eo, qui nescit irasci¹⁾. Jam adversus vitium irae primum remedium sit, ut homo illi obnoxius, cum iratus fuerit, ob aliquod iniquum factum dictumque sibi, paulatim se contineat, propriosque defectus et adversus Deum commissa secum ponderet; quibus agnoscat multa pejora se promeritum, quam quae modo patitur, et quod fortasse Deus haec sibi accidere permiserit, ut ad conscientiam suam redeat poenasque det, ac deinceps a delinquendo sibi temperet. Quapropter qui injuriam passus est, vel quocumque malo affectus, attente consideret, nihil quam parvum, quam magnum, e quocumque modo inflictum, non subjacere justo judicio Dei, cui a vindicandum etiam quaelibet creatura potest esse instrumentum. Proinde oculos mentis non tam defigat ad hominem, malum inferentem, quam in Deum ipsum justissimum vindicem, juxta et misericordissimum Patrem, qui vel sic solet affligere, urere ac secar suos in hoc seculo, ut eis parcat in futuro.

2) Alterum remedium sit, ut ad iram proclivis frequente animo volvat praeclarum mansuetissimi Domini nostri Jesu Christi exemplar, qui, cum a principibus sacerdotum et Pharisaeis impetretur injuriis summis, et passim apud illos audiret homo vorax potator vini, seductor populi, in Beelzebub principe daemoniorum daemonia ejiciens, nec non horrendissima et ignominiosissima propter eos morte afficeretur, nunquam tamen ne minima quidem passio irae correptus fuit, nullam omnino vindictam appetiit, sed incredibilem mansuetudinem semper et ubique servavit exhibuitque: „cum enim malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste“²⁾. Christianus igitur poenitens non irasci, non expetere vindictam, sed mansuetum esse ad omnes, discat ab Eo, qui dixit: „Discite a me, quia mitis sum et humilis corde“³⁾, et eum in finem saepius aspiciat Crucifixum.

3. Juvabit etiam non parum, si, dum passio irae non pulsus animus adversus illam in antecessum corroboretur, frequenter reminando verba: „In mansuetudine perfice opera tua, et super gloriam hominum diligeris“⁴⁾. Docebit mites vias suas⁵⁾. „Melio est patiens viro forti; et qui dominatur animo suo, expugnator urbium“⁶⁾. „Mansueti possidebunt terram. . . . Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo reus erit judicio“ etc. etc.⁷⁾. „Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia“⁸⁾. — Ubi vero poenitens inordinata passione irae se corripit senserit, omnes animi sui vires in se ipso recolligat, non quidem cum impetu et ardore, sed placido

1) S. Chrys. hom. 6. in c. II. Actuum. — 2) I. Petr. III. 23. — 3) Matt. XI. 29. — 4) Eccli. III. 19. — 5) Psalm. XXIV. 9. — 6) Prov. XVI. 32. — 7) Matth. V. 4. 22. 25. — 8) Eph. IV. 31.

et suaviter, et nihilominus sedulo et diligenter; illico recordetur sacrorum verborum, quibus iram intra se refrenare ac compescere satagat. Si a verbis et aliis externis irae signis se continuerit, reddet ipsi Deus victoriam motus interioris in praemium externae mortificationis.

4) Quia vero saepe accidit, ut quis ira et indignatione aliorum, quibus convivit, prius molestatus consimiliter in iram prosternat, opportunum remedium erit a) ab oculis irati se subducere; ubi enim ligna igni subtrahuntur, flamma exstinguitur; b) si commode non possit, bonis verbis et mollibus irati animum demulcere ac placare, nam ut Sapiens ait: „Responsio mollis frangit iram“¹⁾; si neque hoc locum habeat, ad silentium confugere, donec alter bilem decoxerit, et condolere potius irascenti; quemadmodum faceret, qui alterum gravi morbo aut alio incommodo affictum videret: neque aliud est ira, ut commune habet proverbium, quam brevis insania. Ceterum monendus est poenitens, ut tempore irae nihil tentet, nihil decernat²⁾.

5) Postremum remedium, sine quo vix prosunt cetera, est assidua pro dono mansuetudinis oratio. Praescribatur itaque poenitenti iracundo, ut quotidie mane et vespere, et aliquoties per diem, non solum reiteret non irascendi propositum, verum etiam pro ejusdem propositi executione divinum auxilium ferventer imploret: idque tum per intercessionem Deiparae Virginis „inter omnes mitis“, tum praecipue per immensae Christi Domini mansuetudinis meritum,

6) Quodsi peccato succubuerit, oret pro ipso, quem ira offenderit, ipsumque beneficii prosequatur, ut offensas benefaciendo compenset, sitque beneficentia velut igniti carbones, quos super caput ejus congerit. Haec est justa et sancta vindicta, ad quam S. Paulus hortatur³⁾.

Contra consuetudinem blasphemandi, et indiscrete jurandi.

§. 193. Ut huic vitio confessarius salubriter medeatur, inquirat in radicem et occasiones, ex quibus poenitens solet frequenter labi in blasphemiam et indiscreta juramenta, ut nempe securis ponatur ad radicem. Radices et occasiones solent esse variae, uti sunt immoderata passio, irae intemperantia, potus etc., quibus obturandis operam dabit confessarius usu remediorum sup. §§. allatorum. Ceterum injungatur ejusmodi poenitentibus, a) ut seria consideratione statis temporibus apud se expendunt gravitatem peccati blasphemiae in Deum temerariorumque juramentorum; b) ut

¹⁾ Prov. XV. 1. — ²⁾ Cfr. Ludv. Granat. libr. cit. pag. 667 — 669. —

³⁾ Rom. XII. 20.

etiam mature considerent horrendas poenas, quibus haec vitia saepe mulctantur a Deo in praesenti saeculo, et quibus certo certius multabuntur in futuro, ut nempe ex his considerationibus magna criminum suorum horrorem concipiant; c) ut hoc vitium saepius ex animo propter Deum detestentur statuuntque apud se mori potius, et quaecumque mala perferre, quam in posterum tam atrocem in Deum injuriam deliberate committere; et insuper humiliter ac frequenter implorent divinum auxilium ad tam salubris propositi impletionem necessarium; d) ut, ubi contigerit, eos ex inveterata consuetudine (etsi efficaciter retracta) prorumpere in voces blasphemias vel juratorias; mox displicentiam ac dolorem inde concipiant et a Deo veniam postulent, renovando rursus praecedens propositum de non blasphemando ac temere jurando. Pro hujus autem propositi majori firmitate utile erit injungere, ut, quoties quis in ea linguae peccata relapsus fuerit, toties poenitentiam aliquam sponte assumat, qualis esset, eleemosynam dare, jejunare, orationem aliquam recitare: Denique e) cum contraria curentur contra rursus, nomen Dei blasphemias ac temerariis juramentis dehonestari solitis, utiliter admodum praescribetur, ut interius exteriusque frequenter offerant Deo laudes, recitando e. g. psalmum: „Laudate Dominum de coelis“, vel Canticum: „Benedicite omnia opera Domini Domino“, vel: „Te Deum laudamus;“ item ad finem cuiusque orationis Dominicae aut Angelicae Salutationis dicendum: „Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, aut „Benedictus Deus aeternum“, item Litanias de SS. Nomine Jesu cum aliis precibus quae passim scriptae leguntur.

Contra acediam.

§. 194. Acedia ignavia est et segnities animi ad bene operandum, taedium et tarditas in rebus spiritualibus. Cum senserit confessor poenitentem in hoc labi peccatum coepisse, illique peccatum jam deditum esse, poterit sequentibus remediis opem ferre.

Et quidem 1) confessarius acedioso injungat frequentes serias considerationes de Deo et divinis perfectionibus, maxime illis, quae ad amorem magis movere solent, ut sunt: infinita Deum bonitas et pulchritudo, nec non immensus ejus in nos amor; item de repromissa coelesti gloria perfecta possessione boni infiniti quo tota aeternitate plene satiabimur, et cujus praegustum aliquando delibare hic solent animae Deum amantes.

2) Monendus est poenitens acediosus, ut cunctis considerationibus adjungat orationes ferventes, humiles, fiduciales ac perseverantes, quibus a Spiritu Sancto obtineat internas gratias, earumque efficaces ad praefatam mutationem necessarias. Cui fini maxime conducent breves orationes jaculatoriae crebro per diem repe-

tae, e. g. Deus meus, fac me gaudium Angelorum. O quanto in te delectabitur anima mea, mi Jesu! omni suavitate dulcior et delectabilior!

3) Contra torporem, quo homo languet ad communia **justitiae opera**, injungere pro remedio opportuno convenit quotidiana **hominis christiani exercitia**. E. g. ut indies post somnum nocturnum **alacriter e lecto surgat**, preces matutinas Deo fundat, **meditationem aliquam seu considerationem internam per horulae saltem quadrantem instituat circa materiam vitio acediae et torporis curando accomodam**. Item, ut diebus Dominicis et festivis officio divino et **verbi divini praedicationi sedulo assistat**; et (prout fieri potest) **quotidie sacrosancto Missae sacrificio devote intersit etc.** Vespere **examen conscientiae instituat**, et admissorum defectuum a Deo **contritus veniam postulet**, hoc modo ad quietem nocturnam sese **christiane disponens**. Reliquum diei tempus iis exercitiis diligenter **impendat**, quae status, conditio, munus, vel officium particulare ab **ipso requirunt**, intermiscendo identidem pios ad Deum affectus et **ad ipsum se suaque omnia saepius referendo**.

4) Postremo juvabit etiam, serio ob oculos ponere poenitentibus **acediosis et torpidis, nihil conditione hominis christiani aequè indignum esse, ac otiose vitam agere, ubi caput nostrum Christus toto tempore vitae suae mortalis ex integro se impendit in iis, quae Patris sui erant, et nostram salutem concernebant**. Ad hoc, ut **confessarius poenitentis torporem et ignaviam fortius excutiat, merito ei considerata proponet gravissima damna, quae ex acedia proveniunt tam in hac quam in altera vita**. Acedia enim cor coelestibus **consolationibus evacuat, implet vero tristitiis; aperit portam innumerabilibus peccati tentationibus, cum multam malitiam doceat otiositas**, adeo ut anima talis incultae vineae sive agro sit similis, de quo Salomon: „Per agrum hominis pigri transivi: et ecce totum **repleverant urticae; et operuerant superficiem ejus spinae: et macteria lapidum destructa erat**“¹⁾. Quid enim aliud **urticae sunt, quam peccata? et spinae, quam passiones et conscientiae amaritudines? Ex quo extrema spiritualium bonorum inopia et inutilis mendicitas provenit. Qui enim propter frigus arare noluit hyeme hujus vitae, mendicabit aestate mortis, et non dabitur illi**“²⁾. Et „qui **sectatur otium, replebitur egestate**“³⁾: sicut quinque illae **fatuae virgines, quae ex pigrizia dormierunt, et cum excitatae oleum a prudentibus peterent, non fuit illis datum**“⁴⁾. **Justi praeterea ipsi maxima patiuntur damna a tepiditate, quae velut tinea est virtutum, et vermibus bonorum operum, conscientiarum aloë, divinarum consolationum exilium, meritorum diminutio et laborum**

1) Prov. XXIV. 30. 31. — 2) Prov. XX. 4. — 3) Prov. XXVIII. 19.

4) Matth. XXV. 9.

augmentum: tepidi enim in virtute pleni sunt timoribus et desideriis — „Pigrum quippe dejecit timor, desideria occidunt pigrum“ ¹⁾, laborant multum, et proficiunt parum, et incidunt in illam Jeremiae maledictionem: „Maledictus, qui fecit opus Domini fraudulenter et negligenter“ ²⁾. In altera vero vita terribilem sustinebunt poenam. „Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et mittetur in ignem“ ³⁾. „Quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo“ ⁴⁾. „Servus piger, qui fodit talentum Domini sui, (iis, quae prius habebat) spoliatus, missus est in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium“ ⁵⁾. Ludovicus Granatensis libro saepius laudato considerationes commendat, quibus se armare oportet, cum turpe et ignavum hoc malum animum tentat ⁶⁾.

Contra peccatum desperationis.

§. 195. Cum desperatio sit ceteris peccatis periculosior, debet confessarius tanquam peritus medicus spiritualis omnino studere conari, poenitentem in desperationem lapsum in spem erigere, tentatum a lapsu praeservare. Ut vero id congrue fiat, primo radicem desperationis inquirat, et quatenus vel ex luxuria vel aegritudine enascitur, usu remediorum contra haec vitia, illud quoque desperationis facile curabit. — Quodsi vero oritur ex eo, quod graviter peccatores existimant, sese derelictos esse a Deo, et ob enormitatem et multitudinem peccatorum, ac etiam ob praesentem in peccata proclivitatem, actum esse de eorum salute, pro remedio proponendum est:

1) Punctum esse fidei nostrae in Scripturis sacris aperte revelatum, nulla peccata esse adeo enormia ac multiplicia, quin omnipotens et misericordissimus Deus possit et velit ea remittere cunctis poenitenti per gratiam Dei vere poenitenti, juxta illud Ezechielis: „Si impius egerit poenitentiam . . . omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor“ ⁷⁾.

2) Ex iisdem sacris literis, ex historia ecclesiastica et quotidiana experientia constare, Deum peccatoribus longe gravissimè concessisse gratiam vere poenitendi, et ea mediante remissione peccatorum ac salutem aeternam, ut constat in Davide, Manasse, Matthaeo, Zachaeo, Maria Magdalena, bono Latrone, Saulo, Marthaeo, Aegyptiaca, Augustino aliisque.

3) Quidni ergo poenitens, etsi gravissimo multiplicium scelerum pondere depressus, animum erigat et speret, se quoque a Deo misericordissimo obtenturum gratiam vero poenitendi et remissionem

1) Prov. XVIII. 8. — 2) XLVIII. 10. — 3) Matth. III. 10. — 4) Apoc. III. 1 — 5) Matth. XXV. 28. 30. — 6) Dux peccatorum p. 670—677. — 7) XVII. 21. 22.

nem peccatorum, si eam, prout oportet, humiliter ac ferventer postulet per viscera misericordiae ejus, nec non per merita passionis Domini nostri Jesu Christi? Etsi autem poenitens, qui vel in desperationem lapsus est, vel circa illam tentatur, hactenus divinae gratiae vim eliserit, continuo in peccata relabendo, ideoque sibi videatur, quod nec deinceps ea bene usus sit ob toties expertam fragilitatem; edoceatur, Deum in thesauris suis paratas habere gratias ante collatis longe efficaciores, quibus adjutus homo eniti potest ad palmam victoriae. Itaque humili, ferventi ac perseveranti oratione a Deo efflagitet gratias illas efficaces, quibus et de praeteritis sceleribus salubriter poeniteat, et a futuris absteineat. Ut vero promptius exaudiri valeat, imploret patrocinium beatæ Virginis Mariæ ac Matris Dei. „Si criminum, ait S. Bernardus, immunitate turbatus, conscientiae foeditate confusus, judicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiae, desperationis abysso, cogita Mariam — Mariam invoca. — — Ipsam rogans non desperas”¹⁾.

4) Poterit etiam confessarius poenitentem desperandum consolari ac in spem extollere, eidem repraesentando amorem immensam ac infinitum filii Dei incarnati, quo omnem hominem prosequitur, et quem tot tantisque tesseris comprobavit. O amice poenitens, noli posthac in negotio salutis tuae dejecto esse animo, sed potius sum erige, et dic cum S. Augustino: „Desperare utique potuissim propter nimia peccata mea — — sed desperare jam non audeo, quia, cum inimici essemus, reconciliati sumus per mortem filii tui, quanto magis reconciliati, salvi facti sumus per Eum? omnis namque spes et totius fiducia certitudo mihi est in pretioso sanguine Ejus, qui effusus est propter salutem nostram. In ipso respiro et in ipso confisus ad te pervenire desidero”²⁾.

Contra peccatum praesumptionis.

§. 196. Variæ dantur praesumptionis species, hinc varia quoque remedia confessario ad manum esse debent, praesumptionis peccati reis praescribenda. Quare si confessarius animadvertat, poenitentem laborare praesumptione, qui ita propriis confidit viribus, ac si sine gratiae divinae adjutorio posset quasvis tentationes superare, vel a peccato resurgere vel opera salutaria perficere, oportet illi, postquam de hoc fidei articulo convictus fuerit, pro remedio praescribere, ut serio ruminet sacrae Scripturae testimonia, quibus exprimitur necessitas gratiae divinae ad singulos actus salutari ter bonos, ut frequenti illorum testimoniorum meditatione, nimia illa de propriis viribus confidentia excludatur. Ex. g. „Sine

¹⁾ Hom. 2. super: Missus est. — ²⁾ C. 14. Medit.

me nihil potestis facere" 1). „Non sufficientes sumus cogitare a quid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est" 2). „Deus est, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate" 3).

Adversus aliam praesumptionis speciem, qua quis confidit Dei bonitate et misericordia, quin aut poenitentiam agere velit, aut exercere opera bona, ea sacrae Scripturae loca expendenda sunt quibus necessitas poenitentiae ad remissionem peccatorum et bonorum operum ad salutem inculcatur. Ex. g.: „Si poenitentiam n. egeritis, similiter peribitis" 4). „Facite fructus dignos poenitentiae" 5). „Reddet (Deus) unicuique secundum opera ejus" 6). „Qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem; qui vero seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam" 7). De hac illa praesumptionis specie vide Theologiam dogmaticam.

Porro eis, qui peccant vitio praesumptionis eo, quod sese occasiones proximas et graves tentationes sponte ingerunt, contentes, quod in illis non labentur, ostendere oportet ex Scriptura sacra, et sanctis Patribus, huiusmodi confidentiam plenam esse non meritate, et quidem, attestante Spiritu Sancto 8): „Qui amat iriculum, in illo peribit." Idque sive confidentia illa nitatur propriis viribus, quia hae nimis infirmae sunt et imbecillae; sive auxilio vino sperato, quia Deus istud ultro se in graves tentationes contentibus nullibi promisit, quin imo tales plane merentur, ut auxilium divinum iis subtrahatur: sicut miles dignus est, non adjuvari a Duce, dum neglecto ducis praescripto in medium hostium se committit. — Pariter qui exemplo boni latronis *salvati* confisi emendationem ad vitae finem remittunt, verba Doctoris melliflui sedulo serio ponderare jubentur: „In toto canone Scripturarum nullum alium praeter hunc latronem iuvenies sic salvatum." Unus est *salvatus*, ne desperes, *unus* autem, ne praesumas 9). „In infirmo, S. Augustus, infirma est poenitentia, et in moribundo timeo, ne immoriatur Qui in peccato mori non vult, in peccato non vivat qui enim in peccato vivit, saepissime, antequam poenitentiam agat, iusto Dei iudicio in peccato moritur, ut mors sit vitae scelera consentanea; vivite bene, ne moriamini male" 10). Praeclara et modum in causam praesentem etiam Com. de Stolberg in opere praefatur 11).

1) Joan. XV. 5. — 2) II. Cor. III. 5. — 3) Phil. II. 13. Cfr. Araus. II. c. 6. et Trid. Concilium. — 4) Luc. XIII. 5. — 5) Luc. III. 8. — 6) Mat. XVI. 27. — 7) Gal. VI. 8. — 8) Eccli. III. 7. — 9) Cfr. Librum de re clavium usu, auctore Joanne Episc. Castoriensi. Venet. 1771. p. 27
10) Serm. de Script. item de Verbo Domini. — 11) Religionsgeschichte V. Th. p. 448 — 452.

Caput IV.

De principiis generalibus circa absolutionem observandis.

Confessarius iudex peccatorum a Christo constitutus.

§. 197 Si exomologesin tamquam veri nominis Sacramentum consideramus, confessarius jam non solum qua conscientiae arbiter assidet, qui pro ampliori doctrina sua poenitentem dijudicare, ejus vulneribus mederi, eumque in prosequenda virtutis semita dirigere possit, sed tanquam Dei ipsius minister nobis proponitur, cui superna ligandi et solvendi potestas commissa fuit. Dumque hac divinitus sibi concredita potestate utitur, ejusdem absolutio non est mera remissionis declaratio, sed est actus proprie *judicialis*, quo revera a peccatis absolvimur, et merita Christi coelestesque gratiae (dummodo nullum ponamus obicem) largissime in nos dispensantur. Cum enim Christus sacerdotibus potestatem remittendi et retinendi peccata concessit, mens ejus certe alia non fuit, quam ut inquisitione facta, et causa cognita, quos dignos judicaverint, absolvent, reliquis peccata retinerent; hoc enim verba ita exprimunt, ut non possint aliter intelligi. Manifeste haec res ostenditur ex verbis Joannis ¹⁾; neque enim Christus dicere potuisset: „Quorum remiseritis peccata, remittentur eis;” sed debuisset dicere: Quae remissa fuerint in coelis, haec vos remissa declarabitis in terris. Cum igitur Filius Dei, homo Christus Jesus, cui omne iudicium datum est omnique potestas in coelo et in terra, dixerit Apostolis: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos; quorum* etc. ambigi nulla ratione potest, eos esse *judices peccatorum* a Christo Domino constitutos ²⁾. Sed quoque perpetua Ecclesiae traditione et antiquorum Patrum testimoniis edocemur, qui unanimi voce profitentur, potestatem sacerdotum ipsius Christi potestatem esse. „Quod per sacerdotes facit, ipsius Christi potestas est,” inquit Pacianus ³⁾. Et S. Gregorius exponens haec verba Evangelii: *Quorum remiseritis etc.* ait: „Principatum divini iudicii sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent ⁴⁾.” S. Chrysostomus, novae legis sacerdotes cum sacerdotibus Judaeorum comparans, docet: „his non lepram purgare datum, sed purgatos probare. At vero nostris sacerdotibus non corporis lepram, sed animae sordes, non dico purgatos probare, sed purgare prorsus concessum est” ⁵⁾. Unde Conc. Trident. necessitatem jurisdictionis in ministro, et confessionis ex parte poenitentis ex hoc fonte derivat ⁶⁾.

1) XX. 21. — 23. — 2) Vide Theol. dog. — 3) Ep. 1. ad Symph. — 4) Hom. 26. — 5) Libr. 3. de Sacerd. — 6) Sess. XIV. can. 5. 7. 9. Catechism. Rom. P. II. c. 5. q. 15.

Summopere dolendum est, quod multi, ubi de Sacramento poenitentis scribunt, veram Sacramenti indolem reticentes, illud ceu meram poenitentium directionem exhibeant, quo fit, ut plurimi in sensu suo abundantes existiment, se utpote sibi ipsis sufficientes, hac directione non habere digere. Sit etiam, tales confessarios multo sapientiores esse, ast Sacramentum istud non in mera directione consistit, cui unusquisque peccato si quidem occasionem habet, semet subicere iubetur.

Canon universalis et objectivus in usu potestatis sacramentali

§. 198. Cum confessarius duplicem habeat potestatem divinitus sibi collatam, aliam quidem ad remittenda, aliam vero ad remota peccata, ante omnia scire oportet, *quandonam, et quomodo* ea uti debeat, ne vel ipsemet, vel grex Christi detrimentum patitur. Ut enim magno se crimine adstringit, qui thesaurum Christi Sacramento Poenitentiae latentem hominibus vere poenitentibus crudeli parsimonia occludit, liberalem Christi munificentiam excludit, et aquam gratiae ex illo fluentem avara manu cohibet: ita milititer in gravissimam incidit culpam, qui hanc suam potestatem usu iniquo corrumpit, et ad sui ostentationem convertit; qui timore respectu, quod frequentius fieri solet, aliave quavis animi perturbatione commotus, in non dignos effundit. Deus explicite vetat, sancta indignis projiciantur: „Nolite sanctum dare canibus.“ „Irrita et falsa pax, inquit Cyprianus, periculosa dantibus, et non accipientibus profutura: — — si quis temerarius remissionem peccatorum dare se cunctis putat posse, audetque praecepta recedere, non tantum nihil prodest, sed et obest.“¹⁾ Ut igitur confessarius potestate clavium legitime in suam poenitentiumque salutem utatur, nunquam non sibi praesentem habeat canonis instar sequentem regulam: „*Absolutio non nisi capacibus et dignis impertienda incapacibus autem et indignis nunquam impertienda est.*“ Quae propositio certa et invicta in natura Sacramenti Poenitentiae, ipsis sacris literis sacrarumque canonum regulis, adeo liquido constat, ut probationis argumenta in medium proferre jure supersedere possimus. Hinc missa probatione restat tantum inquirere, qui in capacium et indignorum nomine veniant. — Dicimus autem percipiendae absolutionis sacramentalis incapaces, qui utut baptizati *absque sua culpa*, materiam ad Poenitentiae Sacramentum absolute necessariam, *praebere non possunt*. His adnumeramus a) jam mortuos, b) a confessario absentes, c) eos, qui per merum mentis nondum sufficienter excultae vel hebitis, defectum, committentem veri nominis peccato impares sunt, d) eos, qui licet sine culpa ignorant necessaria necessitate medii, e) denique eos, qui *sine sua culpa* ne tantum quidem confessionis sacramentalis peragere,

¹⁾ Matth. VII. — ²⁾ De lapsis.

tantum quidem contritionis de peccato in se excitare valent, quantum ad Sacramentum Poenitentiae *absolute* requiritur. Exempla huc spectantia v. g. de pueris, fatuis etc. infra Sect. II. recurrent.

Indignos absolutione sacramentali dicimus, quos *propria culpa prohibet*, quominus absolutio ipsis efficax esse queat. Differt indignitas ab incapacitate mera, quod illa culpabilis, haec inculpabilis sit. Indigni sacramentali absolutione sunt omnes, qui *nedum animo emendati*, vel *nondum contriti sunt*¹⁾, hinc vel de peccatis non dolent, nec propositum de cetero non peccandi habent, vel emendationis et satisfactionis opera praestare renituntur. His quoque adnumeramus omnes, qui *crassa* et *culpabili* tenentur in necessariis Religionis doctrinis *ignorantia* — infideles, haereticos, schismaticos formales — excommunicatos, qui conditiones, quibus expletis ad Ecclesiae communionem reciperentur, inire malevole tergiversantur.

A. De absolutione danda.

Absolutionis forma absoluta.

§. 199. Absolutionis, quae datur, forma dividitur a nonnullis in *absolutam*, si nulla, et in *conditionatam*, si quaequam adjicitur conditio. Prima locum habet, si poenitentis absolvendi capacitas et dignitas ex genuinis liquido constat signis sinceræ contritionis; (nisi specialis causa occurrat, quae absolutionem saltem ad tempus differendam suadeat). Nam poenitens per confessionem, quam genuina contritionis signa comitantur, jus ad absolutionem acquisivit adeo, ut injuste ageret confessarius, si omnibus, quae ad obtinendam gratiam sacramentalem ex parte poenitentis requiruntur, expletis, ipse iudicis officio fungi, et reum simpliciter absolvere detrectaret. „Quos enim omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat²⁾.”

Absolutionis forma conditionata.

§. 200. Quod absolutionis formam conditionatam attinet, quaestiones plures moventur: a) quae et qualis sit forma conditionata? b) num licita nec ne? c) quando locum habere possit? d) num verbis exprimi debeat, an mente eam concipi sufficiat.

1) Conditionata absolutionis forma, de qua hic sermo est, ea tantum intelligitur, quae conditionem *de praesenti* involvit, *illam* videlicet: Si capax, vel dignus, sive dispositus es, ego te absolvo. Absolutio enim collata sub conditione de *futuro*, v. gr. „Si resti-

¹⁾ Conc. Trid. Sess. XIV. cap. 5. — ²⁾ S. Græg. hom. 25. in Evang.

tueris, ego te absolvo", plane invalida est. Nam absolutio talis nec valet tunc, cum pronuntiatur, quia deest intentio absolventis, nec valet, cum ponitur conditio, quia forma jam non est moraliter praesens: Sacramentum non nisi praesens operatur, et ex se producit id, quod significat, significat autem effectum de praesenti. Cum vero aliquis absolvitur, qui alias non posset absolvi, nisi promittat satisfacere vel restituere, vel remove occasionem, *promissio praestita* debet absolvi, et quidem non conditionate, sed simpliciter sub solita forma.

2. Num licita sit absolutio sub conditione de praesenti data, non omnes consentiunt. Patroni sententiae affirmativae ita rationantur: Communis praxis non omnino prohibet, quin imo suffragari videtur quia in genere conditionata reiteratio Sacramenti licita censetur, si administrato Sacramento positivum de ejus validitate dubium suboritur. Sic Petrus Collet, continuator praelect. theol. g. Tournellii, ait: Usus formae aut potius intentionis conditionatae non modo legitur nullibi prohibitus, sed timoratorum usu et ecclesiae praxi hodie satis firmatus est¹⁾.

3. Si quaeritur, quando absolutio sub conditione danda sit, regula statuitur sequens: Tunc poenitens conditionate absolvendus est, quando confessarius positivo dubio tenetur, num absolvendus capax dignusve sit, et si simul casus necessitatis absolutionem differre disuadeat aut prohibeat, videlicet, si urgeat periculum mortis; — si ex absolutione non data, gravioris diffamationis, vel scandali vel damni non aliter quam per aliud peccatum (puta mendacium) effugiendorum periculum timetur; — si ex adjunctis conjicere licet, nunquam fore, ut omne dubium circa necessarium personae dispositionem absit, simulque durius sit, eum diutius absolutionis gratia, *cujus capax et dignus esse possit*, privare. — Sic absolutionis forma conditionata utendum esse praecipiunt, si confessarius prudenter dubitet, an moribundus vivat vel sentiat; aut an sit rite dispositus, v. g. cum sponsi confitentur immediate ante suscipiendum Sacramentum matrimonii, vel confitetur puer, quem pater secum ad S. Tribunal duxit, vel unica persona, quae scilicet et illico post confessionem ad communionem ituram esse aeditus tempore declaravit, et simul ex non impertita, ob prudens de eorum dignitate dubium, absolutione, periculum diffamationis gravis instat vel cum dubitatur: an puer vel semisfatuus sint rite praeparati praesertim in periculo mortis, et tempore paschali.

4. Utrum, si absolutio sub conditione datur, conditio verba in forma absolutionis exprimi debeat, an vero sufficiat, eam men-

¹⁾ Tou. IV. p. 138. Edit. Venet. — Cfr. Gerson. in Tract. de Schism. tom. II. p. 79. Powondra Theol. past. tom. V. Köhler Beichtstuhl Seelsorger. II. Th. p. 135. IV. Regel.

solum concipi, patroni formae conditionatae dissentiunt. Plures ajunt, posse quidem confessarium secure sequi praxin et sententiam communem auctorum asserentium, sufficere, si sola mente apponatur ¹⁾; e contra alii praecipiant, ut expresse addatur, quia etiam in Sacramento Baptismi Ritualia jubent explicite poni conditionem, ideoque securius videri, si idem etiam in hoc Sacramento fiat.

Sententia contraria.

§. 201. Jam vero sunt, qui praefatae sententiae non subscribunt, et formam absolutionis conditionatam reprobant. Argumenta illorum in medium proferentes minime gentium eo consilio ducimur, ut auctoritati virorum scientia et pietate insignium, qui conditionatam absolutionis formam admittunt, quidquam derogare velimus, sed ut lector quoque pernoscat, cur alii laudatam absolutionis formam adoptare detrectent.

A. Generatim forma conditionata in nullo olim Sacramento usitata fuit, neque in Baptismo, uti patet ex Natal. Alexand. historia ecclesiastica sect. IV. c. IV. Seculo VIII. Prima vestigia conditionalis Baptismi occurrunt in statutis S. Bonifacii; ast nequaquam subito universalis fuit haec praxis, sed diu adhuc postea alii et theoretice et practice tenuerunt formam tantum absolutam. Vide Synodum Eborac. London. Hugon a S. Vict. Magistrum Sententiarum, Petrum Pictav. etc. Tandem cum sec. XIII. sub Gregorio IX. epistola Alexandri III. Papae de Baptismo conditionato corpori juris canonici inserta est, usus conditionis adponendae ad formam Baptisimi in Ecclesia occidentali invaluit.

B. Sed ex hac etiam admissa in Baptismo forma conditionata nihil sequitur pro Sacramento Poenitentiae in conditione administrandae; nam 1) ipsa verba Salvatoris: Quorum remisistis etc., formam absolutam important, nihilque conditionis continent, unde juxta Christi institutionem peccata aut precise remittantur per absolutionem, aut retineantur.

2) Alioquin quod ex verbis institutionis sequitur, absolutio complectitur *actum vere judicialem*; atqui forma conditionata cessat esse judicialis; ergo Sacramento Poenitentiae nequaquam convenit. Qualis e. gr. esset haec judicis ferentis sententia: „Ego te absolvo a crimine furti, vel adulterii etc. — si innocens es.”

3) In genere notandum, indolem Sacramentorum semper bene esse attendendam, nec quod uni competere potest, praeter rem ad alterum juxta analogiam transferatur. Si Baptismus sub forma conditionata confertur, adest *dubium facti*, secus vero in Sacramento Poenitentiae, ubi *dubium juris*, quando nimirum dubium circa poe-

¹⁾ Bened. XIV. Se synodo dioecesana libr. VII. c. 15.

nitentis dignitatem versatur, obtinent. Jam quod licet in dubio facti, non transferendum est ad casum, in quo agitur de dubio juris.

4) In Patrum traditione forma Poenitentiae conditionata frustra quaeritur nisi ad internam mentis intentionem verbis non expressam confugere velimus. Sed nihil quoque est, quod talem Patrum intentionem nobis indicet, nam si putant, Patres propterea in intentione saltem conditionata esse usos forma, quia tanquam viri pii sic declinare poterant crimen sacrilegii aut irreverentiae, id quidem nihil evincit. Sic e. gr. si redeamus ad Baptismum, quem alicui administratum esse dubitatur, Patres volunt, ejusmodi hominem simpliciter baptizari, neque mentionem faciunt intentionis conditionatae, quia alia ratione avertere a se moliuntur crimen sacrilegii reiterationis, ajunt videlicet: „Non est iteratum, quod factum esse omnino nescitur ¹⁾.” Idem etiam de Confirmatione dubia, ait S. Gregorius ²⁾. Patres, quia ita loquuntur, certe sine occulta intentione Sacramentum administrasse censendi sunt.

5) Libri rituales, qui ceteroqui minimas sacramentorum ceremonias indicant, et Baptismum quoque seriori tempore cum conditione conferri posse adnotant, prorsus silent de absolute conditionata, etiam ubi de pueris moribundis loquuntur; certo non negligentia aut inscitia, sed quia neque licitam, neque necessariam judicarunt. Speciatim Sacerdotale Romanum, quod Albertus Castellanus concinnavit, et Leoni X. S. P. nuncupavit, a Pio IV. emanatum, et, ut multis videtur, approbatum, dum de Baptismo conditionato agit, ad marginem notat: „Secus in Sacramento Poenitentiae, quod non licet.“

6) Neque concilii alicujus auctoritate absolutio conditionatur, imo potius praecavet Concilium Tridentinum, ne quis praevatus ritum in solempni Sacramentorum administratione contemnat, aut omittat, aut in novos alios mutet. Jam si nemini licitum est, ritus accidentales variare, multo minus ipsam Sacramenti formam immutare, aut vertere, permissum erit privatis theologis. Est vera forma Sacramenti Poenitentiae ex Ecclesiae sensu: „Ego te absolvo,“ haec utique est absoluta, non conditionata.

7) Quod tandem casus varios attinet, in quibus conditionate tantum absolvi possit, ajunt illos non esse ejus indolis, ut non per absolutionem inconditatem, quando absolutionis prorogatio omnino locum habere nequit, solvantur. Quare obtinente tantum *dubio* vel *de poenitentis dispositione*, si adsit *gravis necessitas*, quae absolutionem differre dissuadet, vel prohibet, puta, a) periculum diffamationis, vel scandali, vel damni, b) periculum mortis, vel *de vita poenitentis*, licitum esse volunt simpliciter absolutionem conferre, quin violatio Sacramento debitae reverentiae metuenda sit. In ex-

¹⁾ Leo. M. Epist. 92. — ²⁾ Libr. 2. XII. Indict. 7. Epist. 31.

tremis extrema tentanda, et cum Sacramentum sit a Christo Domino institutum pro salute poenitentium, quando alter utrum periclitari necesse est, potius Sacramentum, quam animae exponi possunt periculo. Si moribundo christiano et vitae probatae, qui casu subito ita opprimitur, ut nec voluntatem confitendi peccata, nec suum de illis commissis dolorem ullo signo testari possit, absolutionem simpliciter concedi posse, auctoritate divi Augustini¹⁾, astruunt; quia ipsi contritionem voluntatemque confitendi deesse non constat, et, licet utrumque exprimere nequeat, ipsi tamen inesse merito conjicitur. Casu vero, quo de vita poenitentis dubitatur, sacerdos vitam potius, quae dicitur esse in possessione, quam mortem, prudenter supponit, atque adeo reconciliationem forma absoluta impune tribuere potest. — Verum in hujus quaestionis controversia praeplicet distinguere inter *dubium juris et facti*, ita, ut juxta analogiam de Baptismo conditionato, absolutio *sub conditione* conferatur, quando adest *dubium facti*, puta, num poenitens adhuc vivat, num desiderium confitendi habeat nec ne; *secus vero*, ubi *dubium juris*, scilicet de poenitentis dignitate obtinet. Ceterum commendamus illud S. Augustini: „Non tamen propterea damnare debemus eos, qui timidius agunt, quam nobis videtur agi oportere, ne de pecunia conservo credita improbius quam cautius judicare voluisse judicemur. — Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius invicem judicemus“²⁾).

Rituale Parisiense, auctoritate Hyacinthi-Ludovici de Quelen, Archiepiscopi Parisiensis anno 1839 editum hac de re statuit: „Si quando dubitetur, an adhuc vivat, qui absolendus occurrit, Sacerdos uti potest forma conditionali: *Si vivis, ego te absolvo*, etc. In alio autem quocunque casu adhiberi sola debet forma consueta, nunquam vero conditionalis, etiam propter dubias poenitentis dispositiones, quemadmodum in morbo periculoso saepe venit.“

A. De absolutione non danda.

a) Dilatio.

§. 202. Si absolutio non datur, ea *deferri* potest, aut *negari*.

— Absolutio differtur, si poenitenti absolutio quidem non conceditur, **ast** pro futuro quopiam momento adcurate determinato sub deter-

¹⁾ Libr. 1. de adulterin. conj. c. 26, 28. — ²⁾ Cfr. Cardinal. Cajetan. in summa V. absolutio. — P. Bonifacii Schneidenbach de ratione solvendi et ligandi in Sacramento Poenitentiae Diatriba, 1774. Directeur des Ames penitentes, tom I. p. 428. à Paris. — Institut. theolog. tom. IV. p. 350. Lugd. 1780. — Ludov. Philippi D'Anneau. Eppi. Fessensis Suffrag. et Vic. gen. Dioecesis Argentinensis, Monita selecta de officio confessarii et parochi. Aug. Vind. 1789. pag. 102. §. 3.

minatis quibusdam conditionibus promittitur. Differenda est autem, quoties de confitentis capacitate sive dignitate dubium sit prudens, atque simul nulla necessitas absolutionem dare urgeat. — Sit haec ipsa dilatio poenitenti novum calcar, ut monita et praecepta confessarii tempore intermedio certius exactiusque exsequatur. Accedit, quod per opera a sacerdote injuncta, quae absolutionem praecedunt, poenitens paulatim impetret majora et uberiora auxilia ad dilectionem Dei, et contritionem animi excitandam. Dilata absolutione peccatores pravos habitus exueri rebellesque animi affectus compescere docentur. Nunquam aegrotus, nisi vim acerbitemque morbi sentiat, in illum denuo incidere formidabit. Nunquam criminis poenam satis peccator pendet, ut eju metu et terrore percussatur, neque cogitationem in supplicium intendet peccatis debitum, nisi mora et spatium illi detur, ut consideret, in quantam calamitatem se peccatis suis dejecerit, sibi que proponat firmiter quidvis patiendum, quidvis ferendum, quidvis primum dimittendum, quam ut in miserum statum, unde emergere nititur rursus praecipitem se ferri sinat. Hanc regulam etiam Sanctos Patres tenuisse contra relaxationes quorundam S. Cyprianus invictus docet. Quenam hujus viri sensa fuerint, non melius intelligi possunt, quam ex Sermone V., quem de lapsis scripsit, ubi per apostrophem sese ad peccatores convertit, furens contra confessarios sibi absolutionem differentes: „O tuam nimiam, furiose, demerentiam! Irascaris ei, qui pro te misericordiam deprecatur, qui vulnus tuum sentit, quod ipse non sentit, qui pro te lacrymas fundi- quas ipse forsitan non fundit. Oneras adhuc crimen et cumulas.” Et Carolus ¹⁾ eadem monita tradit; et S. Xaverius P. Caspari praecipit, ut *quibusdam* confitentibus non continuo conferatur absolutio sed in breve tempus differatur, ut interim animorum maculas lacrymis ac voluntariis eluant poenis. Si quid cui debent, restituant; si multatibus, si quas habent, depositis redeant cum inimicis in gratiam; a libidinis consuetudine ceterisque, quibus impliciti sunt, flagitiis expediantur. Haec omnia absolutionem praecurrunt rectius quam sequuntur. Nam istiusmodi homines in ipsa confessione promittunt, se cuncta facturos, post absolutionem fidei datae immemores promissa irrita cadere patiuntur ²⁾.” Huc facit *Synodus Gebennensis* a successore S. Francisci Salesii habita, cujus haec habentur verba: „Varii presbyteri se faciles praebent in danda peccatorum remissa, modo peccatores spondeant emendationem et elongationem a peccandi occasione proxima. Diligenter inquirendum est num idem non saepius promiserint. Nam si id ipsum promiserint identidem, nec promissum adimplerint, presbyter illorum verbis non

¹⁾ In libro de ratione administrandi Sacramentum Poenitentiae. — ²⁾ In vita ab Horat. Turs. exarat. p. 381.

debet credere, sed *differre absolutionem*, quoadusque ab istis occasionibus peccandi recesserint, et *quoadusque per aliquod temporis spatium ad eas non redierint*. Nam si detur absolutio sine spe probabili, quod poenitens stabit promissis, Sanguis Jesu Christi profanationi exponitur, et presbyteri iteratarum prolapsionum, et illorum malorum se reos constituunt, quae ex falsis nascuntur, absolutionibus, *quibus perit tum presbyterorum, tum poenitentium multitudo infinita* ¹⁾.”

In Concilio *Pragensi* Provinciali anni 1603, postea recuso anno 1650 jussu D. Archiepiscopi Card. de Harrach ²⁾, ita admonetur confessarius: „Quos in graviora crimina frequenter ex prava consuetudine incidisse animadvertit, *iis ad aliquot dies*, atque adeo menses, *prout morbi gravitas exegerit, absolutionem differat*: ita tamen ut illos sanare, non autem in desperationem aut confusionem inducere, pie prudenterque procuret ³⁾.” Bene igitur pensitandum, spectata poenitentis indole, utrum dilatione absolutionis periculose affligendus irritandusve, an vero salubriter excitandus credatur. Etenim in priori casu oportebit absolutionem dare, quam alioquin differre maluissemus.

Continuatio.

§. 203. Verum obmovent, in confessionali *poenitenti credendum esse*. Id concedimus, si de factis est sermo, quae confitens adfirmat, v. g. num hoc illudve peccatum patnaverit, vel ab hoc inde tempore iteraverit, num ablatum restituerit, num occasionem peccandi divitaverit, num popinam diebus feriatis non amplius frequentare firmiter decreverit; ast si de iudicio super haec facta quaeritur, non soli poenitenti credendum est, sed num peccatum quodpiam pro graviore leviove, num dolor, quem confitens de peccatis suis habere asserit, pro puro et genuino, propositum pro efficaci, animus pro emendato habenda sint, confessarius ipse dijudicet necesse est. Ad verba haec: „Poenitenti sicut contra se, ita et pro se credendum est,“ Contensonius, doctrina et pietate insignis Religiosus, sapienter reposuit: Respondeo, inquit, quod licet in enumerandis anteactae vitae peccatis, in enarrandis scelerum numero specie et circumstantiis credendum sit, quippe qui solus male gesta sua dignoscere potest: attamen quantum attinet ad cordis conversionem, cum multoties verba fefellerunt, non satis tuto illi creditur, unde

¹⁾ Part. IV. tit. 9. cap. 5. — ²⁾ Titulo de poenit. p. 78. — ³⁾ Cfr. Dissertationem Card. de Aguire in Canones. 11. et 12. Concilii Tolet. III. in libro contentam, cui titulus est: *Doctrina de Sacramento Poenitentiae recte administrando*, quam nova Canonum collectione eandem in rem ex conciliis Germaniae locupletavit presbyter et monachus Benedictinus Congreg. S. Blasii in S. N. — Typis. San-Blasianis. 1778.

prudenter ex factis probatio exigitur. Tum quia voluntas sinceræ non ita certo verbis ac operibus se prodit et indicat, tum quia de dispositione ad veniam recipiendam idonea aestimare non ad reum pertinet, sed ad iudicem a Deo constitutum, non ad discipulum, sed ad doctorem et rectorem animarum, non ad aegrum, sed ad medicum. Tum quia tot sunt in animis nostris recessus, tot latebrae, et saepe praesertim post iterata flagitia, nebulae et offusae tenebrae ut se ipsum peccator cognoscere non possit, quia (ut ait S. Gregorius) »saepe sibi de se mens ipsa mentitur, fitque, ut aliud in intimis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat. Et fingit se de bono opere amare, quod non amat, de mundi autem gloria non amare, quod amat. Cujus signum est, quod in praecedentibus confessionibus emendationem promittebat, et verum se proposito affici putabat, et tamen mentiebatur sibi iniquitas, ne reapse mutatus erat, quia eadem peccata, eosdem iniquitatis fructus edidit juxta commune philosophorum axioma: *idem manens idem facit idem*. Idem ergo intus in corde mansit, qui eadem foris protulit; et qui se ipsum toties decepit, seipsum decipere moraliter prudenterque censetur, nisi certiora argumenta producat¹⁾.” — **H**is sancta Sedes Romana propositioni huic nigrum theta affixit: »Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturam aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla adpareat, nec est dene ganda, nec differenda absolutio, dummodo *ore proferat*, se dolere et proponat emendationem.”

Neque pugnat hoc cum Christi verbis ad Petrum: »Non die tibi usque septies, sed usque septuagies septies²⁾.” Voluit enim Christus his verbis innuere id, quod fieri possit, non autem interdici, quod aliquando fieri deceat. Manifestum est, peccatori benedictio absolutio concedi posse, quamvis millies peccaverit. Nihilominus tamen etiam verum est, praestare quandoque peccatori ut in remedium et cautionem absolutio differatur. Istud enim non est proprie nolle condonare, aut absolutioem prorsus denegare, verum morari duntaxat et protrahere, ut majori postea cum fructu et lucro suo conferatur. Quod ipsum cum S. Pauli sententia congruit: »Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt³⁾.”

Dilatio exasperat poenitentem, qui ira exardescet in confessarium, ut forsitan haud reversurus sit ad S. Tribunal. — Medicus nulla habenda est ratio clamorum et querelarum aegrotantis, ubi illum tractat, sed valetudinis, quam eidem procurare conatur. S. Cyprianus de lapsis: »Vociferetur, et clamet, et conqueratur aeger impatiens per dolorem, gratias agat postmodum, cum senserit sanitatem.” Et Tertullianus: »Est et haec perversitas hominum, salu-

¹⁾ Tom. IX. diss. de Sacramento Poenit. cap. 3. — ²⁾ Matth. XVIII. 22 — ³⁾ I. Cor. X. 22.

taria excutere, exitiosa suscipere, periculosa quaeque medicamina vitare, mori denique citius quam curari desiderare. Nam et medicinae praesidium plures refugiunt, plures timidi et male verecundi. Et est quasi saevitia medicina de scalpello atque cauterio, de sinapi, incendio, nec tamen secari, inuri, et extendi mederique idcirco malum, quia dolores utiles adfert, nec quia tantummodo contristat, recusabitur, sed quia necessario contristat, adhibebitur. Horrorem operis fructus excusat, ululans denique, et gemens ille, et mugiens inter manus medici, postmodum eosdem mercede eumulabit, et artifices optimos praedicabit, et saevos jam negabit." Ubi autem confessarii factum reprehendunt eique infamiae notam inurere conantur, „si linguae amaritudo maledicto sive convicio eruperit, respice dictum: cum vos maledixerint, gaudete; Dominus ipse maledictus in lege est, et tamen solus est benedictus. Igitur Dominum servi sequamur, et maledicamur patienter, ut benedicti esse possimus. Fatigetur improbitas patientia tua ¹⁾." Notandum vero, non ex abrupto et re inconsiderata fieri debere absolutionis dilationem, sed postquam admoniti aliquoties et additae comminationes fuerint, nisi ad meliorem frugem se convertant, zeloque ferventiore in divino cultu progrediantur, absolutionem sibi protractum iri. Haec admonitio et minae quoque magnam ad ejusmodi negotium suppeditant utilitatem. Si tamen efficaciae nihil habuerint, erit executioni insistendum.

b) Denegatio.

§. 204. Denegatur absolutio, si poenitens non absolutus dimittitur, sola confessarii declaratione, quod eum, quamdiu in eodem statu, in quo nunc positum se exhibet, perseveraverit, absoluturus non sit. Differunt dilatio et denegatio. Deneganda est autem omnibus, de quorum sive non capacitate, sive indignitate confessario constat, aut admodum magna verisimilitudo adest. Ratio ex ipsius Sacramenti natura desumitur; quod administrandum non est, ubi materia essentialis deest. Hanc fidelitatem ab illo expetit Deus: „Sic nos existimet homo... ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur ²⁾." Neminem autem latere potest, Oeconomi fidelitatem in eo sitam esse, ut, quandoquidem fidelis dispensator, et non superbus potius honorum dissipator audire velit, ut, inquam, Domini bona secundum illius voluntatem distribuat. Deus explicito vetat, ne sancta indignis projiciantur ³⁾." „Servi sumus, ait Bellarminus, di-

¹⁾ Tertul. libro de Poenit. c. 8. — Cfr. Amor poenitens, seu de recto clavium usu auctore Joanne Episc. Castoriensi L. II. p. 96. cap. 10—13. Instructio pastoralis Cardinalis Denhofi §. 14. — ²⁾ I. Cor. IV. 1. 2. — ³⁾ Matth. VII. 6.

spensatores sumus, non Domini sumus; causam Dei, non nostram agimus; offensas Dei, non res nostras remittimus, bona Dei, non res nostras dispensamus ¹⁾.“ Accedit, quod confessarius sit medicus et pater spiritualis. Ullusne enim adeo crudelis fingi potest medicus, qui aegro venenum propinet, per ignorantiam illud veluti salutare pharmacum expetenti? Quis pater est, qui lapidem vel scorpionem, panem vel potum postulanti praebeat? Hoc non est curare, sed si verum dicere volumus, perimere. Sic e. g. deneganda est absolutio, qui *nolunt* rem alienam restituere, aut satisfacere pro damno illato in bonis, sive fortunae, sive famae, sive honoris, cum possint; qui *nolunt* cum inimicis reconciliari; qui *nolunt* occasionem peccandi proximam deserere, aut pravam consuetudinem corrigere, aut alio modo a peccatis abstinere, et vitam in melius emendare.

Regulae practicae.

§. 205. Ex iis, quae §. 197. diximus, regulae practicae pro danda vel non danda absolute quoad capacitatem vel incapacitatem poenitentis, sua sponte fluunt, ita ut eis deducendis supersedere possimus, idque eo magis, quo de personis, quas speciatim spectant, denuo Sectione II. sermo redibit. Ast quod attinet regulas practicas, usui pro danda, vel non danda absolute futuras, quoad poenitentis dignitatem, aut indignitatem, ex emendationis sive contritionis, vel ex pervicaciae criteriis dignoscendam sequentes statuere licet:

1) Si in poenitente signa jam initae ab hoc (saltem quoad animum) emendationis, sive ut antiquiores loquuntur, satis genuinae et efficaciae contritionis *certa* vel *prudenti judicio subnixae* adpareant, absolutio simpliciter concedenda est.

2) Si vero signa mere dubia adpareant, absolutio differatur, nisi eam differre gravis necessitas prohibeat.

3) Si denique signa pervicaciae adpareant, absolutio semper deneganda est.

Pro usu igitur harum regularum signa contritionis verae, item dubiae, nec non pervicaciae criteria nosse oportet, de quibus jam egimus. Ut autem hae regulae in se consideratae clarae sint et breves, usus tamen earumdem difficultatibus circumseptus est non exiguis; etenim agnitio animi jamjam emendati, vel nondum emendati res omnium difficillima est. Quis enim nescit, quam difficulter nostrum ipsorum animi statum agnoscamus? Quanto vero difficillior res erit, si de statu animi vero, de genuina et sincera contritione aliorum agatur? Quantam scientiam, sanctorum inquam, quantum maturum iudicium, quantam morum integritatem, et quam pium charitatis affectum unusquisque nostrum, dum iudices agimus

¹⁾ Serm. 8. de Adventu.

in sacro tribunali, afferre debet? Quia tamen Deus ter Optimus Maximus hoc officium non angelis, sed infirmis hominibus, quales universim sumus, imposuit, ejusdem gravitas ad indefessam quidem industriam provocare, neminem vero deterrere debet. Sacerdos ad id munus deputatus, dum id, quod suum est, pro viribus confert, jure illud S. Leonis dictum sibi usurpat: „Qui mihi honoris est auctor, ipse mihi fiet administrationis adjutor, et ne sub magnitudine gratiae succumbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem ¹⁾.“

Quale nam judicium de legitima poenitentis dispositione in ordine ad absolutionem sacramentalem in confessario requiritur? Theologi responso ab invicem vocibus et modo loquendi dissident, aliis exigentibus *judicium prudens*, aliis *probabile*, aliis denique *moraliter certum*; verum tria haec sensu aliquo sano conveniunt, ac coincidunt. — Sufficere in confessario *judicium prudens* de legitima poenitentis dispositione, cui absolutionem conferre liceat, per se videtur manifestum. Quid enim a confessario amplius exigi potest, quam ut ministerium suum prudenter adimpleat, eos beneficio absolutionis donando, quos prudenti judicio capaces dignosque esse arbitratur? Alii statuunt *judicium probabile*, quod respuendum non est, si dicas *judicium istud*, quod nititur motivo absolute et comparative gravi ac sufficienti, ut trahat virum prudentem in assensum. Aliis placet vocare *judicium moraliter certum*, quibus assentire licet, si moralis certitudo accipiatur pro ea, quae juxta communem hominum existimationem sufficit, ut aliquis prudenter agat, quia justam dubitationem excludit.

Quid vero, si dubia est poenitentis dispositio et simul necessitas absolutionem differre prohibet, num confessarius impertiendo absolutionem sequitur *judicium prudens*? Dicimus, non quidem de legitima poenitentis dispositione, cum de illa prudenter dubitare supponatur confessarius, sed de honestate suae actionis, quia prudenter judicat, in casuposito honestam et licitam esse absolutionem, quia prudentia est, in extremis extrema tentare, et potius, Sacramentum, quod pro salute hominum institutum est, nullitatis, quam animam salutis periculo exponere.

Media inter rigorem et laxitatem via.

§. 206. Ne vero confessarius potestate divinitus sibi collata detrimentum animae suae et fidelium abutatur, duo potissimum in hoc absolutionis munere cavenda sunt: *nimia facilitas* et *nimia difficultas* in remittendis peccatis. Qui justo plus facilius est in remittendis peccatis, dum *indignos* absolvere non veretur, *dummodo se dolere asserant*, et emendationem — proh dolor! debilli voce prolata, proposito adeo languido et inefficaci existente — promittant, is profecto profanat Sanguinem Jesu Christi ejusque Sacramentum; fovet peccatorem in suis iniquitatibus; suffocat et supprimit conscientiae remorsus; Sacramentum Eucharistiae tribuit poenitenti profanandum per indignam sumtionem, denique perire sinit peccatorem, et ipse se perdit per sacrilegum potestatis suae abusum. „Non esset, inquit vir eminentissimus Bellarminus, hodie

¹⁾ Serm. 1.

tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolviendi¹⁾. “ Et Fleurii Abb. limatum iudicium: „Peccatis, quae nequeunt excusari, mederi se putant facili absoluteione, quae nunquam denegant, ne quidem differunt, quotiescumque iterantur lapsus. Ita voti damnatur homo vitio coopertus, et agit, quod vult posteaquam audiit se revera peccare, sed remedium esse facile; a se posse peccare quotidie, si quotidie confiteatur. Haec absoluteio nis facilitas quodammodo in nihilum redigit peccatum, quia eju horrorem abolet, facitque, ut id habeatur pro malo non committantur, sed etiam inevitabili. Quis timeret febrim, si hanc depelleret exhaustum vitrum aquae? Quam crebra essent furta vel homicidia, si pro eis satis fieret per lavationem manuum? Confessio eae propemodum aequae facilis, si sufficit sacerdoti verbum in aures dicere, si dilatio absoluteionis metui non debet”²⁾.

Verum enim vero non minus injuriae maculam sibi inurum animos adimunt, et a salutifero Sacramento Poenitentiae et Eucharistiae deterrent, qui in iudicio ferendo de poenitentis dignitate nescio qua animi anxietate vel rigore ducti, plus justo rigidiores absoluteionem differunt, aut plane denegant, ubi ejus concedenda gratia, omni in casu, opera emendationis jam perfectae, sive e integro consecutas exigunt. Saepe accidit, ut homo serio resipiscens, in magno tamen tentationis aestu prosternatur, quem itaque emendationem ex integro consecutum esse dicere nequaquam licet verum quem, siquidem post lapsum statim iterum surgat, vitiosum dicere certe nefas foret. Quare ad impertiendam poenitentiae absoluteionem sufficit serius et efficax emendationis conatus, ita, ut ut reliquae conditiones adsunt, recipiendae gratiae divinae capax dignusve censi debeat.

Ex dictis itaque liquet, difficile profecto esse discernere num majus damnum ex indulgentia regulis evangelicis atque ecclesiasticis adversa, an ex rigore ultra justos limites producto fideles capiant, dum illinc sese temere sacrorum Mysteriorum participationi ingerant, hinc saluberrimis animae suae remediis arcentur atque innumeris privantur gratiis. Certe S. Gregorio Naz.³⁾ testis in eodem vitio sunt, indulgentia omnino animadversionis experta, et condemnatio venia omni carens; illa omnes habenas laxans, haec o vehementiam strangulans; cum utraque ad inferendum animarum exitium tendat, jacturam, qua major cogitari haud possit.

Fac igitur, inter laxitatem et rigorem viam teneamus medianam ut neque obviis poenitentium promissis fidem adstruamus, neque repellamus illos, qui quamquam dispositi, infirmi tamen sunt, e hoc sensu etiam concessa gratia Sacramenti tantopere indigent

¹⁾ Conc. 3. Dom. IV. Adv. ²⁾ Diss. 8. in hist. eccl. — ³⁾ Orat. 39. — Salv. Epist. ad Charicl. Praebyt.

Quot enim dantur, ut exemplo utar, qui ex integris annis mollitiei, ebrietati, injustae rerum acquisitioni aliisque vitiiis indulgent! Quantum igitur in rempublicam christianam detrimentum, et quanta in nosmetipsos materia condemnationis redundabit, si tales dum confessionale accedunt, vel per inhumanum rigorem deterremus, vel per nimiam facilitatem vulnera, quibus mederi oportebat, saeviora et incurabilia reddimus! Contra, si hujus generis miseros pro viribus ad frugem meliorem disponere, dispositosque cum Deo reconciliare satagimus, quam acceptam et proficuum operam exinde tum ipsi hiace deperditis oviculis, tum optimo Pastori navare possumus. Et quid nostram mentem aliquando magis recreabit, quam recordatio, fratres nostros nostra opera aeterno excidio ereptos et saluti jamjam desperatae restitutos fuisse ¹⁾?

Quare unum, quod superest, quodque sine intermissione rogamus, illud est, ne praecipites simus in ferendo iudicio poenitentem sacramentali indignum esse gratia; neve unquam hujusmodi iudicium feramus, antequam omnem, quae in viribus nostris est, operam et industriam adhibuerimus, qua scilicet poenitens dignus absoluteione fieri queat ²⁾. Quod officium confessario tunc inprimis incumbit, ubi timendum instat, ne sine absoluteione dimissus amplius ad confessarium ipsum, aliumque redeat. Hinc dummodo spes ulla supersit, confessarius adlaboret, et quos minus dispositos arbitratur, prudenti suavique agendi ratione disponat, eosque, nonnisi omni quoad maxime fieri potuit opera frustrata, dimittat.

Absoluteionis sacramentalis forma et sensus.

§. 207. Forma in absoluteione adhiberi solita, plerumque in Ritualibus praescribitur. Videlicet confessarius ante confessionem, si poenitens benedictionem petiverit, dicto: „*Dominus sit in corde tuo, et labiis tuis, ut digne et competenter confitearis peccata tua, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen*“; post confessionem poenitentis admonitione facta et poenitentia imposita dicat: „*Misereatur tui omnipotens Deus et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam. Amen. — Indulgentiam, absoluteionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen. — Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate illius absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti, in quantum possum, et tu indiges. Deinde* ³⁾: *Ego te absolvo a peccatis*

¹⁾ Cfr. Stapf. Theolog. mor. — ²⁾ Cfr. Saller II. Bd. p. 355. Pastoraltheologie, et epist. encycl. Leonis XII. P. P. de jubil. extens. ad Patriarchas etc. 8. cal. jan. 1826. — ³⁾ Vocabulum „deinde“ licet in nonnullis editionibus ritualis romani rubro sit caractere impressum, ad formam tamen integram spectat. S. R. C. 11. Mart. 1837 et 27. Febr. 1847.

tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Passio Domini nostri Jesu Christi, et merita beatæ Mariæ Virginis et omnium Sanctorum, et quidquid boni feceris, vel mali sustuleris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, et præmium vitæ æternæ. Amen.

Omnia quidem sunt ex præcepto exprimenda, ad veritatem tamen Sacramenti duo ista sufficiunt: *Absolvo te*, quia effectum Sacramenti exprimunt. Haec enim verba *a peccatis tuis* satis determinate intelliguntur per confessionem poenitentis. Expressio autem, seu invocatio SS. Trinitatis non videtur esse essentialis, cum neque ex verbis Christi, neque ex Traditione inferri possit ista necessitas. Ceterum quæ præter haec verba: „*Absolvo te*“ ad formam absolutionis pertinent, consentaneæ additæ fuerunt: nam Immo præter nomen *Ego* auctoritatem quamdam sonat, quæ competit iudici sententiam proferenti. 2do per hæc voces: *a peccatis tuis*, clarius exprimitur effectus Sacramenti. 3tio sacerdos cum addit: „in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti“ significat Dei nomine et virtute agere. Verum licet omnia exprimenda sint, quæ in formula notata sunt, tamen ubi vel casus necessitatis, vel magna frequentia confitentium accelerationem suadet, satis erit, si missis integre dicatur: „Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate illius absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, in quantum possum, et tu indiges“: „*Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.*“ Imo si necessitas agonizantis urgeat, omnino sufficit, dicatur: „Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.“ Quia tamen plerumque quando magna frequentia populi adest, spatium aliquod tempus intercedit, donec alias in confessionale subintret, ideo eo tempore oratio: *Passio Domini nostri Jesu Christi etc.* recitari potest ¹⁾.

Quod sensum essentialis formæ absolutionis attinet, verus obvius verborum sensus hic est: Ego ut Christi minister et iudex ab Eo constitutus, remitto tibi peccata tua, primum quoad maculam, tum etiam quoad poenas æternas, quæ iisdem peccatis debentur, conferendo gratiam, quantum de se est, remissivam peccati

¹⁾ Schmid's Liturgik 2. B. S. 78 — 79. — ²⁾ Conc. Trid. Sess. XI cap. 6. can. IX. Quamvis absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium vel annuncian- evangelium vel declarandi remissa esse peccata: sed adinstar actus judicialis, quo ab ipso velut a iudice sententia pronunciat.

Modus agendi in absolutione danda.

§. 208. Expositis regulis, quando absolutio danda vel non danda sit, jam ad *modum* ipsum, quo confessarius se gerere debeat, dum absolutionem aut concedit, aut differt, aut denegat, exponendum nos accingimus.

Si absolutio datur, quoad rationem seu modum ipsius absolutionis concedendae monendum nil restat, nisi, ut confessarius a) absolutionis verba juxta praescriptum Rituale dioeceseos suae dicat. b) Dum dicit, *Indulgentiam* etc. vel si verba illa omittantur, dum dicit: *Dominus noster Jesus Christus* etc., elevet dexteram versus poenitentem. c) Si poenitens sit laicus omittitur vox: *suspensionis*. d) Absolutionis verba proferat mente devota, sicut decet Vicarium Christi, cujus legatione fungitur. e) Absolutionem pronunciet submissa voce, ne ex recitata vel non recitata forma absolutionis suspicari adstantes possint, hunc illumve absolutionem sacramentalem non obtinuisse.

Patroni formae conditionatae, si contingeret, ut poenitens nonnisi sub conditione absolvendus esset, praecipiant, ut confessarius eum expressis verbis de hac re moneat, factique rationes explicet, ut cum brevi, quod ipsi suadendum est, tempore sacrum tribunal accedat, manifestioribus verae contritionis indiciiis omnne dubium removeat, conversioni suae impensius det operam, et magis magisque in bonorum operum praxi convalescat. Hinc in officii confessarii est, poenitentem motivis cum quadam energia et unctione propositis ad majorem pro futura Sacramentorum susceptione dignitatis gradum instruere et disponere. — Ex parte haec monita usui esse possunt etiam in simplici absolutionis forma, ubi de legitima poenitentis dispositione dubium obversatur, et simul casus necessitatis, qui absolutionem differre prohibet, adesse deprehenditur. Quod autem illud in casu tantum diffamationis, scandali vel damni, nequaquam vero in casibus, puta: periculi mortis, aut dubii de poenitentis vita vel de ejus sufficienti usu rationis locum habere possit, per se intelligitur.

Quaestiones practicae hanc materiam spectantes.

§. 209. Quid agendum, si 1) poenitens absolutione impertita, *sed* *dux novum* afferat *peccatum mortale*, ex oblivione omissum, cujus mox post absolutionem meminit? Renovato dolore iterum absolvetur. Idem licite fit, etiam ubi illud peccatum est tantum *veniale*; tunc tamen non fit necessario. Quid, si peccatum prius ut *dubium* confessus, postea illud *certo cognitum* iterum confiteatur? *Supposita* illa sententia tale peccatum debere iterato eum confiteri, certum est, absolutionem sacramentalem esse repetendam, sicut si in

articulo mortis vel ejus periculo aliquis tantum in *genere* sua peccata confessus est, et ab illis quidem absolutus, tenetur tamen iterum perato morbo ea iterum confiteri, et ab illis iterum absolvi; non licet derogare integritati Sacramenti a Christo praescriptae. Hoc autem in *iterata absolutione* observandum, ut confessarius non absolvat elevata manu et palam formata cruce, sed clam a poenitentem inclinatus, ne, si adstantes animadvertant, iterum dari absolutionem, eum suspicentur reum esse peccati mortalis. Aliud foret, si praesentes nunc essent omnes alii ab iis, qui antea adfuerant, aut solus poenitens.

2) Si confessarius ante absolutionem peccata poenitentis esset oblitus? Sufficit ad absolutionem, aliquando fuisse distinctam cognitionem peccatorum in confessario, nunc autem adhuc esse confusam de statu poenitentis, quae consistit in eo, quod plurimum meminerit.

3) Si dubitetur, num absolutionis forma pronunciata fuerit? Repetatur, si dubium fuerit prudens.

Modus agendi in absolutione differenda.

§. 210. Hic duo potissimum expendenda sunt, *tempus scilicet*, quousque absolutio differatur, et *modus* agendi, quem confessarius teneat, dum absolutionem differt.

A. Quoad tempus.

Tempus, quousque absolutio differenda sit, dimetiendum est a) ex poenitentis dispositione; certum quippe est, absolutionem illis qui impensius adlaborant, ut sese corrigant, generatim loquendo diutius non esse differendam. b) Ex natura peccati, quod impugnandum est; quaedam enim difficiliter quam alia vincuntur. c) Ex occasionibus peccandi, quas poenitens habet; prout frequentes sunt, vel minus frequentes, tempus vel brevius vel longius ad recipiendam absolutionem designandum est. Hic e. g. erit fortassis ebriosus, qui non nisi dominicis festisque diebus sese inebriandi habet occasionem; quo in casu inutile foret illum in hebdomada differre, hoc enim temporis intervallo vix unam occasionem habere resistendi, quo sane tempore confessarius certior non efficeretur de illius correctione. Si autem est promptior in iram, qui singulis ferme diebus jurare consueverit, postquam duas traduxerit hebdomadas injuratus, ostendit se non modicum profecisse, atque propositum suum fuisse sincerum: quippe tempus hoc fluere non potest, quo minus pluribus tentationibus illi fuerit resistendum. — Qui vel peccat duntaxat propter *occasionem*, hac amota absolvi potest; g. cum litem absolverit, quae odii, obtrectationis, furorisque causa; cum domo ejecerit mulierem, cum qua peccare consueverat.

Illi vero, qui ex *magna imbecillitate* peccant, et qui vehementibus et ferme assiduis tentationibus agitantur, non sunt in longum tempus dimittendi. Sic enim puer secretis assuetus impudiciis, in breve tempus dimittatur, ne vel despondeat animum, vel ubi semel tentationi cesserit, consuetis sese flagitiis tradat, non ultra ad confessarii pedes reversus; dum e contra, si ex brevi confessus est, et ex brevi se iterum confessionali sistit, tam promissiones ab ipso factae quam adhortationes a confessario datae adhuc recentes maximam habebunt in eo vim, validumque erunt contra tentationem subsidium.

B. Quo ad modum.

Quod modum attinet, quem in hac re servare tenetur confessarius, sequentia notamus:

a) Confessarius potissimum curam habeat, ut poenitens intelligat et convincatur, non ex impetu animi, non ex quacumque mala voluntate ipsi differri absolutionem. Hinc exponendae sunt rationes, cur absolutio differatur, curandumque, ut poenitens eas pervideat, ac probet: quin imo pro viribus efficiendum, ut mora haec illi non accidat injucunda, cum non sit aliud quam *charitatis effectus*. Inferenda igitur sunt omnia illa *bona*, quae ex dilata absolutione promanant, et e contra *detrimenta*, quae ex impertita nascuntur; eo quidem monito, quod facilius esset confessario, absolutionem largiri statim, ac ex eo petitur, quam sibi necessitatem injicere recens instituendi examen conscientiae eorum, quos differt in tempus. Hinc exponat, nec divinae Majestati, nec evangelicae disciplinae, nec ipsius poenitentis saluti congruere, ut gravia delicta facile remittantur; apud Deum non solam sententiam sacerdotum, sed etiam reorum vitam quaeri, i. e., emendationem; quod corporibus est medicus, hoc animabus esse Poenitentiae ministros; de manu eorum requirendas esse animas, quarum vulneribus opportuna medicamenta non apposuerint; ideo differri absolutionem, ut poenitentiae dignos fructus faciat peccator, et sic perfecte a peccati occasione et improbae vitae consuetudine se subducat, ut per reliquum vitae tempus facilius a peccatis absterneat, et in sancto proposito perseveret.

b) Suggestat monita, et consilia, et media, quibus se ad proximam confessionem praeparare, et fructus ex dilatione capere possit ac debeat. Quare poenitentem moneat, ut interea a relapsu se custodiat; hic enim est finis et fructus absolutionis dilatae et regula, quam confessarius in absolvendo postmodum, aut rursus remittendo poenitente sequi debet, ut occasionem proximam relapsus fugiat, eamque fugam sibi praescriptam esse sciat, tanquam conditionem absolutionis postea obtinendae. Remedia ipsi praescribat, quibus sperare possit a peccatis suis retrahendum, et contraria,

quantum poterit, peccatis applicet medicamenta. Sint etiam poenalia, quibus possit iram Dei flectere et misericordiam consequi, qua adjutus emergere valeat e statu suo misero.

c) Postquam vero hac ratione contra relapsus sufficienter eum praemunierit, vivendique rationem docuerit, tempus, quo ad sacrum tribunal revertatur, defigat faciatque, ut poenitens id serio promittat. Si redire ille ob locorum distantiam, aut propter alias rationes ad eundem confessarium non possit, jubeatur alteri se intra praefinitum terminum sistere, cui absolutionis dilationem, ejus causam, poenitentiam impositam, et an impleverit, declaret. Tametsi vero utilius sit poenitenti ad eundem reverti confessarium, non tamen ad id cogendus, sed libertati suae relinquendus videtur. Studeat autem poenitenti omni modo persuadere, ut deinceps confessarium ordinarium sibi eligat, nec ab eo amplius sine gravi causa recedat.

d) Moneat denique, ne orationem super se dicendam, et crucem formandam pro absolutione sumat; id enim fit, ut omne incurrendae infamiae periculum abigatur, et ne absolutione non donatus fors ad sacram Communionem accedat; si vero nihilominus se ad eam stiterit, sacra Communio, ne quid contra secretum sacramentale agatur, illi impertienda est.

Si autem poenitens statuto tempore redux fuerit, videndum, num data monita et media et adhibuerit, et emendationis fructus ediderit; qua ratione definiendum, num absolutionis gratia dignus sit nec ne, et si judicaverit confessarius, ea, quae prima vice praebuit, ad eum in officio retinendum, remedia satis non esse, validiora illi praescribat, leniter significans, videlicet prohibere Deum, ne inordinatis illius indulgeat desideriis, et sibi regulas praescriptas esse, a quibus recedere non possit incolumi conscientia, et quibus obtemperare cum vitae periculo teneatur. Advertendum tamen, non ideo continuo remittendum esse, qui post intensiorem habitum et frequentiores relapsus semel tantum ex infirmitate potius quam impellente habitu relapsus est; dummodo tamen monitis se fidelem praestiterit, et pro viribus pravo habitui restiterit, ac dispositus videatur omni conatu a relapsu sibi praecavere. Compellatur tamen hujusmodi ad praefixum terminum rursus confiteri, ut sic pedetentim veterem hominem cum omnibus suis actibus exuat, et cautior fiat ex obligatione se ostendendi sacerdotibus. Ceterum emendationem cognoscere poterit confessarius ex dispositione et interno affectu poenitentis; unde scrutandum cor ipsius, pertingendum usque ad divisionem animae ac spiritus, et discernendae cogitationes et intentiones cordis. Si enim pravis cogitationibus saepe fuerit voluntarie oblectatus poenitens, si occasiones desideraverit, quaesierit, viget pravus habitus, etsi ad effectum perducere non poterit. At vero si poenitentia ductus et horrore peccati remedia

contra libidinem adhibuerit, pravae consuetudini relictatus fuerit, prava desideria aut cogitationes adhaerit ad petram, pro praeteritis satisfacere coeperit, occasiones nec quaesierit, nec deliberate desideraverit, imo praeparaverit animam suam contra tentationem, facile in isto pravus habitus destructus praesumitur.

At si poenitens non absolutus a confessario alium pro obtinenda absolute *illico post confessiones* adeat, audiat ipsum confessarius, ast, nisi justissimas de priori confessario conquerendi rationes habeat, praescripta et agendi rationem prioris retineat, nec nisi tum, ubi eum justo durius habitum fuisseprehenderit, excusato priori, absolvat. Si vero *elapso tempore* pro obtinenda absolute poenitens venit; quae ipsi a priori imposita fuere, exploret, et facta inquisitione et causa cognita, ubi eum emendatum invenerit, absolvat; nec tamen facilem se praebat, sed potius difficiliorem, si justam causam, cur alium adierit confessarium, non detegat.

Modus agendi in absolute deneganda.

§. 211. Simili modo procedendum eum poenitente, cui *neganda* est, ac cum illo, cui dilata fuit absolute. Nusquam ita abjiciat poenitentem, ut eum omni spe destitutum a se dimittat, aut nudis et asperioribus verbis absolute indignum declaret, ne desperans peccator in pejus ruat, planeque confessionem deinceps rejiciat, et ne ipse confessarius amaro zelo circumveniatur a satana, non enim ignorare debet cogitationes ejus. Circumvenimur ab eo, si per nimiam tristitiam pereat, qui potest liberari per indulgentiam¹⁾. Verum fortissimis, quibus poterit, verbis obstinatorum pertinaciam vincere et induratos emollire animos tentabit confessarius, nunc Dei bonitatem patientiamque commendans, nunc ejus horridam vindictam, suppliciaque impenitenti et duro cordi praeparata ob oculos ponens, nunc mortis incertam horam, judicii rigorem et aeternas inferorum poenas ad vivum referens. Sed memor *verbi Domini*, quod hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio, non cesset memoriam poenitentis facere in orationibus suis, et poenitentis iram Dei flectere, ut impleat omnem voluntatem bonitatis in isto peccatore. Quoniam tamen denegatio tunc locum habet, ubi signa perveraciae invictae adparent, poenitenti ex gravioribus peccatis reduci, dum confessarius daturus est absolute, praemitat iterum multa cum Spiritus unctione et energia, quae in illo contritionem resuscitent et renoveant. — Ostendat illi necessitatem, quam habet Deum precandi, ne unquam ab ipso Spiritum suum auferat, et ne illum projiciat a facie sua. — Inspiret illi grati animi

¹⁾ Amb. libr. 1. de Poenit. c. ult.

sensum pro dono conversionis, et verum sincerumque desiderium perseverandi in Dei gratia. — Explicabit quoque, et alte illi impertiet verba Salvatoris: „Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat” 1). His addi possunt pauca de Sacramento Eucharistiae, quibus fiducia et amor in Jesum Christum, et desiderium ardens illum suscipiendi excitentur.

Sectio II.

De principiis specialibus in administratione Sacramentæ Poenitentiae observandis.

Conspectus.

§. 212. Etsi confessarius ex hactenus dictis sufficientem instructionem habere possit ad confessiones suo et poenitentium fructu et solatio audiendas, nihilominus tamen operæ pretium esse judicamus in usum juniorum confessariorum, theoriam specialem subnectere, quæ, suppositis principiis generalibus, speciales exhibet regulas ad peculiare poenitentium confessiones excipiendas.

Quod ordinem materiae pertractandæ attinet, sequimur divisionem diversorum poenitentium ratione habitæ eorundem status interni, et externi, nec non specialium relationum: hinc

Caput I. de principiis specialibus ratione habitæ poenitentium status interni, videlicet pro varia indole mentis, voluntatis et peculiarium animi affectionum.

Caput II. de principiis specialibus ratione habitæ poenitentium status externi, puta, ætatis, sexus, vitæ conditionis, bonorum fortunæ, corporis valetudinis etc.

Caput III. de principiis specialibus ratione habitæ specialium relationum tum poenitentium tum peccatorum.

1) Joann. V. 14.

Caput I.

principiis specialibus ratione habita status poenitentium interni.

A. Pro varia mentis indole.

Eruditi.

§. 213. Literarum studiis eruditi et bonarum artium discipuli, dum ad sacrum tribunal accedunt confessuri, debito studio eorum eruditioni et doctrinae convenit, excipiendi ac standi sunt. Ut taceam, in non paucis Religionis scientiam longiore esse scientia profana, quinimo defectibus, ne dicam eribus, eam laborare, non desunt homines ceteroquin eruditi, qui affectuum suorum mancipia, et quemadmodum nihil sibi reliqui vertunt, credibile est, ipsos ne gravia quidem peccata confiteri. Quamobrem confessarius intelligens, poenitentem suum in hoc uersari, illum, quantumvis eruditum et in disciplinis secularibus clarum, interrogare et instruere ne vereatur iis in rebus, in quibus verosimiliter deliquerit, imprimis in officiis status, omissione nec non religiosae observantiae. Omnes enim docti et indocti unum veneramur unum Patrem et Filium et Spiritum sanctum, creatorem, Redemptorem et Sanctificatorem, in ipso vivimus, movemur et sumus. Qui ceteris scientia eminent, pietate pariter praestare studeant. Eruditorum exemplo plurimum ducuntur et faciuntur illiterati et plebeji. „Ita fit, ut qui sunt in culmine saeculi constituti, aut plurimos secum perdant, aut secum multos in viam aquirant. Magna tabes vel poena manet, si multis praebeant aemulationis laqueum: vel gloria, si multis ostendant sanctae conversationis exemplum“ ¹⁾. — „Si quis de populo deviat, solus est, principis error multos involvit“ ²⁾.

Edoceantur verae scientiae characteres: „Scientia sine charitate inflat, et consummata scientia, testante Scriptura, est nosse animam.“ „Ecce timor Domini ipsa est sapientia, et recedere a deo, intelligentia“ ³⁾. „Corona sapientiae timor Domini. — Quam unus, qui invenit sapientiam et scientiam! sed non est super titulum Dominum“ ⁴⁾. — „Vera sapientia (scientia), quae de sursum est, primum quidem pudica est; deinde pacifica, modesta, humilis, bonis consentiens, non judicans, sine simulatione“ ⁵⁾. „Ant, qui scire volunt, ait S. Bernardus, tantum ut sciant, et

¹⁾ Fulg. ad Th. c. 6. tit. 2. 7. — ²⁾ S. Bern. ep. 117. — ³⁾ Job. XXVIII. 28.

⁴⁾ Eccli. I. 22. XXV. 13. 14. — ⁵⁾ Jac. III. 17. 18.

curiositas est. Sunt qui scire volunt ut sciantur ipsi, et vanitas est. Sunt, qui scire volunt, ut scientiam vendant, et turpis quaestus est. Sunt, qui scire volunt, ut aedificentur, et prudentia est" ¹⁾.

Monitum autem princeps nostris, proh dolor! temporibus illud est in confessionibus eruditorum, ne prae scientia profana fidem christiano-catholicam vilipendant. „Multi enim sunt, qui simulantes fidem non subditi sunt fidei, sibi quae fidem ipsi potius constituunt, quam accipiunt, sensu humanae inanitatis inflati" ²⁾. Si sua cuiusvis disciplinae laus, exercentur ingenia, colantur artes atque scientiae, attamen quam immensis spatiis vera fides haec omnia praecellit! „Fides est humanae salutis initium, sine hac nemo ad filiorum Dei consortium potest pervenire, quia sine hac nec in hoc seculo quisquam justificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit aeternam" ³⁾. Neque grave nobis sit, veritates revelatas captum nostrum excedere. Gaudeamus potius de illarum sublimitate, ut praeter reliquas facultates Deo etiam intellectum nostrum mancipare liceat ⁴⁾. „Plus valet Deus operari, quam homo valet intelligere. Si non intelligis et capis, quae infra te sunt, quomodo comprehendes, quae supra te sunt? Non fallit te Deus, fallitur autem, qui sibi nimium credit. Graditur Deus cum simplicibus, revelat se humilibus, dat intellectum parvulis, aperit sensum puris mentibus, et abscondit gratiam a curiosis et superbis" ⁵⁾. Fides donum Dei est dicente Apostolo, Christus lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. — Quod formam instructionum et adhortationum attinet, praeterquam quod charitatis sensu non destituantur, graves inprimis sint et solidae; ast tantum abest, ut in *solis* philosophicis argumentis subsistant, ut potius haec, si quae necessaria fuerint, (quandoquidem eis supersedere apud nonnullos vix poteris) sententiis sacrae Scripturae immisceantur, quippe quae interna Spiritus sancti unctione corda tangunt, mentem illustrant, et voluntatem movent. Verbum Crucis, virtus Dei est. „In Christo Jesu sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi" ⁶⁾. „Existimo, ait Apostolus, omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei" ⁷⁾.

Ne vero confessarius poenitentem pudore offendat, quem in veritatibus religiosis dogmaticis instruere satagit, modum instructionis, quem indirectum vocant, in usum deducet, nisi forte ab ipso poenitente *directe imperatur*, vel ipsa confessio errores complectatur. Ceterum plurimum ille commendatur modus, quo veritatum dogmaticarum cognitionem in poenitente supponimus, ac pro-

¹⁾ Serm. 36. in Cant. 3. — ²⁾ S. Hil. de Trinit. libr. 8. n. 1. — ³⁾ S. Aug. serm. 38. de temp. — ⁴⁾ Baco de dignitate et augmentis scientiarum. Libr. IX. cap. 1. — ⁵⁾ Thom. a Kemp. libr. 4. c. ult. — ⁶⁾ Col. 1. c. 3. — ⁷⁾ Phil. III. 8.

pterea eas explicite commemoramus, ut exinde vim et efficaciam, quam ad sectandam virtutem et evitandum peccatum in se continent, commonstremus. Alius modus indirectus est ille, si poenitenti preces vel petitionum, vel gratiarum actionum, quae veritates dogmaticas scitu necessarias involvunt, sive in satisfactionem, sive consilii causa injunguntur. Si e. g. poenitens mediante precatione se commendare Deo triuno scite jubetur, ut mente revolvat dogmata de Deo in substantia uno et personis trino; de SS. Salvatore, qui se Patri pro peccatis nostris tanquam hostiam piacularem obtulit; de Spiritu sancto, qui nos in Baptismate, Confirmatione etc. sanctificavit. Et hoc modo confessarius cetera quoque dogmata in memoriam poenitenti revocare et explicare poterit, prout necessarium esse duxerit, quin tamen offensionis periculum incurrat.

Fidem negantes, et in ea nutantes.

§. 214. Ad Sacramentorum susceptionem in adultis requiritur fides¹⁾. Est enim fides fundamentum rerum sperandarum, initium salutis et radix justificationis. Hinc absolutione sacramentali non tantum indigni, sed et incapaces sunt, qui veritates fidei Religionis nostrae catholicae negant²⁾.

Sunt vero poenitentes, qui veritates Religionis nostrae addubitant, vel gravissimis circa Religionem dubiis detinentur. Quam funesta isthaec dubitatio et fluctuatio sit, vel exinde patet, quod ejusmodi homines, unum fortasse hoc sciant, nos fidei officio obligari, ceterum efficacissimis momentis destituantur, quibus ad virtutem disponi, et in ejus exercitio roborari debeant. Jam confessarius circa hos poenitentes sedulo indagat, qualis lateat in eis animus. Qui nimirum vel ex defectu solidae instructionis de religione sua persuasus non est, vel ex quocunque rerum eventu de illius veritate fluctuare coepit, talia, nisi fors dubia suborta plane contemnenda videantur, petito superno lumine, in veritatem inquiret; **ast** justo moderamine fiat juxta illud Apostoli: „Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, et unicuique, sicut Deus divisit mensuram fidei”³⁾, et Ecclesiastici: „Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris, sed quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus, ne fueris curiosus”⁴⁾. Qui jam ad amplectendam veritatem sincere paratus, in illam pro viribus inquirere desiderat, illamque omni meliori modo edoceri cupit, is prorsus innocenter fluctuat, et nullum exinde reatum contrahit. E contra qui datam melioris instructionis oppor-

1) Con. Trident. Sess. VI. cap. 8. — 2) S. Chrys. serm. de Fide, Spe et Charit. S. Thom. Summ. theol. 2. II. q. 161. a 5. ad 2. — 3) Rom. XII. 3. — 4) III. 22. — Cfr. S. Aug. tract. 76. in Joan.

tunitatem detractat, adeoque voluntarie dubiis suis immorari pergit a culpa nequaquam immunis censi potest, quippe qui in Deum — semetipsum incurius magnam impietatem committit. Atque hujusmodi poenitentes, ni respiscere velint, absolute indigni sunt. Fontes indignissimae obstinationis illorum, qui insuper dubia sectantur, in iisdem sibi complacent, et quamvis veritas ipsis solide proponatur, suum tamen assensum suspendunt, plerumque sunt vel *turgida superbia*, qua tales supra vulgus eminere volunt, et quidquid captum eorundem excedit, illico stomachantur; vel occultum *aliquod veritatis odium*, quae utpote eorum affectibus contraria, ipsis invisae redditur. Quapropter confessarius, dum vi muneris sui ejusmodi poenitentes veritates dogmaticas edocet, praepremis a) hortabitur ad virtutis doctrinam christianam sectandam. „Si cupimus, ait S. Chrysostomus, fidem radicatum habere, vivendi ratione pura nobis opus est, quae spiritum retineat, a quo totam vim fidei dependere constat. Impossibile enim est, si vitam impuram habeas, in fide non vacillare. Certe qui de fato nugantur, et salutari de resurrectione sermone non credunt, ob malam conscientiam et mores depravatos in hoc incredulitatis barathrum se ipsos praecipitant” 1). Salvator optimus Ipse hoc argumento ad comprobendam doctrinae suae originem divinam contra Judaeos utitur: „Si quis, inquit, voluerit voluntatem ejus facere, cognoscat de doctrina mea, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar” 2). b) Dehortabitur a conversatione cum hujusmodi hominibus, qui dubia et errores spargunt sive sermone sive scriptis, juxta consilium Ecclesiastici: „Qui sophisticè loquitur, odibilis est: in omni re defraudabitur; non est illi data a Domino gratia: omni enim sapientia defraudatus est” 3). c) Commonefaciet eum etiam atque etiam de *efflagitando* a Deo *dono fidei*, ut dicamus cum Apostolo: „Adauge in nobis fidem!” vel cum afflicto patre! „Credo Domine, adjuva incredulitatem meam” 4). Tum vero actus fidei frequenter dicere ipsi commendabit, praecipue illarum veritatum, quarum viva recordatione prae ceteris indigeat.

Non raro mentes etiam piissimae permolestis circa religionem divexantur dubiis vel ex impetu tumultuantis phantasiae, ut scrupulosi, vel ex speciali Dei consilio, quo illas per hoc acerbissimum purgatorium humiliari vult et perfici. Cum igitur hujusmodi dubia nonnisi tentationes sint, atque non ex ratione, sed ex phantasia descendant, factu optimum videtur, ut tales ad dubia, quibus laborant, contemnenda inducantur; atque illis desuper omnis timor adimatur, suadendum ipsis est, ut in tentationis aestu non positive contra illam decertent, sed ut potius mentem aliorum avertendo, et quasi de via cedentes, impetum adversum declinent, donec tem-

1) Serm. 22. de Eleemos. — 2) Joan. VII. 17. — 3) XXXVII. 23. — 4) Luc. XVII. 5. Marc. 24.

peestas deseuiat redeatque serenum. De his scite loquitur S. Bonaventura: „Tentationes contra fidem et de spiritu blasphemiae, et similes, nec fugere possumus, nec *repugnando* vincere: quia quanto plus indignamur nobismetipsis, et disputamus cum eis, tanto magis refricatur eorum rabies, et accenditur. Sed nec curandae sunt nec timendae; tantummodo non consentiatur eis, et patienter earum infestatio, quasi quoddam diabolicum susurrium supportetur, quod aliter compesci non potest”¹⁾.

Adulti in Religione ignorantes.

§. 215. Qui ignorant Mystera Religionis nostrae, et illud inprimis: „a Deo justificari impium per gratiam Eius, per Redemptionem, quae est in Christo Jesu”²⁾, quae sicut ad salutem, ita et ad justificationem necessaria sunt, in ipsa hac ignorantia absolventi non sunt. — Est vero ignorantia alia involuntaria et inculpata, alia voluntaria et culpata. Prior illos, quos occupat non tam absolute *indignos*, quam incapaces reddit. Hi antequam absolvantur, sufficienter instruendi docendique sunt; vel si nihil amplius ob provectam aetatem, ob rusticitatem, infirmitatem condiscere, nihilque memoria retinere possunt, in ipsa confessione (praeprimis si in mortis periculo positi sunt) haec illos in arena confessarius docebit efficietque, ut eliciant actus fidei in singula eorum, antequam illos absolvat. Laudabilis est pia nonnullarum familiarum praxis, quae precibus vespertinis in communi recitatis mox subjungunt actum fidei de praecipuis Religionis veritatibus. quas scire omnem Christianum oportet.

Ignorantia vero mysteriorum Religionis nostrae voluntaria et culpata, quae provenit ex negligentia, uti provenire solet apud plerosque, qui nec libros pios et religiosos legunt, nec concionibus et catechesibus adsunt, poenitentem absolute indignum facit, atque ut illum absolvere possit, confessarius antea sufficienter illum instruere atque una simul obligare debet, ut veritates S. Religionis condiscat, in quantum valet idque et fieri potest.

Benedictus XIV. ³⁾ negandam esse praecipit absolutionem ei, qui neglexit culpabiliter addiscere scitu necessaria tum necessitate *medii* cum *praecepti*. Sed quoad ea *de praecepto* dicit, absolvi posse poenitentem, si ex animo promittat conari addiscere, nimirum: „Eo quandoque casu poenitens absolvi potest, quo se hujus *vincibilis* ignorantiae reum agnoscit et promittit, operam se impense daturum, addiscere necessaria necessitate praecepti.”

¹⁾ Libr. 1. de Prof. Rel. c. 1. — ²⁾ Trid. Sess. VI. cap. 6. — ³⁾ In Const. 42. de doct. Christl. §. 12.

Ceterum monere oportet, confessiones sub hac ignorantia factas, non sine jure repetendas esse, cum ex eadem ignorantia poenitens aut incapax absolutionis fuerit, aut ea indignus, et ab solutionem sacramentalem in statu hujus ignorantiae re ipsa apud Deum non acceperit. Unde per Innocentium XI. *damnata* fuit propositio: „Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam culpabilem nesciat Mystrium SS. Trinitatis, et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.”

Inculci et plebeji.

§. 216. Homines inculti et plebeji, quatenus conscientiam suam non integre et sufficienter excutere valent, sine dubio 1) interrogandi sunt. Examen illorum institui potest circa praecepta Dei et Ecclesiae, eorumque occupationes et occasiones, ut magis videbitur convenire. In quaestionibus formandis tria observare fas est; a) ut quaestiones specificè bene designentur, ne frequentius interrogare sit necesse; b) ut quaeratur, prout cujusque conditio fert; c) ut, ubi quaesivit, quod quaerendum esse putavit confessarius, quaerat insuper, an non adhuc peccati conscientiam habeant. Item de numero et circumstantiis sciscitabitur confessarius, ut exploratum habeat universum characterem moralem et animi dispositionem ¹⁾.

2) Expositis ut oportet peccatis, expedit, ut moneantur ac instruuntur, nec non disponantur ad contritionem et propositum sese emendandi. Quoad primum, materiam exhortationis et instructionis praebet ipsa poenitentis confessio. Si vero se accusant de quibusdam, quae in se peccata non sunt, tanquam de peccatis, v. g. de neglecto Missae sacrificio ex justa causa omisso, de inimicitia i. e. lite quadam honesta coram iudice etc. quaerendi sunt, an putaverint esse peccata; si adfirment, monendi sunt de errore, et qua ratione licita sit talis actio, breviter ast cautè, ne conscientiae teneritudo laedatur, explicandum est. Quoad alterum, scilicet conscientiae contritionem, doloris motiva seligat, quae eorum aetati et conditioni judicaverit convenire. Juvantur ejusmodi maxime, si illis proponantur apta similitudo v. g. ducta a filio in patrem optimum rebellem, a servo contumaci contra dominum, ab ingrato benefactorem, ab homine valde sollicito, ne amittat haereditatem vel temporalia bona, ab amante suum patrem etc. Cfr. §§. Sectio prima de hac materia tractantes.

3) Quando confessarius etiam per quaestiones peccatum esse cere non possit, tunc attendendum imprimis, num bonae mentis sit et a non longo tempore confessus, quo in casu repetitis ex prioribus

¹⁾ Cfr. S. Lig. Prax. Conf. p. 21 — 47.

confessionibus peccatis ad contritionem eum hortetur, et illi absolutionem impertiat. Idem valet, si a longiori tempore e. g. per dimidium annum non sit confessus, prius tamen interrogato, an non doleat, quod, cum sine dubio multa saltem venialia commiserit, ita tamen incurie vixerit, ut ad multa peccata nullo modo attenderit; si cognoscit, se plane incurie vixisse, et in posterum melius se ad suas actiones attenturum spondet, poterit absolutione donari; etenim talis incuria continet quoque aliquam culpam.

Hebetes.

§. 217. Si poenitens sit stupidus et hebes, plura attendenda sunt: 1) Si hebetudo oriatur ex consuetudine committendi aliqua peccata, quae mentem veluti obcaecant, ut sunt luxuria et ebrietas, differri debet absolutio, et prius abducendus a talibus vitiis, eo quod voluntate paulatim a malo abducta intellectus plenius informetur. Quodsi nesciatur, an hebetudo oriatur ex peccatis, videri debet, an in aliis temporalibus rebus sit solers et industrius, nam si est, suspicio nascitur, ortam esse ex peccato; ideoque interrogandus erit, sed *caute* circa peccata luxuriae et intemperantiae. Et contra

2) si hebetudo oriatur ex naturali complexionem, quod colligitur ex eo, si etiam ad alia temporalia sit hebes, si de cetero ostendat, se esse bonae voluntatis, et innocenter vivat, confessarius raeat ipsi, actus fidei, spei et charitatis, doloris et praepositi liciendo, prout capere poterit, sicque dispositum absolvat jubeatque communicare. Quodsi tam hebes sit ingenio, ut nullam praerian cognitionem de scitu necessariis Religionis veritatibus formare possit, dicunt equiparandum esse fatuo vel infanti: Deus autem a nemine exigit majorem notitiam, quam per vim intellectus habere possit. Denique

3) si hebetudo oriatur ex senectute, et sic senex prius scierit ea, quae sunt scitu necessaria, potest illi impendi absolutio, et agra Communitio, quamvis jam non ita clare ea videatur capere. Si autem antehac non scivit ista, nec satis christiane vixerit, laborandum, ut necessaria addiscat, quantum fieri potest, et disponatur ad dolorem, ne accedente majori senio minor sit capacitas.

B. Pro varia voluntatis indole.

Levia ac venialia confitentes peccata.

§. 218. In praesenti stadio vix ac ne vix quidem fieri potest, t quis per longius tempus sine speciali Dei privilegio, a venialibus rorsus immunis servetur; attamen unusquisque eatenus sibi saltem tveat, ne *deliberato* talia committat, et praesertim, ne volunta-

rium erga illa *affectum* foveat. Aliud enim est in re parvi momenti semel iterumve per infirmitatem deficere, aliud huic defectui habitualiter inhaerere. Quapropter plurimum interest, utrum aliqui huiusmodi naevos ex proposito captet, an vero per solam fragilitatem ab iisdem captetur.

2. Confessarius etiam de vitandis venialibus poenitentem monabit, nam, ut alios levium peccatorum effectus taceam, ille, qui talem habitum fovere pergit, nimium quantum ad graviora disponitur. Animus enim exinde vitio quasi familiaris fieri, et acumen conscientiae plurimum hebetari solet, appetitus vero sensuales frequentiori assueti mox in ausus graviores exardescunt. „Quanto in minimis, ait S. Gregorius M., didicit non timendo peccare, tanto in majoribus contemnit pertimescere” ¹⁾. Et S. Augustinus, „qui projecit molem, obruitur arena” ²⁾. — Insuper exsiccatur fons gratiarum, quibus summopere indigemus, sicque vix aliud exspectari potest, quam illam, qui in modico iniquus esse consuevit iniquum momentum etiam in materia graviore futurum ³⁾. S. Franciscus Salesius in libro de vita devota scribit: „Affectus ad peccata venialia spiritu vires evigorent, et elanguidas reddunt, consolationes divinas impediunt, tentationibus ostium patefaciunt, et quamquam animam non occidant, eam tamen valde debilitant et aegrotam reddunt. Muscae morientes, ait Sapiens, corrumpunt et perdunt suavitatem unguenti. Dicere vult: muscas, dum unguento vix insident, et ipsum non nisi obiter et volitanter delibant, aliud non corrumpere, quam quod insument, adeo ut, quod reliquum est, integrum maneat; at cum unguento consistunt et manent, ipsum destruere, depravare et in lapidum reddere. Ad eundem modum peccata venialia, cum in anima devotam incidunt, siquidem diu in ea non remaneant, non multum ei damni inferunt; at si in illa per affectum, quem erga eadem concipit, diu remanent, unguenti, i. e. sanctae devotionis suavitatem haud dubie ipsam amittere faciunt” ⁴⁾. Accedit saepe illusi quae ejusmodi homines sibi ipsi mentiuntur, peccatum aliquod non nisi leve esse, quod nihilominus grave est, quaequae illusio eo magis timeri debet, quum gravitas materiae plerumque ad apicem definit nequeat, et innumeratae depravati affectus praestigiae dentur. „Non dicat in corde suo: Levia sunt ista; non curo corrigere; non est magnum, si in iis maneam venialibus minimisque peccatis. Haec enim, dilectissimi, impenitentia, haec est blasphemia in Spiritu sanctum.” ⁵⁾.

3. In illis, qui non nisi per solam fragilitatem levia committunt peccata, in primis fovendus est, et sollicitus alendus *grati humilisque*

¹⁾ Lib. Past. P. III. Admonit. 31. — ²⁾ In Psalm. 39. — ³⁾ Luc. XVI. 1. — ⁴⁾ Philoth. P. I. c. 22. — ⁵⁾ S. Bern. Serm. 7. in con S. Paul.

animi sensus; prior ob copiosa, quae a Deo incessanter accipiunt beneficia, posterior ob peccata, utut venialia, quae vix non raro committunt. Quodsi vero sint, qui ex animo deliberato, ex consuetudine et animi ad ea affectione peccata levia patrant, severius cum illis agendum est, inprimis tunc, quando sine timore ruunt in peccata, quae non existimantur mortalia, quia suppliciiis aeternis illa non puniri persuasum habent. Hi videntur non amare virtutem, sed timere duntaxat supplicia, nec colere Deum ut patrem, quem offendere nolint, sed solum vereri iudicem, quo timent damnari. Probus enim filius non solum sollicitate cavet, ne illa committat, propter quae scit, se a patre exhaeredandum, sed etiam omne studium adhibet, ne illa perpetret, quibus patrem suum novit offensum iri, tametsi non adeo, ut filium propterea ab haereditate excludat.

4. Quod absolutionem attinet, valet sententia, quod haec ob peccata levia, quae ex imperfecta deliberatione, non tamen ex habituali affectu ad illa, sed ex humana quadam infirmitate committuntur confessione manifestata, nec differenda, nec deneganda sit. Nam venialia sunt materia sufficiens Sacramenti Poenitentiae, et poenitens per eorum confessionem acquisivit jus ad absolutionem, et augmentum gratiae confertur, quoties Sacramentum illud digne suscipitur. Unde Concilium Tridentinum docet, venialia recte et utiliter circa omnem praesumptionem in confessione dici ¹⁾. Probant quoque id piorum et sanctorum usus, et praxis totius Ecclesiae. Qui tamen, quamvis levia nonnisi peccata exponunt, absque necessario dolore et proposito confessionem frequentant, ad sacramentalem absolutionem obtinendam indispositi censendi sunt. „Habe, inquit S. Franciscus Salesius, veram displicentiam de peccatis, quae confiteberis, quantumvis parva sint, cum firma resolutione, te deinceps emendandi ²⁾. „Nam periculi plena res est, ait Alexander Nat. venialia sine contritione frequenter confiteri.” Et si quando perspectum est conscientiae moderatoribus, poenitentes, qui sola venialia, illaque eadem saepe confitentur, de illis non dolere, nec propositum ipsis esse, ab illis cavendi, quantum humana patitur fragilitas, sed in illis praesertim, quae plena voluntate, non ex subreptione vel infirmitate perpetrantur, amore adhuc haerere, omnem dare operam debent, ut illos ad contritionem excitent, et ab amore nimio sui ipsius vel terrenarum rerum ceterarum abstrahant, quibus velut glutino quodam vel visco detinetur anima, ne ad sponsi coelestis amplexus currat: illisque communionem Eucharistiae, imo et absolutionem aliquando differre juvat.

5. Verumtamen ex eo, quod aliquis eadem semper afferat, quoad venialia inferri semper non potest, illum necessario dolore et proposito bono destitui. Et praecipue illi favens praejudicium me-

¹⁾ Sess. XIV. cap. 5. — ²⁾ Philoth. P. II. c. 19.

rentur, qui generatim sedulam excolendae virtutis curam gerunt et Sacramenta non ex mera assuetudine, sed multa cum maturitate frequentant. Attamen his suadendum est, ut unum alterumve peccatum usque ad confessionem proximam devitare studeant, vel etiam ut peccatum gravius aliquod antehac commissum, et jam alias Ecclesiae clavibus subjectum iterum exponant, illudque repetitis vicibus detestentur. Hoc tamen inconveniens studiose vitandum est, ne poenitens ex adjecto vitae praeteritae peccato occasionem accipiat, minus detestandi venialia ab ultima confessione commissi, eorumque emendationem negligendi. »Poenitens namque secundum S. Thomam habere debet propositum se praeparandi ad peccata venialia *minuenda*; alioquin esset ipsi periculum deficiendi, quum desereret adpetitum *proficiendi*, seu *tollendi* impedimenta spiritualis *profectus*, quae sunt peccata venialia ¹⁾.» Ceterum reiterata *gravioris* aut etiam venialium emendatorum confessio peccatorum alio quoque titulo commendatur, quia scilicet juxta S. Thomam »quanto aliquis pluries de peccatis confitetur, tanto magis poena minuitur,» idque tum ex ipsa natura actus confitentis, qui habet poenam erubescen-
tia annexam, tum quia, ut idem Doctor ait, »in secunda absolutione gratiae confertur augmentum, et quanto major gratia recipitur, minus de impuritate praecedentis peccati manet, et ideo minor poena purgans debetur.» — »Unde non est inconveniens, si per frequentem (confessionem) etiam tota poena tollatur, ut peccatum omnino remaneat impunitum, pro quo poena Christi satisfecit ²⁾.»

Personae vere devotae in perfectione christiana proficere cupientes

§. 219. Res est plena solatii, et magnum ad virtutem incitamentum, animas dirigere illas, quae in sanctimonia vitam agentes in perfectione christiana proficere cupiunt. Verum ut conserventur in innocentia, et ad majorem indies perfectionem ducantur, multum opus est confessario charitate, scientia et prudentia, et qualibet ex his qualitatibus deficiente plena res est periculi. Felices illas! si incidant in manus confessarii, qui eruditus in via salutis, et zelus et charitatem habet. Felicem quoque confessarium, si in directione harum animarum cooperetur praedestinationi divinae! Acceptor est oculis anima sola perfecta, quam mille imperfectae. Bene autem Ludov. Philippus d'Anneau, Episcopus Fessensis confessarium monet, qui tales animas confitentes habet: »Caveat confessarius, ne hujusmodi poenitentes abjiciat aut objurget, quasi minutias quasdam et nugas proponerent; neve dicat, materiam hanc non esse absolutionis, majora esse proferenda etc. Spiritui enim sancto, cujus

¹⁾ Summ. theolog. III. q. 87. a. 1. — ²⁾ Ibid. Suppl. III. q. 10. a. 2; item q. 18. a. 2. ad 4.

nutu diriguntur, resisteret, et gravem Christo injuriam inferret, a sancto proposito et perfectiori via poenitentes suos absterrendo. Quin potius eos benigne audiens in suo proposito confirmet, et ad meliorum charismatum aemulationem provocatos quasi ducat de virtute in virtutem, monstretque „quae sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta ¹⁾.” Hostis insidias detegat, perplexitates solvat, suum promptus obsequium offerat. Facile vero haec praestabit, si ipse sanctus esse studeat, ut sanctitatem alios verbo et exemplo doceat; quem in finem exercitiis spiritualibus vacet, quo ordine ad perfectiorem vitam pervenire possit.

Ast 1) quamvis his dirigendis personis, quae gemmae merito et margaritae Ecclesiae vocantur, ceu magister spiritualis curam, quoad fieri potest, maxime sedulam impendas, tamen non oportet, ut audiendis et dirigendis his animabus tempus insumas conversioni poenitentium necessarium. Imitare Pastorem bonum, qui tantisper deserit nonaginta novem oves, ut errantem centesimam reducat ad ovile.

2) Caveas pariter, ne sollicitum te ostendas, te velle alicujus animae directionem suscipere, nec eam obeas illius, quae vult directorem suum relinquere, nisi adsit urgens causa, ut docent S. Philippus Neri, S. Franciscus Salesius, S. Carolus et alii; ex hoc enim saepe dissipationes et perturbationes oriuntur. S. Salesius sic docet: „Confessarius non est variandus sine gravi ratione. Sed contra neque expedit in hoc esse invariabilem, si legitimae causae mutationis superveniant.”

3) De his selectis, si dicere fas est, filiis ac filiabus spiritualibus non facile mentionem injeceris coram aliis, partim ne quid, etsi indirecte solum, agere videaris contra secretum sacramentale, partim ne ipse tibi complaceas, et videaris tibi bonus peritusque confessarius, partim denique ne laqueum pares iis, quorum virtutem et mores forte depraedicas; etenim si tales, quos ita depraedicas, gravius, ut nihil est ab homine alienum, tibi contingat, minus audebunt, se de hoc lapsu incusare, ex metu, ne perdant opinionem bonam et aestimationem, quam de iis testatus fuisti.

Eas dirigendi modus.

§. 220. Jam quod eo servit, ut ad perfectionem christianam indies majorem ducantur, fateri oportet, rem non adeo facilem, ut jucundam esse. Quare e re erit, *regulas practicas*, quae usui iis dirigendis esse possint, statuere.

1) Attendendum et adlaborandum est, ut hujusmodi personae foveant desiderium *constans* majoris semper perfectionis, juxta il-

¹⁾ Rom. XII. 2.

lud: „Qui justus est, justificetur adhuc ¹⁾” et illud Apostoli Pauli „ut charitas vestra magis ac magis abundet ²⁾.” Ipse etiam Christus se venisse ait in hunc mundum, ut homines non solum vitam habeant, sed et abundantius habeant. „Natura nostra, scite praefatur S. Leo M., manente adhuc mortalitate, mutabilis, etiamsi ad summa quaeque virtutum stadia provehatur, semper tamen sicut habere potest, quo recidat, ita potest habere, quo crescat. Et haec est perfectorum vera justitia, ut nunquam praesumant, se esse perfectos, ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes, ibi incidant deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerint appetitum. Nemo nostrum, dilectissimi, tam perfectus et sanctus est, ut perfectior sanctiorque esse non possit ³⁾.” Quem in finem proponat confessarius a) grande periculum, quod imminet animae desiderium proficiendi abjicienti; teste S. Bernardo: „Non proficere in via Dei, deficere est.” b) Brevissimum hoc vitae spatium homini a Deo concessum doceat, ut incessanter proficiendo in gratia et charitate aeternae gloriae augmentum promereatur, cujus gloriae gradus vel unicus sine comparatione praestat quibuscunque pretiosis et delectabilibus hujus mundi rebus.

2) Ad perfectionem vero ducantur *gradatim et ordinate*, ut prius conentur assequi primum virtutis gradum, quam ad supremum contendant. Prius discant operari recta intentione, et imitari actiones Christi, quam alta meditari; prius discant levia patienter ferre, quam gravia appetant; prius discant pati aequo animo, quam de adversis velint gaudere. — Doceantur, cujusque perfectionem in eo sitam esse, ut opera ordinaria bene peragat, et omnia, quae ex officio et statu peculiari incumbunt, bene obeat. Haec qui bene facit, perfectus est; facit autem bene, qui facit, *quia, quando, quomodo* ea Deus vult fieri, cujus sanctissima, altissima et amabilissima voluntas omnis perfectionis fons et norma est.

3) Necessaria est omnibus *mortificatio aliqua*. Probatione etiam opus est, ut videas, qui in anima spiritus dominetur, et qualis sit dominans affectus: attamen cautela necessaria est in probatione, ubi indoles ad amorem propensa est, aut ubi temperamentum atra bile abundat, nam tum facile oritur inordinata affectio, vel nimia dejectio. Ceterum non uno modo omnes probandi et tractandi sunt, sed prout animi indoles fert et praecipit. Animae adhuc tenebrae, quas Deus primo sibi conciliat, mollius sunt tractandae, nec omnino abundum a divinis consiliis animam suaviter ducentibus; si autem animae sunt nobiliores, seu quae habent gratias et beneficia Dei extraordinaria (singularia), suavitati jungenda quaedam severitas, quia hae per dona gratiae sunt pares difficultatibus; harum tamen probatio non sit quaesita et aperta, sed fiat e re nata, ut non

¹⁾ Apoc. XXII. 11. — ²⁾ Phil. I. 9. — ³⁾ Serm. 40.

Videatur recedi a communi modo dirigendi animas vulgares. Hinc communia et levia quandoque imponenda, sic enim reprimatur superbia et immoderatus fervor ad extraordinaria; si autem adverant se probari, facile se fingent ad omnem humilitatis et abjectionis nodum. Sanctus Liguorius ait: »Ab initio confessarius poenitentij jungat, ut nihil unquam faciat *contra*, aut *sine* ejus obedientia.» Qui contra obedientiam poenitentias agunt, S. Joannes a Cruce inquit, hi magis progrediuntur in vitiis quam in virtutibus. «Regula generalis nunquam concedendi mortificationes externas, nisi prius fuerit confessarius rogatus, et quoties concedit, semper minus quam postulatur, concedat. Praecipue suadeat mortificationem circa gulam, quae omnium est durissima, sed spiritui utilissima, et saepe salutem corpori. »Qui non coërcet gulam, ait S. Philippus Ner. nunquam perveniet ad perfectionem!«

4) Quum quandoque Deus animas, quae perfectionem christianam meditantur, *consolationibus internis* recreare soleat, confessarius *caveat*, a) ne suaves has affectiones ceu ipsius virtutis essentiam amplectantur, vel easdem animi impetu aliisque ineptis medijs ciere studeant. b) Ubi hujusmodi consolationes affluunt, moveat, ut illas cum summa humilitate recipiant, firmiter persuasae, non ex suis meritis, sed ex sola Dei benignitate eas sibi conferri, et infirmitati suae succurratur. c) Similiter cavendum, ne spiritualibus his deliciis inebriatae inanem de seipsis complacentiam vel fiduciam admittant¹⁾. d) Praesertim satagendum est, ut fines, ad quos coelestes favores interdum conceduntur, pro viribus assequantur, ut scilicet mens in amore Dei magis inardescat, et inter quaecumque obstacula ad destinatum persequatur, ad bravium aeternae vocacionis Dei in Christo Jesu²⁾.

5) Quoniam vero nonnunquam charitas, qua mens tota perfunditur, in cor et corpus nostrum redundat, et piaes sensationes a Deo conceduntur, ast etiam a naturali cordis facilitate et dispositione veniunt, quin a divina gratia descendant, *discrimen inter motus naturae et gratiae advertat* oportet confessarius, de qua re S. Franciscus Salesius praeclare docet: »Generalis doctrina est, animarum nostrarum affectus e fructibus suis nobis esse cognoscendos. Animi nostri velut arbores sunt, affectus eorum sunt rami, eorum denique opera et actiones fructus. Animus ille bonus est, qui bonos habet affectus; affectus autem illi sunt boni, qui bonos in nobis effectus, et sanctas actiones producant. Si ergo suavitates, benigniores, affabiliores, et rebus proximi compatientes, in concupiscentiis et in pravis inclinationibus nostris mortificandis ferventiores, in exercitiis nostris spiritualibus constantiores, erga eos, quibus

¹⁾ Prov. XVI. 18. — ²⁾ Phil. III. 14. — Cfr. Philoth. P. IV. c. 13.

obedientiam debemus, parentiores et flexibiliores, denique in omni vitae nostrae ratione sinceriores, certissimum signum est eas a Deo provenire.“ — Lectu et meditatione iterata digna sunt, quae vir venerabilis a Kempis in libro de imitatione Christi de diversis *motibus naturae et gratiae* tradit¹⁾).

6) Quanto magis autem in virtute et perfectione huiusmodi personae profecerint, tanto magis *eas timere* doceat. Nam, ut ait S. Ambrosius, quanto excellentius in mandatis Dei quique proficiunt, tanto majores habent causas formidinis et tremoris, ne de ipsis prohibitatis argumentis mens bene sibi conscia, et laudis avida in superbiae rapiatur excessus, et fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clara virtute²⁾.” Saepe expedit, animas eximiis a Deo donis ornatas sibi ipsis subducere, *quasi* per contentum eorum, quae recensent, ne si ostendatur aestimatio, illis praeparetur ruina per superbiam; hinc in obscuritate aliqua continendae sunt, ut non sciant se esse scire, vel sciri.

Continuatio.

§. 221. 7) Quodsi quae persona adverteretur, esse in rebus agendis *tenacioris iudicii*, suaviter *dedocenda* foret. Deus per homines nos dirigere ad perfectionem voluit, ut discamus humiliter obedire; animae prudentis est, proponere quidem firmiter, non tamen ita obfirmare animum ad aliquid agendum vel omittendum, ut mutatis causis et circumstantiis immutare se non sinat; nec mens ita defigenda est in unam rem, ut ad alia forte magis utilia vel necessaria reddatur minus apta. Tutius est fidere alieno prudentis iudicio, quam proprio, melior est obedientia, quam victima, optima probatio obedientia.

8) Quodsi eveniat, talem personam, quod fieri potest, etsi rarius contingat, *labi in lethale peccatum*, confessarius eam benigne excipiat, nec ulla edat signa admirationis aut indignationis, nec eam dejiciat. Quid enim mirum, labi hominem? Caro corrupta prona in malum est ab adolescentia, nec sic gratia naturam consolidat, ut nulla rima peccato pateat, mirum potius, quod post lapsum confusione plenus se accuset. Caecum labi in foveam nemo miratur, nemo ei indignatur, sed manum ei quivis benevole praebet. Ubi sic lapsus sibi vehementer indignatur, potest is effectus esse ex gratia, potest etiam adjunctam habere superbiam, existimantis, talem casum sibi evenire non debuisse. Proinde confessarius aurum a scoria purget, praemissoque justo dolore acerbitatem omnem ex superbia natam tollat, et poenitentem ad *spem et charitatem, et humilitatem* excitet.

¹⁾ Libr. 3. c. 41. — ²⁾ Epist. 84.

Etenim misericordia Domini non est metienda secundum angustos cordis nostri limites ¹⁾. Dei bonitas erga poenitentes fundo caret, illuc mergantur omnia peccata poenitentis ²⁾. Non est, cur respondeat animus poenitens, sed potius, cur majorem concipiat fiduciam exemplo Davidis, qui lapsus, tanta cum gloria surrexit: »Tu propitiaberis peccato meo.» Cur? »Multum est enim.« Profecto injuriam facit Deo, qui eum deserit, majorem facit, qui illi diffidit. Bonus pastor Christus sollicite quaesivit oviculam perditam; de inventa convocatos sibi voluit gratulari: si festum agitur in caelo super uno peccatore poenitentiam agente, quanto magis celebrabitur tanta conversio? In vitis Sanctorum vix reperitur innocentibus collatum aliquid specialis favoris, quod non pariter Deus vere poenitentibus contulerit. Quare longe abest, ut quis desperet ob peccata, ut potius fiducia et spe in Dei bonitatem et misericordiam se erigat et charitate in Deum inardescat. — »Remittantur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit ³⁾.» Miles fugitivus, ubi redit, generose pugnando ignaviam compensat, et maculam delet. — Suadendum similiter est poenitenti, qui post tot ac tantas degustatas Dei gratias lapsus fuit, ut hinc statis diebus coram Domino se sistat, tanquam foedifragus confusione plenus; accuset se de sua perfidia instar filii prodigi; offerat se ad quamcunque poenam; indignum se reputet, qui assumat nomen Domini per os suum velut sancta Thais, quae conversa a S. Paphnutio, ejus jussu usa est ad Dominum vocibus: Qui plasmasti me, miserere mei.« Fugiat sensuum oblectamenta; sedulo vitet occasiones relabendi; lapsus in foveam studiosius deinde caveat; et ita fiat, ut robur, quod ante habuit, accipiat; demum omnem inordinatam tristitiam procul repellat.

Regula vitae devotae.

§. 222. Ad perfectionem christianam assequendam, in eaque perseverandum plurimum valet ordinem vitae devotae sibi figere, cujus beneficio, Christianus perfectioni indes majori studens, in virtutis progressu et perseverantia juvari possit. Quare non injucundam operam confessariis iisque, quibus cura animarum demandata est, praebituros nos esse confidimus, si delineationem aliquam regulae vitae pro perfectione christiana, licet rudipenicillo expressam subjungamus, idque eo magis, quo fieri soleat, ut poenitentes ea de re confessarium nonnunquam adeant. Fatemur autem, sicut non omnia virtutis media expediunt omnibus, ita in hoc schemate non singula singulis convenire, ut adeo nonnisi ea seligat confessarius,

¹⁾ Cfr. Eccl. XVII. 28. — ²⁾ Mich. VII. 19. — ³⁾ Luc. VII. 47.

quae considerata poenitentis conditione et indole usui esse possint.
En igitur :

Naturam ad surgendum maturius saepe pigram, praesente jam fixo temporis momento, utut reluctantem ac cunctantem, e molli dulciq̄ lecto exsurgere jube et compelle, et victor prodibis tui ipsius. Absque ratione sufficienti ultra septem horas somnum nunquam protrahito. Ubi evigilaveris, manus tuas extolle ad Deum; cogita, quasi tibi Angelus dicat idem, quod olim Petro: „Surge velociter, et sequere me.“ Sequere et tu hanc vocem, et surge velociter. E lecto surgendo memineris resurrectionis Jesu Christi a mortuis, et pete ab Eo felicem resurrectionem. Sanctae Crucis signaculum et fronti et ori et pectori devote imponendo memento semper amoris Jesu Christi, qui nostri amore in Crucis patibulo animam egit, et firmiter tibi propone vitam, quam dicunt crucifixam ac mortificatam agere. Paratissimus esto hoc die ad perferendum, quidquid Deo placuerit immittere, vel permittere, molestiarum, difficultatum, aerumnarum, persecutionum, tribulationum, calamitatum, dolorum animi et corporis propter justitiam, opitulante divina gratia, animo constante et imperturbato, amore Jesu Christi pleno: paratissimus cum Jesu Christo et in crucem agi et morte affici. Cogita: Fortasse haec dies est ultima vitae meae, omnia ita age, ut egisse optabis in lecto extremo jamjam moriturus. Gratias age Deo pro custodia in nocte praeterlapsa, et dic, aut: Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, aut: Sanctus, Sanctus, Sanctus etc, aut: Deo gratias, quod adhuc vivam, quod hac nocte non sim mortuus in peccatis. Quot homines hac nocte mors secum abstulit, coram tribunali tremendo! Deo gratias, quod tempus gratiae et misericordiae nondum defluerit, quod adhuc peccatorum poenitentiam agendi coelumque lucrandi, et tempus mihi supersit et media praesto. Vestiens te Dei praesentis memineris, et Angeli Custodis. Vestiendo memor esto casus miserrimi Adae, qui peccando animas nostras stola innocentiae spoliavit, vestire te satage in spiritu poenitentiae, pete a Jesu gratiam, Eundem induendi, et ita cogitandi, sentiendi, loquendi et agendi, prout Ipse et cogitavit, et sensit, et locutus est, et egit; neque obliviscere fore, ut forsitan propediem cadaver tuum lino funebri sit obvolvendum. Coram Crucifixo genibus flexis ora lente, et attente, et devote, summa animi demissione in conspectu Dei omnipotentis; elice actus virtutum theologicarum fidei, spei et charitatis; fac firmum propositum. omnia in nomine Dei agendi, omnia e manu Ejus paterna suscipiendi; singulare autem propositum hoc illudve bonum agendi, hoc istudve malum vitandi certum; offer te totum quantum sacrificium vivum Deo. Preces matutinae claudantur oratione Dominica, Salutatione Angelica, et symbolo Apostolorum; pete a Domino nostro Jesu Christo benedictionem. Quam primum campanae sonus te monet Salutationis

Angelicae: „Angelus Domini etc.“ recogita incomprehensibile mysterium Dominicae Incarnationis, pro quo immenso beneficio, quas habes, maximas age gratias. Brevis per quadrantem duratura Meditatio veritatum religiosarum plurimum commendatur.

In Ecclesiam si pergas incruento Missae sacrificio tenerrimis, quibus poteris, sensis amoris, fiduciae, doloris, poenitentiae, gratissimique animi interesse satage ita, quasi in ipso Calvariae monte Jesum Christum emorientem tuis oculis cernere liceret. Cum autem prohibearis Missae sacrificio interesse, noli turbari, hoc quoque Deus permittit, qui Pater tuus est; adesto mente huic tremendo Sacro, offer cum sacerdote in spiritu temetipsum, commenda te tuis notis amicisque, quibus licet sacra mysteria frequentare.

Ecclesiam ingressus asperge te aqua lustrali, et ora Deum, ut te ab omnibus peccatorum maculis purgare velit. Exinde Jesu Christo in ss. Altaris Sacramento verissime praesenti cultum supremae patriae praesta. Quodsi modo non fiat Sacrum Missae, meditare de immensa charitate Jesu Christi erga te, vel recita Litanias SS. Nominis Jesu. Intra Missarum solemnias, quantum fieri licet, ora cum sacrificante sacerdote; quo aram osculante post ascensum ad *Introitum* Missae invoca ss. Martyres, quorum Reliquiae pretiosae in ara latent, ut apud Deum pro te intercedant; elice desiderium amore Jesu Christi sanguinem tuum profundendi. Post *Epistolam* ministro respondente: „Deo gratias“ age et tu Deo gratias pro doctrinis, Prophetarum et Apostolorum ore et tibi communicatis. *Evangelio* insonante dic gratias Jesu pro omnibus ejus veritatibus, exemplis atque beneficiis. Deficiente *symbolo Nicaeno*, quod sacerdos recitat, ora saltem: „Credo in unum Deum etc.“ Dum *Offertorium* fiat in altari, offer animum tuum cum facultatibus suis, corpus tuum cum sensibus suis, cor cum affectibus et pro-
Pensionibus, totum quantum temetipsum. *Transsubstantiatio* singulari meretur attentionem; offert semetipsum Deus homo Jesus Christus Patri suo. Cum ss. Hostia elevatur, repraesenta tibi elevationem Jesu Christi in patibulo Crucis pendentis, exoraque Ipsum, ut secum te trahat; Calice divino elevato fiduciam cape: Sanguis Jesu Christi clamat Patri de gratia et indulgentia. Ad *Memento*, memento et tu defunctorum parentum, amicorum, benefactorum, imo et omnium, qui te offenderunt. Ad „*Pater noster*“ ora attentissime. Ad „*Domine non sum dignus*“ percute pectus tuum cum publicano, et si non reipsa Sacramentum Ss. corporis et Sanguinis Jesu Christi sumere potes, comunica saltem spiritu. Sacerdote *Benedicente* populo, imaginare tibi Jesum, quem semper in persona sacerdotis considerare decet, ante ascensum suum in coelum, discipulis suis benedicientem. Dum *ultimum* legitur *Evangelium*, gratias age Jesu, quod homo sit factus pro nobis.

Ecclesia egressus negotia tua ex asse et accuratissime exsequere quasi praesentibus superioribus tuis; oculus Dei ubique te committatur arbiter cujuscunque actionis, verbi, cogitationisque tuae. Expletis omnibus tuis vocationis officiis, si quid temporis superferit tibi, in libro aliquo spirituali legito, e. g. de Imitatione Christi. Scripta S. Francisci Salesii absque maximo animi salutis incremento non legeris. Nullus spiritu et unctione plenus aedificationis liber excluditur, attamen semper patrem tuum spirituales consule prius. Lege usque dum commoveatur animus tuus, non tamen justo plus una vice, neque animi nervos nimis intende. Jam satis meditatus de uno loco, ulterius lege, et ausculta diligenter, quid Dominus ad cor tuum loquatur.

Omnes labores tui ad majorem Dei sint gloriam; memor esto Dei praesentis et omnium honorum operum munificentissimi remuneratoris. In laborando hilari semper esto animo, et quadam ratione sancta effectuum incurius, et indifferens, fructus laborum tuorum Dei benedictioni committens, contentus, jam fecisse, quod tuum erat. Operare omnia ad expianda tua delicta in spiritu obedientiae et humilitatis; durantibus laboribus has illasve preces jaculatorias coelum versus evibra, repraesenta tibi Jesum, qui in sudore vultus sui panem suum edebat. Si labores tui ex animi sententia prospere accedant, gratias dicito Deo, quodsi vero perperam eant, cogita: hoc quoque Deus permittit, et Deus omnia bene facit. — Otiolum aliquod si tibi suppetat, reminiscere vitae hodie hucusque actae et trutina, quomodo proposita mane, vel in sacra lectione, vel meditatione concepta expleveris.

In prandio imaginare tibi Patrem coelicum manus suas aperientem, ut te cibet, preces mensales nusquam intermittito, desiderata quoque cibum animi, gratiam Dei Ejusque verbum, atque Sacramenta, loquere quidquam, quod aedificare possit pietatem, repraesenta tibi Jesum tecum prandentem; quidquid palato tuo subtraxeris, da pauperibus. Post prandium unus istorum quinque millium tibi esse videre, quos Jesus Christus miraculo cibaverat, gratias ipse redde intimas, et roga eum, ut tibi det manna coeleste, vitam immortalem gratiae.

Ut quam beatissime et felicissime vivas, totum te da Deo. Tam diu inquietus eris, usque dum in Deo solo quieveris Eum solum amando. In omnibus Dei voluntatem facere satagas, Eique soli placere. Nihil age contra Deum, nihil age sine Deo, nihil quaere praeter Deum, age et patere omnia propter Deum. — Parum tua referat, utrum homines hujus mundi te magni faciant, aestiment, et ament, modo Deo placeas, modo conscientia tua te non arguat. Discipulus non est supra Magistrum, et famulus non supra Dominum. — Ante omnia cor tuum purum et immaculatum servare stude. Tibimetipsi diligenter invigila, sensuum organos et cogitationibus

tuis, sensis, affectibus passionibusque; nihil parvi fac, ubi agitur de salute tua. Qui minora vilipendit, in majora cadet. Qui spernit modica, paulatim decidet. — In omnibus usquequaque Jesus Christus sit magister tuus, quem intuendo temetipsum interroga saepius. Quid Jesus Christus in hoc casu cogitaret, loquutus esset et operatus. — Adsuesce in omnibus, quae videris, boni quidquam cogitare. — Esto mitis, lenis, demisso animo: tace et patere Jesu instar. Graviorem, cui portandae impar esses, crucem minime imponet tibi. Crucigerum te adjuvabit certo. — Elige saepe, quod tibi gravi est oneri, et amoris tui reluctatur. — Sinui divino ita te inferas, sicut infans matris sinui se infert. Quoddemumcunque juserit te Deus, illico pete gratiam, sanctissima jussa ejus quam exactissime exsequendi, licet sint difficillima exsequenti. — Desidia mater foecunda malorum. — Labora ad modum, quo Jesus in domo Josephi nutritii sui laboraverit. — Recollige te interdum Jesu ad exemplum, qui a reliquis hominibus se subducendo ad Patrem suum oraverat. — Tempore ariditatis nullum pietatis exercitium praetermitte; tali in casu Jesus ter oravit, quum esset anima ejus tristic ad mortem usque. Omnia age in nomine Jesu, et sic quilibet labor evadit religiosus. — In vultibus et gestibus motibusque tuis manifesta, cujus famulatu gaudes; longe tamen a te absit, ut aliorum oculos ad te moveas — Plus audi, quam loquere; in multiloquio non deerit peccatum. Expete tibi a Deo gratiam tempore opportuno et tacendi et loquendi, nec non custodiam pone ori tuo, ne lingua tua labaris, et sepi aures tuas spinis, ne quid audiant, quod Ipsi displicere queat. — Noli esse curiosus rerum novarum, distrahant animum; dissere libenter de rebus bonis. — Fuge vel umbram periculi peccandi; amando periculum in eodem peribis; sola fuga saepe victoria reportatur. — Quamlibet cogitationem, a Deo te separantem, animo excute quam citissime vales, sicut vel unam scintillam veste excutis. — Quam saepissime Deum exora, ut a tentationibus te liberet; quod si tibi supervenire permiserit, noli turbari; qui certamen mittit, addit quoque vires ad victoriam. — **E**sto animo tranquillo, fide Deo; si Deus pro te, quis contra te? **E**fflagita a Deo; ut auferat tibi quidquid animi tui amorem sibi vindicare conatur, licet jactura haec tibi sit acerbissima. Ei soli vivere et mori totusque esse ejus desidera. — Si habes cibum et amicum, esto contentus pauperis Jesu instar. — Neque rixa, neque nimis te justifica, aut excusa; nihil loquatur os tuum contra praepositos, aut proximos sine necessitate aut obligatione. Esto sincerus et simplex corde; libenter audi doctrinas, hortamina, et objurgia aliorum. — Noli esse inimicus, invidus, severus in loquendo et agendo. — Quidquid tibi non vis fieri alteri et tu ne feceris, et quidquid tibi vis fieri ab aliis, et tu primus feceris aliis — Cogita, quod Jesus in medio eorum sit, quibuscum conversaris. Sermones

tuos sale sapientiae condi, bene memor, tempus esse breve, hōnisque esse rationem reddendam cujuslibet verbi inutilis; discursu verborum viam sterne, eumque dirige ad Deum modo opportuno. Ubi tecum iterum es solus, examina te, utrum minus bonus inveniris, quam fuisti, gliſcat animus, quod modo et cum Deo et secum possit conversari. Veniam pete vitiorum in loquendo commissorum, gratias redde pro Angeli custodia, et cunctis bonis, quae vidis, audisti, sensisti, rogaque Deum-hominem Jesum Christum, cujus deliciae erant cum hominibus conversari, ut te societati Sanctorum aggregatum vultu suo laetificet. — Visitatus ab aliquo extolle eorum tuum ad Jesum oraque, ut det tibi charitatem, animum mansuetum, demissum et collectum; esto affabilis, modestus, cautus, prudens, caecus et surdus prout circumstantiae exigunt.

Si permittitur tibi ire ad Benedictionem divinam in ecclesiam, gaudio gestiens visita Jesum Christum; genuum orbem terrae admove, genibusque accide Jesu; sicut olim Maria, excita viva fidem praesentis Dei tui peteque ab Eo Samuelis exemplo: „Loquere Domine, audit te servus tuus.” Domi manere jussus cogita: Deus ita vult, in hac me posuit conditione; obedientia praestat sacrificium; faciem verte in eam plagam, ubi sanctissimum Sacramentum asservatur in templo, et quemcunque locum domus templum Deo dedicatum.

In coena memento ultimae coenae Jesu, Eundem rogans, ut ad coenam coelicam te invitare velit. Antequam dormitum vadat, scrutare conscientiam, expete lumen ad vitia tua cognoscenda, recogita de illis, ora veniam eorum, statue et promitte emendationem Jesu, offer Deo quietem, somnum, horam et genus mortis; ita te committe Deo quasi hac nocte coram Ipso comparere te oporteat; commenda te Deiparae Mariae, Angelo tutelari, patrono, cujus nomen habes. Imaginare tibi lectum qua sepulchrum tuum, et tegumentum qua linum funebre; osculare Crucifixum, uni somnum tuum somno Jesu, et ita obdormisce sub tutamine Pastoris Israël. Si dormire nequeas, vel nocte evigilans memento vocis: „Media nocte clamor factus est; ecce sponsus venit; — aut memor esto noctis ultimae, qua Jesus ad Patrem oravit, sanguinemque sudavit; ora pro nocte agonizantibus, multum patientibus, pro fidelibus defunctis; roga, ne permittat Deus, ut tenebrae aeternae te tegant.

Tempore infirmitatis ante omnia confide in Deo, eique te totum committe, atque frequenti Christi patientis et morientis memoria et meditatione ita te occupa, ut animum magis magisque erigas roboreque.

Ceterum quam instantissime commendantur visitatio SS. Crucis, charistiae, veneratio Passionis Domini, et cultus Marianus. Inprimis diem Dominicum festumve sacrum age, et pietati dicitur. Impende his diebus praeter sacrificium Missae et concionem partem temporis piae lectioni, aliisque pietatis et charitatis operibus.

Natalem tuum praecipue religioni consecra — Peccatorum exomologesin et **S. Communionem** quod attinet, totum te committe patri tuo spirituali. Unoquoque mense et anno conscientiae tuae scrutinyum institue severum. Ad sacratissimam synaxin semper accede cum vera animi fame ac siti, dolore, adoratione, humilitate, fiducia, spe, amore; uni te totum Jesu, recogita de tormentis et morte Jesu Christi, propone Ipsi tuam miseriam, quoque momento tali pretioso quam optime utere, nec dimitte Eum, priusquam benedixerit tibi. — Quam saepissime animo revolve, quo amore erga te feratur Deus, ut et tu Eumdem redamare satagas ex toto corde tuo, ex tota anima tua et omnibus viribus tuis, et ita hisce jam in terris, magis vero in coelis quam beatissimam vitam agas in saecula saeculorum. Gratia Domini nostri Jesu Christi sit tecum. Amen ¹⁾.

Personae ad speciem devotae.

§. 223. Ab his vere devotis personis distinguendae veniunt illae, quarum devotio, quam prae se ferunt et ostendunt, hypocrisis est, vel saltem illusio, qua ipsi decipiuntur. Licet enim saepius sacrum tribunal frequentent, et SS. Eucharistiam sumant, licet tenuia tantum confiteantur peccata, nihilominus sunt deliciis et vanitatibus inhiantes, curiosis pulchris et solatiis externis delectantur, laudes et honores affectant, facile irritantur proprio sensui inhaerentes, contradictionis sunt impatientes. „Hi ceteros despiciunt, nulla infirmantibus misericordia condescendunt; quo se peccatores esse non credunt, eo deterius peccatores fiunt” ²⁾.

Has merito carpe, et argue opportune et importune, verum in omni mansuetudine et spiritus lenitate, ut sese agnoscentes, quales sint, ad veram et solidam pietatem redeant. Vera autem pietas non in solis Religionis exercitiis externis precibusque consistit, sed et sui abnegatione, humilitate cordis, et charitate non ficta in Deum et proximum. „Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum” ³⁾ Plenitudo legis charitas est, quam Apostolus ad Corinthios praeclare describit ⁴⁾. — Quodsi in virginitate sua sibi placentes superbiam, lapsasque personas aspere superbeque contemnant; jubeas eas memores esse verborum S. Hieronymi: „Non sapientior Salomone, nec fortior Davide tu es.” Condoleant potius talibus miseris, et orent pro ipsis, et adjuvent, ut illae resurgant. Superba virgo casui proxima. Qui stat,

¹⁾ Cfr. Libellum, cui titulus est: Geistlicher Wegweiser für fromme Seelen. Aus dem Italienischen des hochw. P. D. Carl Jos. Quadrupani, Barnabiten. Wien 1832. — ²⁾ S. Greg. hom. 34. in Evang. post Trinit. ³⁾ Matth. XXII. 37. 40. — ⁴⁾ Cor. XIII.

videat, ne cadat. Et quum humilitate et charitate destitutae **sint**, verba S. Chrysostomi doceri possunt: „Vide exemplum in **virginibus fatuis**. Virgines erant, et lampades, quas habebant, designabant donum virginittatis, quae se corporis puritate conservat. **As** fatuae erant, quia charitatem non habebant per oleum, quo **carebant**, significatam. Et ideo non admittebantur ad nuptias cum **sponso**” ¹⁾. Hac veste charittatis quisquis indutus fuerit, erit **hostibus** terribilis; nam de ceteris virtutibus, quantascunqne habueris **sine** charitate, non curant daemones. Et S. Gregorius: „Redemptori nostro unum sine altero placere nequaquam potest, si aut is, qui bona agit, adhuc luxuriae inquinamenta non deserit, aut is, qui castitate praeminet, necdum se per bona opera exercet” ²⁾.

Aliud mulierum specie pietatis tinctarum genus sunt, quae adhaesionis vinculo personae confessarii adstringuntur. Malum profecto morte ipsa diligentius evitandum, quo non tantum ipsae in perniciem ruunt, sed etiam confessarium ruinae participem reddunt. Nemo igitur succenseat, si ejusmodi personas, quo facilius dignoscantur, vividis depingamus coloribus. Mulier talis nullam habet requiem; *desiderium loquendi* cum confessario, *sollicitudo*, quia illius caret aspectu, *diffidentia et metus*, ne ab eo deseratur, *zelelotypia*, ne aliae apud illum gratia magis polleant, ita eam torquent, ut in plurima labatur facta, quae illius imbecillitatem aperiant. Sub tali duce haec habere non potest virtutem solidam, sed species tantum erit virtutis; indies fit magis immortificata, **vana** facilis ad laudes et injurias sentiendas, impatiens, invidens suspicionibus atqne temerariis judiciis subjecta; minus attendit Deo; in precibus suis magis distracta, confessarii sui commodis honoribusque inservit, pravo ducta principio; fovet simultates, imo etiam vindictae desideria adversus eos, apud quos ille tanti non est, **quantum** ipsa vellet. Denique haec illa est seducta columba, de qua loquitur Propheta ³⁾, cui alienus ne cogitans quidem cor abstulit; neque enim amplius cor habere videtur, ut diligat Deum, cui confessarii personam substituit; hunc timet, cum tentatur; huic placere **gestit**, quidquid agit; in unum illum intenta est, dum preces effundit, **tunc** vero praesertim, cum adstat illi sacrum facienti; nullum extra **illius** societatem solatium invenit, nisi cum de eo loquitur, vel **ejusdem** recordatione laetatur. Hae, de quibus sermo est, omnem **confidentiam** suam collocant in colloquiis, quae cum confessario suo **terminant**, et hinc toties quoties facultas ipsis est, ad confessarium **revertuntur**, quo magis simul earum augetur adhaesio, roboratur affectus, et spiritus infirmatur. — — — Proh dolor! aegritudo haec **magnum** est et horribilissimum! Vae sacerdoti, qui zelo alio inardescit, quam **quod** succensus dicebat Apostolus: „Aemulor vos Dei aemulatione, **ad**

¹⁾ Hom. 78. in Matth. — ²⁾ Hom. 13. in Evang. — ³⁾ Osee. VII.

ndi enim vos uni viro Virginem castam exhibere Christo" ¹⁾,
rum fatendum est, nullum brevius praesentiusque remedium ad
ritudinem hanc tollendam excogitari posse, quam omnino dimit-
te eam, quae confessario adeo arcto vinculo adhaerere cogno-
tur.

Tepescentes.

§. 224. Non raro accidit, ut vota et proposita ardentissima
sim sine sensu tepescant, et personae diu devotae in teporem
labantur. Potissima hujus teporis indicia sunt: a) si poenitens
recitatio prius usitata, e. g. piorum librorum lectionem, orationem,
amen conscientiae, usum Sacramentorum etc. ex levi ratione vel
littat vel decurtet, vel nonnisi perfunctorie obeat; b) si divinas
pirationes et remorsus conscientiae parum curet, emendationem
m in aliud semper tempus differens; c) si, qui antehac solitudi-
amans fuerat, jam in res exteriores effusus deprehendatur, con-
tionem suam inter vanas confabulationes quaerens; sique omis-
operibus poenitentiae corpori et sensibus liberalius indulgeat,
rus ad carpenda gesta aliorum, ad verba otiosa etc.; d) si de-
n in confessione pristina ejusdem sinceritas desideratur, qua
ctori suo quoscunque animi motus explicare, seque ipsius moni-
t correctionibus submittere solebat. Simul confessarius in ejus-
i poenitente magnam animi reluctantiam, et affectuum perturba-
em observabit.

-2. Quodsi confessarius haec, vel aliqua saltem horum signo-
detegat, absit, ut miserum poenitentem verbis fors durioribus
littat. Tales enim jam alias animo renitente ad confessionem
adunt; dum igitur durius increpantur, penitus deterreri solent.
us infirmum pia cum commiseratione suscipere, et quidquid
ritas suggerit, tentare juvat, ut linum fumigans denuo accen-
tr. Hinc amice hortandus atque rogandus erit, ut recogitet,
m periculosum sit primam charitatem reliquisse, quamque hor-
la illos comminatio feriat, qui neque frigidi, neque calidi, sed
di sunt ²⁾; imo non dari statum funestioem, quam illorum, qui
mel illuminati gustaverunt donum coeleste, et participes facti
ritus sancti" ³⁾ denuo prolapsi sunt in pristina peccata.

3. Ubi poenitens his et similibus motivis de torpore suo exci-
s fuerit, instandum erit, ut hujus tepiditatis *fontes* obstruat,
les sunt plerumque: conversatio cum frigidis, lectio librorum
itu mundano turgentium, remissior vivendi ratio etc. Tum vero
m addatur animus, ut exercitia priora ferventius repetat, in-
tendo illa verba S. Bernardi: „Exurgamus obsecro, quicumque

II. Cor. XI. 2. — ²⁾ Apoc. II. 4. III. 16. — ³⁾ Heb. VI. 5. —

hujusmodi sumus; resarciamus animam, spiritum recolligamus ab-
jicientes perniciosam tepiditatem" ¹⁾). Nonnunquam suadendum est,
ut poenitens in secessu sacro exercitia obeat. Si magnus suo
vigore incipit destitui, ferri ramentis undique coopertus vires pri-
stinas resumit.

In periculo lapsus constituti.

§. 225. Qui in periculo grave aliquod patrandi peccatum ver-
santur, prae reliquis poenitentibus non mediocrem pii confessarii
exigunt curam. Et quo gravius censetur peccatum, cujus patrato
instat, quo funestiores sunt effectus, qui illud comitantur, quo dif-
ficillior existit curatio, si quando animam invasit; eo ardentior quo-
que confessarii sollicitudo et diligentia, illud praepediendi, esse
debet. Vita et mors in lingua confessarii. Felices conscientiarum
arbitros, qui proximó compatiētes, corde mites, validis adhorta-
tionibus animas a vitii ingressu retrahunt! Vae autem illis, quorum
sordida et levitas in causa est, quominus a vitio declinent! Quis
ambigit, quin Deus sanguinem animarum, quae confessarii culpa
intereunt, requirat²⁾? „Requiram gregem meum de manu eorum"³⁾.
Utinam haec cura in peccatis contra sextum Decalogi praecipua
esset! V. g. „Puella se accusat de cogitatis verbisque impuris, qui-
bus conversatio cum viro ansam praebet; nulla tamen hucusque
actionis impurae labe foedata. Hinc sane poenitentis status sollici-
tudinem et curam confessarii indefessam provocare debet, quando
quidem transitus ad peccatum operis certo pertimescendus est, nisi
solidis argumentis de castimoniae pulchritudine vitii quoque foeditate
convicta, remediis, quoad fieri potest, omnigenis naturalibus et
religiosis retineatur. Quapropter in praesenti materia confessarius
inaestimabile, nullo divitiarum pretio redimendum, animae castae
et innocentis decus et ornamentum quam impensissime docebit,
ostendetque, quam praeceps sit via ab innocentia ad peccatum. Ab
initio sermocinatio est innocua, fit dein familiaritas, libido nascitur
postea, quae ducit ad lapsum, ad consuetudinem, et proh dolor! in
exitium. Hinc inducat confessarius sacrae Scripturae loca, quibus
virtus castimoniae celebratur in virginibus, quippe quibus in coelo
singulare illud privilegium datur, de quo S. Joannes in Apocalypsi
scribit: „Hi sunt, inquit, qui cum mulieribus non sunt coinquinati:
virgines enim sunt, et sequuntur agnum, quocumque ierit"⁴⁾.
Ceteris nimirum propius Christo adhaerebunt in futuro seculo, et
cum illo familiariter conversabuntur, singulariterque delectabuntur
in corporum suorum puritate. Haec virtus homines non tantum

¹⁾ Serm. 6. de Ascens. — ²⁾ Cfr. Ezech. III. 17. — 22. — ³⁾ Ezech. XXXIV. 10. — ⁴⁾ XIV.

Christo similes, sed et templa facit Spiritus sancti corpora nostra. Spiritus enim divinus, amator puritatis, quemadmodum omnem turpitudinem luxuriae plus quam reliqua vitia odit, ita in nulla re libentius majorique cum gaudio requiescit, quam in anima pura, et ab omni carnali voluptate aliena. His junge, quae Sect. I. §§. 181—184 de remediis dicta sunt.

Neolapsi.

§. 226. Similiter in neolapsis confessarius omnem efficaciam adhibeat in persuadendo, copiamque in dicendo, et modestiam in increpando, ne peccata, in quae prima vice lapsi sunt, iterent; perniciose etenim consuetudo difficile corrigitur. Ea est hominis natura, ut, quemadmodum quisque pedetentim et gradatim bonus, sic etiam nonnisi sensim malus evadat. Ubi peccata habitum nondum induxere, peccatores solis saepenumero monitis, quibus facile convincuntur, et animadversionibus, spiritu charitatis et lenitatis prolatis, ad derelictam virtutis semitam reducuntur. Quam primum autem consuetudo in oppositum premit, emendatio difficilior redditur. Quod in peccatis contra sextum Decalogi prae ceteris locum habet. Eheu! quot in vitiis misere computrescunt, qui eo nunquam delapsi fuissent, si prima vice peccatores facti fortiter admoniti fuissent, et post naufragium metuere didicissent pericula, quae experti sunt. „Fieri enim solet, teste S. Gregorio, ut anima post peccatum sit ferventior, quae in statu innocentiae tepida erat, et plane negligens.”

Malitiae peccata confitentes.

§. 227. Malitiae peccata designantur ea, quae circa rem gravem cum deliberatione, vel contra praesens explicitum et directum conscientiae monitum committuntur. Jam qui ejusmodi peccatis se foedarunt, sola asseveratione, se de peccato dolere, illudque iterare amplius nolle, justo tenuiorem securitatem praebent, adeo ut, nisi alia tuta emendati animi signa praesto fuerint, pro *hic et nunc* absolutione donandi haud sint. Atque ratio dilatae absolutionis eo major est, quo hujus generis peccata jam alias, jam saepius confessi fuerint, et a confessariis prioribus correpti, atque etiam, si peccatum solito atrocius sit. Interim tamen confessarius, quantum ad illorum conversionem procurandam, omni virium contentione adlaborare, et pretioso Christi sanguine redemptos ad justificationis gratiam obtinendam disponere conabitur. Modum, quo procedat, Concilium Tridentinum solide et adcurate demonstrat ¹⁾,

¹⁾ Sess. VI. cap. 6.

quem si sequitur confessarius, habebit, *unde et quomodo poenitentem ad reconciliationis gratiam consequendam disponat.*

Praesupposita nimirum fide, qua peccator divina gratia adjuvatus credit vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt, atque illud inprimis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quae est in Christo Jesu, conversio peccatoris ordinarie quidem a timore justitiae divinae incipere solet; quomobrem confessarius primo commonefaciat peccatorem de justitia vindictiva, qua divinus iudex poenas irrogat peccatori, ut hac ratione salutari timore concutiatur, et configantur carnes ejus. Harum poenarum post mortem futurarum magnitudinem auget earum sine firmitudatio, praecclusa omni spe impetrandae aliquando liberationi. Ultionis horrendae exemplar sisti potest triplex: a) punitio innumerarum propemodum multitudinis angelorum; b) ejectio Adami ex paradiso; c) Filii Dei amarissima et ignominiosissima Passio. Utile erit textus sacrae Scripturae allegare ¹⁾.

Deinde inducatur poenitens ad considerandam infinitam Dei misericordiam, et immensa Salvatoris merita, nec non divinas promissiones de remissione peccatorum, vero poenitentibus impertientia. Juvabit in hanc rem proponere parabolas boni Pastoris, et filii prodigi, quibus benignissimus Salvator noster pathetice expressit tenerrima misericordiae suae viscera, quibus non solum peccatore ad ipsum serio revertentes in gratiam recipere consuevit, sed ultram etiam quaerere, et ad se trahere, quin imo quibus ad veram poenitentiam agendam alliciuntur. Expediit quoque exempla illorum adferre, quorum sanctitas eo illustrior evasit, quo plurium et graviorum delictorum veniam consecuti sunt, puta: Matthaei, Magdalenae, Petri, Pauli, Aphae, Thaidis, Pelagiae, Mariae Aegyptiacae, Mariae de Cortona et inprimis Augustini etc. ²⁾, ut, ubi abundaverat delictum, superabundaret et gratia — Proderit etiam mponderare Scripturae sacrae sententias, quae misericordiam Deopotissimum commendant, ut: „Miserator et misericors Dominus patiens et multum misericors. Suavis Dominus universis et miserationes ejus super omnia opera ejus” ³⁾. „Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam” ⁴⁾. — „Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit iudicium et justitiam, omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor” ⁵⁾. „Non veni vocare justos, sed peccatores” ⁶⁾. „Venit filius hominis quaerere et salvum facere, quod perierat” ⁷⁾. „Si quis peccaverit, advoca

¹⁾ Matth. X. 26. XXV. Apocal. XXI. 8. — ²⁾ Cfr. Rückkehr zu Gott Wien 1828. p. 51, 53, 81, 91, 151, 158, 163, 166. — ³⁾ Ps. CXLIV. 8. ⁴⁾ Psalm. L. 1. — ⁵⁾ Ezech. XVIII. 21. — ⁶⁾ Matth. IX. 13. — ⁷⁾ Luc. XIX. 10.

tam habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi" ¹⁾).

Postremo, si poenitens in spem recuperandae peccatorum remissionis erectus fuerit, intuitu meritorum Christi per Sacramentum Poenitentiae applicandorum cor ipsius emolliatur amore, quo Deus tanquam omnis justitiae fons diligi incipitur. Ad hunc amorem eliciendum peccatori suggerenda sunt:

a) Immensa Dei in nos collata beneficia naturae et gratiae, quae inter primum occupat locum beneficium Redemptionis: Dilexit me, et tradidit semet ipsum pro me ²⁾. „Super omnia amabilem te mihi reddit, o bone Jesu, calix, quem bibisti, opus nostrae redemptionis." S. Bernardus.

b) Infinita Dei bonitas, sapientia, potentia, pulchritudo ceteraque perfectiones innumerae, quae ipsum propter se infinite amabilem reddunt. Hinc S. Augustinus: „Sero te amavi, pulchritudo tam antiqua, et tam nova, sero te amavi, vae tempori illi, quando non amavi te. O bonitas! o bonitas" ³⁾).

c) Huic considerationi optime jungi solet gravitas et turpitudine peccati, Dei infinitae bonitati opposita. Ex his sponte fluunt odium, detestatio et dolor de peccatis cum proposito efficaci non peccandi de cetero, et divinae justitiae per condigna poenitentiae opera satisfaciendi. Atque hac ratione feliciter perficietur vera peccatoris conversio, qua sacramentali absolutione Dei gratia opitulante dignus evadet.

Haec omnia accommodanda sunt peccatis, de quibus confitens se accusat.

Peccata occasione nata confitentes. — Notio et divisio occasionis peccati.

§. 228. Occasio peccandi est praesentia et concursus adiutorum et circumstantiarum, quae actioni peccatoriae ponendae ansam praebent, peccareque homini non solum possibile, sed et expeditum facileque reddunt. Vel, ut antiquiores theologi loquuntur, est circumstantia extrinseca ad peccandum alliciens, et formale ejusdem periculum involvens. Datur occasio

a) *proxima*, quae vehementius hominem ad peccandum allicit, et in qua valde timendum, ne peccandi consilium capiat, vel in qua parum, aut prorsus nulla de peccato victoria speranda est;

b) *remota*, quae in peccatum inducere quidem valet, in qua tamen non valde verosimile est, fore, ut homo peccandi consilium

¹⁾ Joan. II. 1. — ²⁾ II. Cor. V. Gal. II. 20. — ³⁾ Soliloq. c. 13.

capiat, vel ubi magna victoriae spes affulget. Quare ut dispiciatur, utrum occasio *proxima*, an *remota* censi debet, videndum est, num quis pensatis ejusmodi rerum adjunctis, et spectata *subjectiva* hominis indole affectioneque (fragilitate, constantia, prudentia, *imprudentia*), magis minusve periculose ad peccatum alliciatur *impelaturque*, ita quidem, ut vel probabilius lapsurus sit, vel vero *periculum* lapsus minus probabile occurrat.

c) *Proxima peccandi occasio* denuo est *a) talis in se*, quae vi naturae suae quidquid hominum peccandi periculo exponit; *β) relative talis*, quae proximum peccandi periculum parat tantum certo subjecto, alioquin jam prius disposito, infirmo, vel ex antepositis actibus ad certi generis peccatum procliviori.

d) Peccandi occasiones sunt aut *evitabiles*, si earum evitatio ab hominis libera actuositate dependet, quae hinc *voluntariae* audiunt aut *inevitabiles* et *necessariae*. *Necessariae* occasiones sunt iterum *α) physice necessariae*, quas declinare physice per virtutem naturae est homini impossibile, e. g. si mas cum foemina seductrice in eodem carcere est inclusus; *β) moraliter necessariae*, quas sine violatione alterius officii et universim sine magna difficultate magnoque damno et suo et aliorum devitare nequit homo. Sic e. uxori suum maritum, qui proximam parat peccandi occasionem, religioso monasterium, militi militiam, filiofamilias cohabitationem in domo paterna etc. deserere non licet. — Quod difficultatem magnum damnum attinet, ut occasio censeatur moraliter necessaria, non potest una definiiri regula, quia hoc dependet ex variis circumstantiis, quas confessarius ponderare debet. Universim dici potest, difficultatem et damnum esse debere adeo grave, ut illud subire communitur superet vires humanas, v. g. si vita exponenda esset periculo evidenti, — si familia honesta esset ad mendicitatem redigenda; si viro honorato infamia valde gravis subeunda etc. P. Segner de hac materia disserens ait: „Ad cognoscendum, quaenam difficultas et *moralis* impossibilitas sit sufficiens ad hoc, ut quis non teneatur fugere occasionem *externam*, sed tantum adhibere actus et *industrias internas*, debet determinari per prudentiam confessarii, qui debet expendere damna tam circa vitam et honorem, quam circa bona fortunae emergentia, si deberet occasionem deserere, vel ejicere.“ Pro praxi ita loquitur: Quando quis reperit majorem difficultatem in deserenda occasione, (intellige, quia sic deberet insolitum damnum pati, vitae e. g., honoris vel fortunae) quam reperiat etiam stante occasione fugiendi peccatum, ita ut *facilius* etiam in ipsa occasione actuale peccatum devitet propter applicatas *internas industrias* et actus, quam possit ipsam occasionem deserere, tunc censeatur *moraliter impossibilis* fuga et desertio occasionis. Ultimum in hac re consilium est, confugere in his angustiis ad Deum pro assistente sapientia, ne in tanti momenti negotio ex-

cedat confessarius austeritate, vel indulgentia. In dubio tamen tutior pars eligenda, nempe deserendi occasionem" ¹⁾).

Adsertiones circa occasiones peccandi tollendas evitandasve.

§. 229. 1. Quaevis occasio proxima peccandi tollenda evitanda **deve**. Nec refert, utrum occasio isthaec absolute, an nonnisi **respective** talis pro tali homine proxima sit.

2. Ad physice necessariam occasionem vitandam nulla datur **obligatio**, quia ultra posse nemo tenetur; ast ex proxima peccandi **occasione** facienda est remota.

3. **Moraliter** necessariam occasionem extemplo vitare homo **non** tenetur, **sed** utatur prius mediis, quibus potest aptissimis, ut, **stante** licet occasione, tamen peccando non cadat. Hoc autem fit, **si** animus poenitentis adhibitis mediis in virtutis sensu roboratur et **firmatur**. Nam si occasio non per se, **sed** tantum **respective** et per **accidens** huic illive **subjecto** est proxima, haec non tam **vitanda** venit, quam animus **subjecti** emendandus, et melior fortiorque **reddendus** est. Si poenitens, cui artis suae exercitium, vel officii **administratio** ob **specialem** illius infirmitatem est occasio proxima peccati mortalis minime cogi debet ad artem illam vel officium **dimittendum**, casu quod poenitens sit paterfamilias, qui non possit **alio** modo familiam alere. Etenim **justitia** et pietate tenetur **omni** modo de se **licito** familiam alere, verum hortandus est, ut **specialem** sibi **privam** infirmitatem, ob quam ars vel officium ei adfert morale peccandi periculum, studeat opportunis remediis pro viribus **emendare** ac corrigere.

4. **Remotas** occasiones peccandi **omnes** evitare nec potest, **nec** obligatur homo, alias suam naturam exuere deberet et mundo **excedere**. Ne tamen in nos aliquid detrimenti redundet, **neesse** est, ut **animum** ad faciendam omnem justitiam semper paratum et **expeditum** teneamus, et ut cum humili nostri ipsorum diffidentia mens **nostra** Deo inhaerere invicta cum fiducia pergat.

5. Peccandi pericula non sunt parvi pendenda. Id vetat **intima** **nostrae** fragilitatis persuasio, et, ubi nos tanta cum levitate **periculis** obtrudimus, in vanum **specialem** Dei assistentiam expectamus. **Custos** nobis datus est Spiritus, **sed** ut contraria declinantibus **assistendo** subveniat, non ut contraria eligentibus faveat; nec ut **voluntarios** et pronos in adverso confortet, **sed** ut ab adversis **nitentes** separari confirmet. Nam quicumque perniciosis conatibus **audet** **exercere** virtutem, juvamen non habet Spiritus sancti, qui **neminem** vult ultroneum virum fortem ad fraudulentas victorias **coarctari**; nec protegit eum, quin imo et deserit, quem periculis irruen-

¹⁾ In instruct. Confess. c. 5.

tem per illicitos eventus exquirere triumphos agnoverit; sicut ipse locutus est dicens ¹⁾: „Qui amat periculum, in illo peribit” ²⁾).

Nihilominus tamen homo non sit nimis timidus in hac re, et justo plus anxius. Talis timiditas periculum maxime augere solet. Ubi solida et honesta ratio nos provocat, non est, cur trepidemus. „Scuto, ait Psalmista, circumdabit te veritas ejus: non timebis a timore nocturno. A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et daemonio meridiano. — Cadent a latere tuo mille, at decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit. — Verumtamen oculis tuis considerabis: et retributum peccatorum videbis. — Quoniam tu es Domine spes mea: altissimum posuisti refugium tuum. — Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. — Quoniam angelus suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. — In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. — Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem” ³⁾).

Agendi ratio confessarii cum iis, qui sunt in occasione proxima peccandi.

§. 230. Quae agere debeat confessarius cum iis, qui occasione nata peccatis se devovent, ad sequentia videntur commodè reduci posse:

1. Confessarius hos attentos reddat ad objecta, personas loca et circumstantias, quae eos jam in peccata inducere aut probabiliter inducere possent; nec non maxima, qua potest, argumentorum vi ob oculos eis ponat necessitatem, peccandi pericula fugiendi aut tollendi. Causam qui vult, vult quoque et effectum. Qui amat pericula, in ipsis peribit. Sic David, miles veteranus, non fugiendo a conspectu Bethsabee turpiter devictus, succubuit. Ita Joseph, in praelio castitatis miles novitius, fugiendo a conspectu Dominae suae relictoque pallio victor evasit gloriosus. „Nemo diutius est periculo proximus.” „Nulla securitas vicino serpente dormire. Potest fieri, ut me non mordeat, sed potest fieri, ut me aliquando mordeat. Lubrica spes, quae inter fomenta peccati salvari se sperat, et impossibilis liberatio, flammis circumdari et non uri.” — Cui proxima peccandi occasio magis cordi est, quam ipse Deus, quomodo eidem placere poterit salvusque fieri? — Sed age: sit res oppido difficilis; certum tamen est, nisi notabilis esset subeunda difficultas pro obtinenda beatitudine, non diceretur violentia opus esse. „Regnum coelorum vim patitur” ⁴⁾). Neque occasionum fuga

¹⁾ In libro S. Cyp. adscripto de Singul. clericorum. — ²⁾ Eccli. III. 27.—

³⁾ Psalm. XC. 5.—13. — ⁴⁾ Matth. XI. 12.

milis pronuntiaretur abscissioni manus, aut oculorum effossioni, sed perinde foret, ac si quis detraheret manicam, aut sine dolore perderet capillos. — Hinc si famae detrimentum praetextat poenitens, doceatur, quomodo remota occasione bona fama optime salvari possit; si vero ob magnum temporale damnum occasionem dimittere solit, audiat Christi eloquia: „Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, et projice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te: bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis” ¹⁾. Quod sanctus Augustinus ita exponit: Quidquid illud est, quod ita illigis, ut pro dextro oculo habeas, si te scandalizet, i. e. si tibi impedimento sit ad veram beatitudinem, erue illud, et projice abs te.” Addit deinde: „per dexteram intelligi consiliarium in rebus divinis, per sinistram ministrum in operibus, quae huic vitae et corpori sunt necessaria” ²⁾. Idem S. Hieronymus dicit: Melius est, ut nolumentis carnalibus careas, quam dum vis lucrifacere, causam ruinarum” ³⁾. Et S. Athanasius: „Si habes cognatum, aut vicinum, cujus tanta sit tibi necessitas, quanta vel dexteri oculi tibi manus, si videris ab ipso damnum inferri animae tuae, abscinde eum.” Huc etiam referuntur sequentes Evangelii sententiae, quas confessarius poenitenti serio expendendas utilissime proponet: „Qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus” ⁴⁾. „Qui amat patrem aut matrem plus, quam me, non est dignus” ⁵⁾. Item: Quid prodest homini, si universum mundum crederetur, animae vero suae detrimentum patiatur, aut quam dabit commutationem pro anima sua” ⁶⁾?

2. Qua principale poenitentiae medium imponat, proximam peccandi ansam quam vigilantissime declinare, vel, si physice, aut moraliter hoc fieri nequeat, saltem illam virtuti minus periculosam et nocivam reddere. Hinc doceat media, quae ex occasione proxima emotiorem faciunt. Talia sunt: bene invigilare cogitaminibus atque actionibus suis; — quam celerrime suppressere quidquid peccatoriae cupiditatis; — saepissime conscientiae suae latebras perlustrare; — saepius sibi ob oculos ponere turpitudinem et poenam meritam peccatorum commissorum. His accedunt inprimis consideratio veritatum religiosarum, quae indoli peccatoris, et naturae peccandi occasionis certae magis conveniunt — recordatio novissimorum — meditatio Passionis Domini — frequens oratio, jugis ad Deum et constantissima gemitus tempore tentationis — quotidiana renovatio

1) Matth. XVIII. 8. 9. — 2) Libr. de Serm. Domini in monte c. 24. — 3) In Matth. libr. III. — 4) Luc. 14. 33. — 5) Matth. X. 37. — 6) Matth. XVI. 26.

doloris et propositi vitae emendandae — frequens Sacramentorum, et quidem Poenitentiae usus apud unum eundemque Pastorem. Denique nullo non tempore removenda sunt ea, quae peccatum homini, ut ita dicam, propinquius reddunt, v. g. conversatio solius cum sola; et prudenter uti oportet rerum adjunctis, quibus adhibitae malae actionis patranda impedimentum ponitur.

3. Ratione habita diversae animi dispositionis, absolutio aut deneganda aut differenda aut statim impertienda. Et quidem I. a) Si peccator proximam occasionem, quam et physice et moraliter relinquere potest, devitari nolit, absolutio huic deneganda, et causa hujus denegationis exponenda est. b) Si peccator officium vitandae occasionis irremissibile genuinae emendationis requisitum esse vel ipse novit, vel per confessarium edoctus est, illud tamen hucusque neglexerit, et factis promissis de vitanda occasione non steterit, sed voluntarie in occasione permanserit, aut ex animi levitate eandem exquisierit, absolutio differenda, donec ipso facto probaverit, vitasse se occasionem. c) Si vero necessitas occasionem vitandi nunquam ei ob oculos posita est, nec vitatio illius imposita, et ipse hujus officii ignarus hucusque vixerit, pro hac vice, nisi alia adjuncta prohibeant, absolvi potest, si magnum dolorem de peccato firmumque propositum manifestat, patri spirituali usquequaque obediendi; quin imo aliquando id magis expedit, ut nimirum gratia sacramentali, veluti firmissimo adversus quasvis tentationes antidoto, corroboratus ulteriore relapsum facilius evadat. Ceterum monendus erit, absolutectionem nil ipsi profuturam esse, si ori animus non consentiat, nullamque absolutectionem in posterum esse sperandam, si occasionem non vitaverit.

Sed hic loquendo de occasione proxima, et quidem voluntaria, S. Carolus Borromaeus distinguit occasiones, quae sunt in esse, et occasiones, quae non sunt in esse. Occasio, quae est in esse, est, cum aliquis e. gr. concubinam domi detinet, vel cum famula consentit, quoties tentatur, etc. similia. Occasio autem, quae non est in esse, est ex. gr., cum quis in ludo prorumpit in blasphemias, aut versando in cauponis prolabitur in rixas, ebrietates, aut accedendo ad convivia incidit in verba et cogitationes turpes. His positis in occasionibus, quae non sunt in esse, potest poenitenti firme promittenti, se ab eis abstinere, semel, bis, et etiam ter absolutio dari; quodsi deinde non aufert occasionem, et eodem modo peccat, non potest absolvi, nisi prius occasionem removeat. In occasionibus autem, quae sunt in esse, concedenda non est absolutio, nisi prius occasio prorsus auferatur. Ratio est, quia se immittit in proximum periculum frangendi propositum de tollenda occasione, et sic remanendi in eadem occasione, si, antequam eam removerit, absolutectionem recepit. S. Ligorius ¹⁾ poenitenti absolutectionem, semper ac commode ea differri possit, prorogare suadet, usque dum cum effectu occasionem auferat. Excipit tamen casum, in quo poenitens non possit redire, vel non nisi post multum tempus, si censetur bene dispositus per propositum statim

¹⁾ Prax. Conf. n. 66. 64.

removendi occasionem; quoniam hoc casu periculum frangendi propositum, remotum reputatur, causa magni oneris, quod poenitens deberet pati abscedendo sine absolutione, aut repetendi confessionem apud alium sacerdotem, aut diu manendi sine gratia Sacramenti. Vel si peccator est in morali necessitate recipiendi absolutionem, antequam occasionem tollat, e. g. sponsus, dum enim hic non potest ante absolutionem auferre, censetur, ac si esset in occasione necessaria.

II. a) Quodsi peccator absque gravissimo damno vitae, famae et bonorum terrenorum proximam sive in se, sive relative talem occasionem non possit vitare, poenitens absolvi potest, quin occasionem auferat, modo promittat exsequi media necessaria ad efficiendum, ut peccandi periculum minuat, seu, ut ex occasione proxima fiat remota. Nam non dicit Scriptura, quod peribit, qui est in periculo, sed qui amat periculum; sed nequit dici amare periculum, qui illi invitatus subjacet; unde inquit S. Basilius: „Qui urgenti aliqua causa et necessitate se periculo objicit, vel permittit se esse in illo, cum tamen alias nollet, non tam dicitur amare periculum, quam invitatus subire, et ideo magis providebit Deus, ne in illo pereat“ ¹⁾. Verum si in eadem occasione jam saepius lapsus sit, et monitus, omnino absolutio tamdiu differenda erit, donec facto probaverit, se mediis praescriptis diligentissime usum esse ad occasionem remotiorem reddendam, et reapse ista rerum adjuncta moralitati suae innocua fecisse. Quodsi media necessaria non exsecutus sit, vel exsecutus licet, peccare tamen non desierit, absolutionis expers esto, et cum quocunque bonorum temporalium dispendio ad fugam urgeatur. b) Qui per Dei voluntatem in periculosa statione retinentur, v. g. conjux, cui altera conjugii pars, miles, cui militare exercitium proxima est occasio peccandi, quum ab ipsorum arbitrio fuga occasionis non dependeat, contra peccatum remediis gravibus corroborandi sunt, et ubi certa doloris sensa ostenderint, paratosque se praebeant ad exsequenda omnia remedia, absolutione donari queunt; secus vero, si remedia haec necessaria vel plane non, vel non sufficienter adhibuerint. — Idem quoque dicendum est, quantum ad illos, qui per vim physicam in periculosa occasione proxima detinentur; v. g. mulier in captivitatem redacta. —

Monita pro confessario.

§. 231. In tractandis hujus generis hominibus sacerdotem cautissimum esse oportet, ne ab illis decipiatur. Plerumque enim occasionem, in qua versantur, tam scite extenuare solent, ut non nisi remota videatur, vel fictitias molestias attexunt, atque fugam perdifficilem ementiuntur, cum tamen saepenumero alia difficultas

¹⁾ In Const. Mon. c. 4.

amat patrem, aut matrem plus quam me, non est
 Si oculus tuus dexter scandalizet te, erue eum et
); expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum
 totum corpus tuum mittatur in gehennam. Quis non
 dum Salvatoris effatum nihil esse posse tam praestans,
 eligendum, imo projiciendum esset, siquidem animae per-
 rret ⁴⁾? Nec inflecti se sinat confessarius eo, quod poe-
 aliquot hebdomadibus non peccet. Concupiscentiam ali-
 vescere et dormire de industria patitur nequissimus ho-
 stis, ut sub aliqua poenitentiae specie eo certius in vitio
 nam praeteriti lascivi actus, etsi ad tempus depositi, ite-
 ea insurgunt in animum, ut ei etiam impetum faciant „tan-
 ieti inclinatio et maceriae depulsae” ⁵⁾. „Qui amat pericu-
 bit in illo.”

Peccata ex consuetudine nata confitentis.

233. Sub consuetudine universim intelligitur quaedam ex-
 tione saepius repetita orta facilitas vel promptitudo, eandem
 i. Peccatores consuetudinarii sunt illi, qui repetitis actibus
 generis in certa materia facilitatem promptitudinemque sibi
 runt, quavis data occasione vel tentatione peccandi. Prae-
 frequentatos actus contracta consuetudo cum ipso vitio
 te confluit, ita quidem, ut homo vitiosus etiam consuetudi-
 t, et *saepenumero* vice versa; etenim fieri potest, et saepe
 , ut ab invicem separentur. Quare in dijudicanda prava
 dine discernere oportet, utrum prava consuetudo, qua poe-
 nitetur, sit dispositio *ipsius voluntatis*, an solius *naturae*
ae, seu num consuetudinarius sit etiam vitio addictus. Res
 et numerus eorundem peccatorum hominem quidem con-
 rium efficiunt; sed *proclivitas et inclinatio* cum compla-
 prava voluntate, qua illecebra ad certum peccatum orta
 mittit aut committere paratus est, vitiosum constituunt.
 si vero passioni suae dominatrici eradicandae omne, quod
 studium acriter navaverit, et tempore animi tranquilli aptis-
 neque media praeparaverit, iisque se armaverit, in idem ni-
 s relapsus peccatum, minime consuetudinarius, sed recidi-
 adus est. Sic v. g. famuli luxuriosi fraudulentique, qui an-
 nec gravia peccata saepe ceciderant, sed longiori abhinc
 tentationibus fortiter restiterunt, peccandi occasiones quam
 ssime vitaverunt, praescripta emendationis media bene ad-

XIV. 33. — ²⁾ Matth. X. 37. — ³⁾ Matth. V. 29. — ⁴⁾ Cfr. S. Aug.
 serm. Domini in monte c. 24. S. Thom. Summa theolog. — ⁵⁾ II. q.
 . 8. — Psalm. LXI. 4.

non subsit, nisi quod affectui molestum sit, vincula adeo chara dirumpere. Hinc bellissime inductis coloribus confessario depingunt nonnulla scandala, afferunt detrimenta a se excogitata, describunt, quam difficile sit remove occasionem, et quam facile in ea versari absque peccato, tametsi non deseratur, ut, si plus aequo credulum se praebeat, certo certius periculum incursum, et male praecipitatum absolutionem sit impertiturus. Quare non statim adhibeat fidem dictis, antequam probe expendat vel monetam, oeterum usitatum, quia res est magni momenti.

Cave tamen, ne cum huiusmodi poenitentibus, qui occasione irretiuntur, durius agas. Potius omni arte et suavitate inducendū sunt, ut cognita miserrima conditione sua ipsimet in tuam agendū rationem, v. g. dilationem, consentiant. Si enim calamum quassatum confringas, et ejusmodi homines despondere facias, malum mire augebitur. Plurimi nonnisi in vitiis suis exinde computrescunt, quia vel a confessario duram repulsam retulerunt, vel de sua emendatione penitus desperant.

Casus practici.

§. 232. 1. Filiusfamilias cum ancilla familiae semel iterum que fornicatus est. Quid cum eo agendum? Quum corpore nequeant, corde saltem se separent, atque occasionem proximam in remotam transferant; et ubi spes est, fore, ut adhibitis certis mediis occasio proxima esse desinat talis, absolutio concedi poterit. Si vero spes postea fallat, fas non erit absolutionem impertiri, antequam poenitens reapse vel ab occasione sese expedierit, vel, cum id fieri nequeat, emendatum animum prae se ferat.

2. Accidit, ut mulier facile ob leviam mariti aut prolium errata inardescat, graveque malum illis imprecetur. Evenit saepe, ut famulus ex filiarum ancillarumque aspectu, quae quidem castitatem impense colunt, tamen non semel a minus pudica cognitionis voluptate se affici patiatur ita, ut quocumque locorum se contulerit, omnino par ubique, aut fortasse majus sit aditurus periculum. Quid igitur factu opus? Nec illa marito, nec hic famulatu possunt et debent nuntium mittere; sed sciant gravissime se esse obstrictos, ut pravum mediis opportunis ab errore revocent suum ipsorum animum.

3. Fac, finge tibi, mulierem concubinam viro, cui numerosas sit proles, esse perquam utilem, remque domesticam incredibili quadam et vere materna sollicitudine ab ea administrari, ita ut sine maxima rerum externarum incommodo ac damno sejungi a viro nequeat. Quid agendum? Estne nihilominus abstrahenda ex illius societate et laribus? Utique; atque id Christum dixisse satis est: „Qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse disci-

pulus" ¹⁾. „Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus" ²⁾. „Si oculus tuus dexter scandalizet te, erue eum et projice abs te" ³⁾; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Quis non videat, secundum Salvatoris effatum nihil esse posse tam praestans, quod non negligendum, imo projiciendum esset, siquidem animae perniciem adferret ⁴⁾? Nec inflecti se sinat confessarius eo, quod poenitens ab aliquot hebdomadibus non peccet. Concupiscentiam aliquando flavescere et dormire de industria patitur nequissimus hominum hostis, ut sub aliqua poenitentiae specie eo certius in vitio haereat; nam praeteriti lascivi actus, etsi ad tempus depositi, iterum postea insurgunt in animum, ut ei etiam impetum faciant „tandem quam parieti inclinato et maceriae depulsae" ⁵⁾. „Qui amat periculum, peribit in illo."

Peccata ex consuetudine nata confitentis.

§. 233. Sub consuetudine universim intelligitur quaedam ex eadem actione saepius repetita orta facilitas vel promptitudo, eandem repetendi. Peccatores consuetudinarii sunt illi, qui repetitis actibus ejusdem generis in certa materia facilitatem promptitudinemque sibi contraxerunt, quavis data occasione vel tentatione peccandi. Prava per frequentatos actus contracta consuetudo cum ipso vitio plerumque confluit, ita quidem, ut homo vitiosus etiam consuetudinarius sit, et saepenumero vice versa; etenim fieri potest, et saepe contingit, ut ab invicem separentur. Quare in dijudicanda prava consuetudine discernere oportet, utrum prava consuetudo, qua poenitens detinetur, sit dispositio *ipsius voluntatis*, an solius *naturae corruptae*, seu num consuetudinarius sit etiam vitio addictus. Repetitiones et numerus eorundem peccatorum hominem quidem consuetudinarium efficiunt; sed *proclivitas et inclinatio* cum complacentia et prava voluntate, qua illecebra ad certum peccatum orta idem committit aut committere paratus est, vitiosum constituunt.

Qui vero passioni suae dominatrici eradicandae omne, quod potest, studium acriter navaverit, et tempore animi tranquillissimi aptissima quaeque media praeparaverit, iisque se armaverit, in idem nihilominus relapsus peccatum, minime consuetudinarius, sed recidivus dicendus est. Sic v. g. famuli luxuriosi fraudulentique, qui antea in haec gravia peccata saepe ceciderant, sed longiori abhinc tempore tentationibus fortiter restiterunt, peccandi occasiones quam diligentissime vitaverunt, praescripta emendationis media bene ad-

¹⁾ Luc. XIV. 33. — ²⁾ Matth. X. 37. — ³⁾ Matth. V. 29. — ⁴⁾ Cfr. S. Aug. de Serm. Domini in monte c. 24. S. Thom. Summa theolog. — ⁵⁾ II. q. 43. a. 8. — Psalm. LXI. 4.

hibuerunt non amplius consuetudinarii dicendi sunt, licet postea eorundem peccatorum rei evaserint; illorum enim animi affectio erat emendata, inclinatio debilior effecta; cecidere ex infirmitate.

Vis et pertinacia pravae consuetudinis eo major; et proclivitas ad eosdem malos actus repetendos vehementior evadit, α) quo saepius et breviori temporis spatio homogeneae actiones repetuntur; β) quo longiori tempore, quin per actus contrarios essent retractatae, continuantur; γ) quo majori animi nisu propensioneque exercentur. Consuetudo peccatorum venereorum paucioribus actibus, praesertim externis, citius et majori gradu contrahi, aliisque perti-

Conversio flagitiis assuetorum.

§. 234. Conversio hominis vitio adsueti et inveterati, ordinario gratiae cursu nec facilis est, nec derepente contingere solet; sed multum temporis, et pugnae, et laboris, et fletus, et orationi requirit testantibus ss. literis sanctorumque Patrum effatis, ipsa suffragante experientia. Dicit sacra Scriptura: „*Perversi difficile corriguntur*” ¹⁾. „*Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati*” ²⁾ „*a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem*” ³⁾, qui consuetudine tanquam jugo servitutis crudelissimo premuntur. „*Spiritus tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum nequiores se et intrantes habitant ibi, et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus*” ⁴⁾. Quis hujusmodi peccatorum conversionem facilem, aut repentinam opinabitur? Quam difficile surgit, quem malae consuetudinis moles premit! Patet autem haec veritas ex innumeris SS. Patrum testimoniis, qui de conversione peccatoris non secundum exteriorem Ecclesiae disciplinam; sed secundum verbum Dei et rationem tractarunt. Pauca nonnisi laudare juvat. Sic Origenes praeclare docet. „*Si vulnus corpori infligatur, aut os confringatur, aut nervorum junctura resolvatur, sub unius horae spatio hujusmodi vulnera solent corporibus accidere, et plurimis postmodum cruciatibus ac doloribus exactis multo vix tempore sanantur. — Anima quoties peccat, toties vulneratur. — Hujusmodi vulnera quanto tempore putas curari? Ita et nos cupiditatibus seculi amentes effecti, vel vitiiis inebriati sentire non possumus, quantas contritiones animae peccando conquirimus. Et ideo consequentissima ratio est poenae i. e. curae et medicationis tempus extendi . . . Jam vero si accidat, ut in eodem vulnere, vel in eadem fractura iterum et saepius quis vulneretur, frequentiusque frangatur, quantis hoc poenis curari, et*

¹⁾ Eccl. I. 15. Cfr. Prov. XXII. 6. Job. XX. 12. — ²⁾ Ioan. VIII. 34.

³⁾ II. Tim. II. 26. — ⁴⁾ Matth. XII. 45.

quantis potest cruciatibus medicari? Quanto autem tempore, si tamen potuerit, ad sanitatem perducitur" ¹⁾?

Origeni succinit S. Ambrosius. „Non brevi, inquit, lacrimula vel levioribus fletibus, sed plurimis temporibus reconciliationem postulare oportet, secundum verbum Dei et rationem" ²⁾. Quam difficulter et tarde procedat peccatoris conversio, prae ceteris S. Augustinus et S. Gregorius M. luculentissime non solum affirmant, sed et confirmant rationibus; ut infra patebit. — „Difficilis prorsus res et soli virtuti divinae possibilis, susceptum semel peccati jugum a cervicibus suis excutere; quoniam qui facit peccatum, servus est peccati, nec est jam liberari, nisi in manu forti" ³⁾. — „O quantis clamoribus introrsus, quantisque exhortationibus sacris excitatur peccator, antequam de morte seu somno delictorum evigilet? Sed et vigil effectus, o quot blanditiis, quot rationibus, quot promissionibus, quot exemplis, quot pulsatur terroribus ac flagellis, priusquam peccandi voluntatem abjiciat? Tot quippe funibus tenetur adstrictus, quot sceleribus praegravatur, tantisque spiritualibus compeditus est vinculis, quantis caducis rebus immoderato inhaeret affectu. Captivatur itaque consuetudine delinquendi, — — — repellitur suasionibus daemonum, visibilium detinetur amore" ⁴⁾.

Quae ad conversionem peccatoris inveterati vitioque addicti necessaria sunt, quandoque unico, citissimo et quasi subito actu fiunt, et hoc quidem rarius, ut in Latrone et Paulo; ceterum communius seorsim, paulatim et successive fiunt in peccatorum conversione; hoc agente nostra erga divina tarditate et pigritia, aut nimio ad peccata et ad nos ipsos affectu. Horum exemplum est in Augustino, qui de sua ipsius a peccatis conversione et poenitentia, quam scilicet longo tempore, et tardo motu adimpleta fuerit, scribit in sexto et septimo confessionum libro ⁵⁾.

Curandum est igitur conscientiarum moderatoribus, ut periculosam persuasionem tollant, qua levissimum, imo fere nullum putatur negotium esse, vere poenitere, cum tamen maximum et arduum reputetur a Patribus, nec unius horulae vel momenti, sed longioris temporis, certaminis et laboris opus. Sicut aedificium non repente, sed gradatim assurgit, et arbor successive crescendo fert fructus tempore suo, ita conversio peccatoris *ordinarie* non repente solet. Etenim animi dispositiones, quae sunt dominantes et repositis actibus fortes egerunt radices, intimoque cordi haerent, non facile subitaneae mutantur, utpote congruentes corruptioni et inclinationibus naturae depravatae. Antequam consuetudinarius invete-

¹⁾ Hom. 8. in Num. XIII. XIV. — ²⁾ In Psalm. CXVIII. v. 58. Liber de Poenit. c. 9. — ³⁾ S. Bern. serm. 13. de Diversis. — ⁴⁾ S. Laurent. Just. libr. 2. de Spir. anim. resurr. — ⁵⁾ Cfr. Conc. Trid. SS. XIV. cap. 8.

ratus et insignis ad perfectam conversionem opitulante assurgit gratia, quis nescit eum passim cum S. Augustino semi-saucia voluntate inter velleitates et desideria notabili tempore jactari, donec tandem orationibus aliisque pietatis ac poenitentiae operibus efficacem conversionis gratiam consequatur? Sane qui dixit: petite et accipietis; quaerite et invenietis; pulsate et aperietur vobis non solent, ut experientia nos docet, inveteratis consuetudinariis efficacem illam conversionis gratiam impertiri, nisi ferventi et multa precoribus, pietatis operibus quaerentibus, et in iis perseverando pulsan- tibus. Quis igitur post haec omnia dicet, conversionem fieri solere repente et sine difficultatibus magnis? Dicat hoc, qui SS. Patribus repugnare voluerit, dicat hoc, qui veram in se conversionem expertus non fuerit: quisquis autem expertus est, is scit, nonnisi difficultate et mora ad conversionem se potuisse venire. Quidquid autem in se quisque expertus est, id credat etiam in aliis contingere solere.

Causae, cur perfecta conversio tarde et laboriose fieri soleat

§. 235. Cur autem Deus perfectae conversionis gratiam poenitentibus non sine magno longoque labore illorum concedere soleat, S. Augustinus et S. Gregorius M. plures afferunt rationes:

1) *Ne bonum, quod adepturus est homo, ipsi vilescat.* „Dilectissima desiderata dulcius obtinentur; cito autem data vilescunt. Petite, quaere, insta. Petendo et quaerendo crescis, ut capias. Servat tibi Deus, quod non vult cito dare, ut et discas magna magne desiderare“¹⁾. Inde oportet semper orare et nunquam deficere. Ita fit: diu desiderata magni fiunt, cito autem data vilescunt. Hanc mortali conditionem, cum optime norit Deus, non solet magna gratia suae dona, nisi diu desiderata, largiri. Sic mundo Salvatorem non dedit, nisi per aliquot annorum millia postulatum. Sic terram, quam Abrahamo Deus promiserat, posteris non concessit, nisi per annos quadringentos et amplius desideratam. Sic terram urbemque Hierosolymitanam non restituit Judaeis, nisi postquam super flumina Babylonis sedentes fleverant, et per annos septuaginta in terra alieno recordati Sion ad cantandum canticum Domini in templo suo suspiraverant. Et quid plura? Ita fit in rebus humanis omnibus, ut magna non fiant, nisi quae magno longoque labore quaeruntur.

2) *Ut sit diligentior custodia receptae sanitatis.* Solent periti medici non id solum curare, ut aeger sanitatem, quam amisit recuperet; sed et illud, ne sanitatem, quam recuperavit, brevi rursum amittat. Hinc non ea remedia adhibent, quibus quam citissim sanetur aegrotus, sed ea, quibus etsi lente valetudinem recipiat

¹⁾ S. Aug. serm. 5. de Verb. Dom. c. 5.

receptam tamen quam diutissime conservet. Ita et supremo illi ac sapientissimo animarum Medico visum est, qui etsi posset peccatores, quantumvis mente ac moribus aegros, puncto temporis curare: noluit tamen in illis curandis ea celeritate uti, ne ex facilitate sanationis negligentior esset custodia receptae sanitatis. Ita docet S. Augustinus: „Quod enim facile sanatur, non multum cavetur; ex difficultate autem sanationis erit diligentior custodia receptae sanitatis.” Et S. Gregorius: „Omnis curatio quanto difficilium acquiruntur, tanto acquisita cautius custoditur” ¹⁾.

3) *Ne viribus suis conversionem attribuat peccator.* Fieri solet apud homines, ut, qui magna virium, aut industriae, aut ingenii facilitate rem aliquam assequuntur, de seipsis superbiant. Novit illam corrupti hominis indolem Deus; et ne de ipsis gratiae suae donis, quasi de naturae suae dotibus superbiret, sapientissime providit, ut nonnisi post longas difficultates ad magna gratiae dona perveniret. Hinc S. Augustinus: „Pugnantium, inquit, vox est *miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum*, etc. Vide laborantem in certamine. *Et tu Domine usquequo?* Quid est usquequo? Quousque probes, quia ego subvenio. Si enim cito subvenirem, luctamen non sentiret: si luctamen non sentiret, tanquam de tuis viribus superbiret, et per istam superbiam nunquam ad victoriam perveniret. Dictum est quidem: *adhuc te loquente dicam, ecce adsum*. Sed Deus et cum differt, adest, et quod differt, adest, et differendo adest; ne praeproperam cum implet voluntatem, perfectam non impleat sanitatem” ²⁾.

4) *Ut desiderando paullatim praeparetur.* Sanctus Augustinus epistola, qua Probae cuidam viduae praescribit modum, quo orandus sit Deus, docet Deum velle a nobis orari; „non quod voluntatem nostram sibi velit innotescere, quam non potest ignorare, sed exerceri in orationibus desiderium nostrum, quo possimus capere, quod praeparat dare. Illud enim valde magnum est, sed nos ad capiendum parvi et angusti sumus, . . . tanto quippe illud, quod valde magnum est, . . . sumemus capacius, quanto id et fidelius credimus, et speramus firmiter et *desideramus ardentius*” ³⁾. Agit quidem hac epistola S. Augustinus de vita beata, dicitque, ad illam capiendam nos parvos et angustos esse, atque ideo per *fidem spem* et *charitatem* nos dilatari debere, ut tantum bonum capere possimus. Sed quid hic docet de vita beata, idem docet alibi de quovis divinae gratiae beneficio: „Diu desiderata, inquit loco supra citato, dulcius obtinentur; cito autem data vilescunt. Pete, quaere, insta. Petendo et quaerendo crescis, ut capias. Servat tibi Deus, quod non vult cito dare, ut et tu discas magna magne desiderare.” —

¹⁾ In Psalm. VI. — ²⁾ Serm. 3. de Verb. Apostol. — ³⁾ Epist. 130. alias 121. ad Probam.

5) Inter ceteras rationes, ob quas Deus ordinarie peccato-
rem repente convertere non solet, hanc etiam allegat S. Augustinus, ut agnoscat, quanta poena impiis praeparatur, qui se non n-
lunt convertere ad Deum, si tantam difficultatem convertentes pasq p-
tiantur ¹⁾). Optime haec ratio congruit iis, quae habet B. Petrus ²⁾ :
»Quoniam tempus est, ut incipiat iudicium a domo Dei: si autem ³⁾
primum a nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio ⁴⁾
Et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt ⁵⁾? Hoc ⁶⁾
est, si Deus primum filios ac domesticos suos flagellat, quid tandem ⁷⁾
futurum est alienis et inimicis, qui non credunt? Et si justus et electus ⁸⁾
vivat, hoc est non nisi per severum Dei iudicium, salutem adipiscitur ⁹⁾
impius et peccator, quomodo stare ac subsistere poterit in Dei ju-
dicio, ut non condemnetur et suppliciis addicatur aeternis? Eodem ¹⁰⁾
sensu dicit Apostolus, quod sustinerent persecutiones ac tribulationes ¹¹⁾
in exemplum justii iudicii Dei ¹²⁾, hoc est, ut intelligeretur ¹³⁾
quam grave impiis exspectandum esset a Deo iudicium, quando ¹⁴⁾
pios in hac vita tot persecutionibus ac tribulationibus exercebat ¹⁵⁾
Itaque vult Deus, ut difficultatem patiantur, qui se convertunt, ¹⁶⁾
ut, qui se nolunt convertere, intelligant, quantum sibi posthac ¹⁷⁾
supplicium praeparatur, tum ut, qui se convertunt, agnoscant, ¹⁸⁾
quanta poenarum aeternarum per brevem, quam patiuntur in conve-
sione, difficultatem effugiant.

Corollarium practicum inde resultans.

§. 236. His expositis difficile est probare quorundam confes-
sariorum consuetudinem, qui nacti poenitentes criminosis habitibus ¹⁾
irretitos, ex quibus emergere nunquam conati sunt, eos illico ²⁾
tamen absolvunt, praetextentes, se supplevisse defectum praeparati-
onum, quae ad sacrum tribunal erant afferendae, validis adhortati-
onibus, quas adhibuerunt, antequam illos absolverent. Profecto ³⁾
hi nescire videntur, subitam in corde, quod diurno sceleris habitibus ⁴⁾
occidit, mutationem communem gratiae cursum superare; tamen ⁵⁾
pusque praebendum esse insignibus peccatoribus, quo se ad gratiam ⁶⁾
sacramentalem recipiendam disponant. Integros ecclesia impendit ⁷⁾
annos, Catechumenos ad Baptismi gratiam praeparatura, et non nisi ⁸⁾
multo lacrymarum imbri multisque laboribus ad gratiam poenitentiae ⁹⁾
perveniri posse arbitrata est.

Excipi ab hac regula possent quidem poenitentes, ex ignorantia ¹⁰⁾
potius, quam nequitia, pravis consuetudinibus impliciti. Fortasse ¹¹⁾
adolescens est, qui jam pridem se polluit, et qui ad confessionem ¹²⁾
fessarii increpationes hortationesque mirifice stupore ac dolore ¹³⁾
percussus videtur, eo quod toties iteraverit facinus, quod non ¹⁴⁾

¹⁾ In Psalm. VI. — ²⁾ I. Petr. IV. 17. — ³⁾ II. Thess. I. 4.

rasset, si ejus turpitudine et gravitas sibi explorata fuisset. Hunc non prorsus excusare animus non est, neque affirmare, invincibilem fuisse illius ignorantiam; ast certum est, hunc in scolare non esse perduraturum, si admonitus fuisset. Quamobrem sicut ferme et eo, quod malum ignorabat, non aegre abstinebit a confessario receptus et admonitus, nec deceat credendi locus, dolorem et prostrationem ejus sinceram esse, ut dimittendus sit ad illud periculum faciendum. Ast in illis qui saepe contra id, quod ipsi sciunt, sciant, et qui nondum animum appulerunt, ut ad frugem redeant, confessarius minime confidat adeo, ut eis absolutionem extemplo nisi valida sua adhortatione jamjam conversis conferat. Si enim a sycophanta atque medico circumforaneo traduceretur, qui certissime febrim curare gloriaretur, quia unum vel duos illius accessus prohiberet, et postea majori cum vehementia arder illius efflueret: nonne pariter jure id dici potest de confessario, qui opitatur peccatorem se curasse, quia illi sceleris magnitudinem et vicium, quod subit, repraesentans, ex eo lacrymas elicit, nec a aliquod melius consilium extorquet, quod tamen dicto ferme illi evanuit? „Dei opera perfecta sunt,“ ait Psalmista. Quos scriptura sacra resuscitates narrat, post resurrectionem suam manifeste praebuerunt vitae documenta. Puer Naim e sepulchro egressus, rediit ad Matrem, Lazarus post resurrectionem comedere, et in aliis versari visus est.

Cum autem negari non possit, quin misericordissimus Dominus omnipotenti sua gratia (cujus efficax operatio nullis temporum spatibus circumscribitur), inveteratissimos aliquando peccatores in brevi temporis spatio ad se efficaciter convertat, ut olim conversam Mariam Magdalenam, Latronem, Paulam etc., hinc prudentis confessarii manus requirit, ut cum similes consuetudinarios post brevi temporis praeparationem prima vice confitentes audit, accurate investiget, an forte ex iis sint, qui singulari Dei favore de repente aut certe brevissimo tempore conversionis gratiam obtinuerunt. Quodsi ex specialibus signis prudenter colligat confessarius, confitentem sibi consuetudinariam, etsi inveteratam graviumque criminum reum, vel unius diei aut etiam brevioris temporis spatii non ac sufficienter esse ad Deum conversum ac contritum, omnis sine absolutionem differendi cessabit, nisi forte ad pauculos dies leretur remittendus poenitens ad exactius conscientiae examen et confessionem generali magis integre instituenda.

Consuetudinarios tractandi modus.

§. 237. In tractandis consuetudinariis pro praxi confessarii quaedam monenda restant. Et quidem, ut confessarii agendi

ratio illorum conversioni cooporetur, tria ex adsuetudine peccantium genera probe distinguere oportet.

I. Dantur *peccatores consuetudinarii, qui adhuc ignorant, suae et sentiendi et agendi rationi gravis peccati maculam inhaerere*; quamprimum vero id resciverint, extemplo eos valde poenitet peccatorum commissorum, firmumque eliciunt propositum eadem non amplius committendi, confitenturque, quae antea tanquam vel minutiora reticuerant. Ejusmodi poenitentes confessarius doceat, a) tales cupiditates actionesque malas ab ipsorum conscientia certe non fuisse adprobatas, quapropter indagare oportuisse ipsos, utrum non graviter peccaverint. b) Commonefaciat, verum Christianum minime esse illum, qui peccata, quae ipsi minutiora tantum videntur, saepe voluntarie repetit; minimum enim peccatum etiam beneplacitiae divinae detrahit, poenamque dabit suam; pro minimis quoque peccatis Christus passus est, quibuscum non licet intrare regnum coelorum. c) Ostendat porro malas consuetudinis pravae sequelas, nec non discrepantiam a lege divina doctrinaque christiana. d) Moneat noti biblicei textus alicujus, aut doceat aptum; deinde animi indoli adaequatam poenitentiam injungat, inprimis quotidianam breviculam meditationem illorum, quae dicta sunt, absolvatque hoc monito, ut quam primum ad sacrum tribunal redeant, rationem reddituri, utrum et in quo se emendaverint.

II. Sunt alii *peccatores, qui brevi ex tempore ad haec illos peccata committenda adsueverant*, quorum gravitatem agnoscunt, cupiuntque ab iis liberari. Tales peccatores nondum indurati sunt, a) gravissimo sermone turpitudinem damnumque adsuetorum peccatorum docendi, in sua detestatione et odio ac abominatione pravae consuetudinis confirmandi roborandique sunt. b) Peccata sua agnoscere non sufficere, oportere quoque, quidquid mediorem prostat, adhibere ad malam consuetudinem emedullandam. „Servus qui cognovit voluntatem Domini sui, et non praeparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis“ ¹⁾. c) Injungat a) humilissimas, genuinas continuasque preces ad Dei omnipotentis assistentiam impetrandam, sine cujus numine homo bonus fieri nequit; b) diligentissimam omnium ad peccatum illecebrarum evitacionem; c) vivam Dei ipsius praesentis memoriam, quam primum mali cupiditas ebulliat; d) frequentissimum renovamen propositi non amplius faciendi, quod jam qua peccatum agnitum est et diris devotum; frequentem meditationem talium religionis veritatum, quae aptae ad hominem deterrendum a repetendis peccatis etc.; e) inprimis frequentem Sacramentorum usum. d) Ostendat, hac imposita poenitentia non adimpleta, emendationis negotium indes ingravescere hominem in Deum clementissimum, qui peccatorum agnitionem

¹⁾ Luc. XII. 47.

menti injecerat, ingratisimum fore; in malo progressurum in praesentissimo male moriendi periculo versari. e) Si timeat de venia peccatorum et angatur, tunc confessarius mitescat, et moneat misericordiae Dei, peccatoris mortem nolentis, moneat crudelissimi supplicii, quod Jesus Christus pro omnium peccatorum salute subierat. f) Si peccator consuetudinarius pravae suae consuetudini reponendae studuerit, atque vere doluerit, absolvendus est, monitus, ut peccandi occasiones diligentius adhuc vitare, et mediis praescriptis melius uti satagat. Si peccator sibi emendando prorsus non studuerat, tunc absolutio differenda, eo admonito, ut mox iterum confiteatur et rationem reddat status sui.

Continuatio.

§. 238. III. Dantur peccatores, quorum pravae consuetudines jam altissimas egerunt radices, quique fors brevi ante confessionem tempore, vel postea a peccatis solitis vacant, paulo vero post in eadem recidunt, quia occasiones ansaeque ad illa non evitant, et malis cupiditatibus radicibus animo extrahendis minime satagunt. Ad tales convertendos opus est multo tempore, labore, multa patientia et prudentia: neque sufficit confessio cum injunctis aliquibus precibus. Quae agendi via ineunda est confessario, quae monita et hortamina faciendae, quae emendationis media praescribenda, piacula injungenda, quando absolutio impertienda? His quaestionibus brevi compendio respondemus:

1) Prima conditio, sine qua non, est, ut prae ceteris peccator ab ipsa peccati actione absterneat externe, perspectam habeat miseriam animi conditionem, paratus sit ad medicinas morales praescriptas diligentissime adhibendas. Quo pertinet, ut fur et defraudator ab unoquoque bono alieno sibi adpropriando quam maxime caveant, — ut fornicator vincula pravae consuetudinis cum altero sexu dirumpat, — homo inimicus ab omni vindictae actione absterneat, — ebrius, detractor alienae bonae famae, lusor falsus etc. ea omnia angue magis fugiant, quae in peccata solita induxerant vel inducere possunt.

2) Confessarius residuam proclivitatem et inclinationem ad certum peccati genus, cujus memoria delectari assolet peccator, aliis atque aliis vehementioribus rationum momentis, indies magis debilitare, una cum radicibus extrahere, eamque odio ac detestatione sceleris commutare studeat. Phantasiae suae dominium regimenque ambiat peccator, inhonestas imagines animo protrudat reducibusque fores claudat. Quam primum in se stimulum sentiat ad peccatum illud adamat, Deum cogitare satagat praesentem omniscium, sanctum justumque, mortem, iudicium, infernum; repraesentet sibi confessarium suum, quasi sibi praesentem et dehortan-

tem. Meminerit peccator illorum, quae ex orbe poenitentiarum auditur, et bene ea meditetur. Nonnunquam utile esse poterit, ut scribat peccator in papyro, e. g.: „Non amplius mi Jesu, non amplius id faciam,” ponatque in loco, ubi saepe saepius in ventos incurrat, vel abbreviate: „Non amplius.”

3) Confessarius peccatori a) in memoriam revocet finem, quem a Deo creatus est; quem si velit attingere, fugiat peccata necesse est, Deique mandata ex asse observet et scelera contracta expiet; b) ob oculos ponat innumera divina beneficia, quibus circumlatus est, imprimis beneficentiam Dei, tempus poenitentiae clarificantis; c) attentum reddat ad maximam animae suae dignitatem pro qua Jesus Christus sanguinem suum fuderat, tot tantaque sustinuerat tormenta; d) doceat, quam incertum mortis momentum certissimum vero extemplo subsequum Dei iudicium; e) ostendat tristes sequelas peccati soliti, quas jam in hac vita habuerat, habere possit, certeque habituram sit, nisi conversus fuerit, in futura. His omnibus fortes addat textus biblicos doceatque, quomodo eos meditari oporteat sibi que applicare.

4) Praeter frequentissimas et ferventissimas preces animae statui aptissimas, tales actiones imponat, quae peccatis consuetudine contractis usquequaque sunt contrariae, et ad eam virtutem qua maxime ipsi opus est, adsuefaciunt. E. g. Tenaci injungat vacillans eleemosynam dare egenis, et quidem solo Dei amore; gulosus jejuniam; luxuriosus duritiam corporis, labores, abstinentiam a ceterum licitis delectamentis etc.

5) Peccatori, cujus peccaminosa consuetudo altissimas jaecerat radices, per aliquod tempus, donec sufficientia genuinae conversionis argumenta et signa adtulerit, differenda est absolutio. Requiritur autem tempus, ut emendatio vitae perfici et probari possit: neque enim propter se illud requiritur, sed tantum desideratum, ut illo tanquam instrumento emendatio procuraretur, et emendationis fides adstruatur. Atque hoc est, quod S. Chrysostomus docet, cum ait ¹⁾, nos habere Dominum misericordem et benignum, nec oportere esse magno tempore, „et tantummodo, inquit, magno fervore et sobrietate ad ipsum accedamus rejectis secularibus curis omnibus, et superbiae gratiae inimitamur.” „Nam, inquit eodem loco, et Ninivitarum tanta peccatorum multitudine aggravati, qui magnam et vehementem poenitentiam egerant, non indigebant ampliori, quam triduum temporis ad provocandam Dei bonitatem, et antiquandam, quae adversum se lata erat, sententiam. Et quid dico Ninivitas? pergunt idem Sanctus, Latro in cruce neque uno die opus habebat. Et quid dico die uno? Neque brevi hora. Tanta est Dei erga nos misericordia. Nam ubi viderit voluntatis nostrae firmum propo-

¹⁾ Hom. 27. in Gen.

um, et ferventi nos desiderio ad se accedere, non tardat, neque differt, sed accelerat suamque solitam liberalitatem exhibens dicit: „Adhuc loquente te dicam: Ecce adsum” 1). Quare extraordinaria poenitentiae signa exceptionem permittunt, quatenus iis subnixus confessarius poenitentem statim etiam absolvere potest. Dicimus utem, confessarium posse absolutionem impertiri consuetudinario recidivo, quando ille per signa extraordinaria dispositus apparet, sed non dicitur teneri, quia potest etiam absolutionem differre, si nec censeat expedire, et causa gravior absolutionem non urgeat. Cum autem expediat ordinarie uti hoc remedio, an non sine consensu poenitentis? S. Ligarius de hac re ita censet: a) „Non nego, quod liquando bene prodesse potest recidivo per signum extraordinarium imposito dilatio absolutionis. b) Semper proderit, quod confessarius huiusmodi recidivos terreat ostendatque, ac si non posset eos absolvere. c) Ordinarie loquendo, recidivis ex fragilitate intrinseca, et ex signo extraordinarium jam dispositis magis absolutionis beneficium proderit quam dilatio. — — — Aliter autem agendum cum eo, qui relapsus est ob occasionem extrinsecam (vehementer eum impellentem ad peccandum), quia tunc recipiens absolutionem, antequam occasionem amoverit, remanet in magno periculo frangendi propositum factum de illa removenda” 2). Ceterum poenitentiarum remissionis et affirmationibus inveteratorum peccatorum ne sibi impeni patiatur. Pollicentur absolutionis impetrandae ergo, quaecumque pater spiritualis exigit, licet iterum peccandi foveant inclinationem; quare eis dicatur, tunc hominem vere a Deo absolvi, si mala actione omissa etiam mala animi affectio tollatur. Momentanea poenitentiae sensio nec in se, nec confessario certum verae emendationis argumentum est. Nil talibus proderit, si per aliquod tempus eo sine peccatum assuetum intermittunt, ne absolutione extorres agantur, sed peccati intermissio intimo Dei amore oriunda sit oportet, firmoque proposito nata, ad Deum sanctissimum Patrem ex ima cordis sententia redeundi.

Casus practici.

§. 239. 1. Adolescens per unum alterumve annum singulis fere mensibus confessus est, se voluntarie procurasse ter quaterque pollutionem, ac saepe saepius morose delectatum de re venerea. Qualibet vice absolutus fuit a confessario, et sacra Synaxi donatus. Quid agendum confessario, quem prima vice accedit? Resp. Confessiones et sacras Communiones toties sine emendatione reiteratas habendas esse tanquam suspectas, tametsi poenitens asserat, se singulis vicibus corde contrito et cum serio emendationis

1) Cfr. Eiusdem hom. 14. in II. Corinth. — 2) Prax. Conf. n. 77.

proposito fuisse confessum aliis confessariis. Hoc enim si verum esset, remedia utique adhibuisset, quibus simul cum gratia utriusque Sacramenti toties suscepti, post tantum temporis intervallum vel ex toto superasset hoc vitium, vel certe raro in illud relapsus fuisset. Quare confessarius tali poenitenti ob oculos ponere debet evidens in quo versatur, damnationis periculum, congrua illi media praescribere absolutionemque differe, donec notabili tempore a peccato abstineat. Interim in dilatione absolutionis caute procedendum, ne poenitens desperabundus recedat; quare consultum erit, si absolutionis dilatio cum consensu poenitentis fiat agnoscentis, eam sibi fore utilem.

2. Aliquis a decem annis plus minusque non frequentavit Sacramenta, eoque temporis intervallo vixit in concubinato continuo, aliisque peccatis. Accedit prima vice confessarium, specialia et extraordinaria conversionis signa exhibens, puta: ingemiscens se offert ad rigorosam subeundam poenitentiam pro peccatis suis; asserit se concubinam domo expulisse, et ab aliquot hebdomadibus annos suos in amaritudine animae recogitasse, et pro contritionis gratia impetranda Deum enixe deprecatum fuisse. Quid factum opus est? Resp. Si animadverterit confessarius, certo rarae contritionis sensa sinceræque conversionis signa praesto esse, instar filii prodigi ad Patrem revertentis poenitentem benevole excipere juvat, et confessione ipsius patienter audita absque ulteriori dilatione absolvere licet, injuncta tamen prius satisfactione salutari, praescriptisque remediis ad consuetudinem inveteratam extirpandam opportunis. Consultum erit, poenitentem absolutione sacramentali donatum, post aliquot saltem dierum praeparationem ad sacramentum communionem admittere, qua tanquam antidoto muniatur adversus relapsus. Similibus vero poenitentibus inter cetera adversus relapsus remedia frequens confessio apud eundem confessarium, aut saltem frequens ad illum recursus consilii aut auxilii ergo convenientissime injungitur. Solent enim hujusmodi inveterati peccatores, postquam per veram poenitentiam justificati sunt, occasione praeteritae consuetudinis pati gravissimos luctus ac stimulos peccati. Unde fit, ut, nisi frequenti Sacramentorum usu, consilio et sanctis adhortationibus confessarii aliisque remediis identidem juventur, a violentis tentationibus aliquando superari se sinant, quin et paulatim, ut proh dolor! nonnunquam videre est, ad vomitum pristinae consuetudinis ex integro revertantur.

Relapsi ex infirmitate.

§. 240. Peccatores, quibus nil prius ac antiquius est, quam pravas suas consuetudines exuere, quique jam longiori tempore a peccatis solitis vacaverant, multasque de vitiosis cupiditatibus victorias reportaverant, occasiones peccandi sollicitè declinaverant,

impositas satisfactiones adcurate adimpleverant, et nihilominus occasione inopinata praeoccupati, vel vehementius tentati, in peccatum suum reciderant, *relapsi ex infirmitate* audiunt.

Nisi jam peccatorem ex prioribus confessionibus noverit confessarius, ex eo quaerat, utrum ex vera infirmitate, an non ex *malitiosa* voluntate aut negligentia culpabili, in peccatum solitum reciderit. Interrogandum: qua occasione peccaverit? num voluntarie in hanc occasionem descenderit? et peccare decreverit prius, an a mala cupidine orta illectus, quasi ad peccatum pertractus sit? utrum in adhibendis emendationis mediis negligens fuerit? an hanc eo tantum fine adhibuerit, ut absolutionis particeps fieret? quanto temporis spatio a peccato amato vacaverit? quo motivo compulsus hodie s. tribunal adierit? an voluntarie, vel ecclesiastici praecepti ergo, vel alia urgente causa, hanc exomologesin fecerit? Ex responsis datis ubi confessarius didicerit, hominem non esse amplius consuetudinarium, sed recidivum peccatorem, tunc pro praxi haec sunt:

a) Poenitenti animus addendus, spesque inspiranda est, fore, ut Deo propitio bona voluntas, se vere emendandi, coelitus indita, suo tempore feliciter adimpleatur, siquidem homo Deo opitulanti cooperetur. — *Permittit* Deus quandoque suos labi, ut suam imbecillitatem agnoscentes, sub omnipotentis Dei manu humilientur, et ad Ipsum alacrius ardentiusque convertantur. Exemplo esse possunt Petrus, qui Dominum negavit, discipuli, qui Christo relicto, quem ad mortem usque se secuturos promiserant, suae fidei et promissionis obliti fugerunt. Quare in lapsibus numquam desperandum est. „Erubescere o anima, et ne desperes! Cecidisti? resurge. Nam saepe licet pugil ceciderit, tandem adhuc coronam refert. Viriliter age, et dic: Nunc coepi” ¹⁾.

b) Divinam opem implorare quam ferventissime, nusquam intermittat relapsus, suisque cogitationibus, desideriis et cupiditatibus severissime invigilare. „Ne sibi deputarent, et virtuti attribuerent suae, quod divina operatione foret collatum, passus est Deus illis subintrare culpam, ut et ipsi adverterent divinis se auxiliis indigere, ducemque salutis suae quaerendum esse cognoscerent” ²⁾.

c) Quotidie conscientiae latibula perlustrare juvat, Deoque nove promittere, velle se secundum sanctissimam Ejus voluntatem et cogitare et sentire, velle et agere.

d) Phantasia regenda, repraesentamina periculosa illico animo ejicienda, veteres occasiones peccandi diligenter vitandae, una cum *novae* inopinata occasione, quae in peccatum induxerat.

¹⁾ S. Ephraem. Paraen. 42. — ²⁾ S. Ambr. Apolog. David. c. 2.

e) Pergat poenitens relapsus diligenter uti remediis salutis praescriptis, suaque jam experientia probatis, peccatis olim assuetis adversarias ponere actiones, frequentare sacramenta Poenitentiae et SS. Altaris. Quodsi nihilominus id infortunii ipsi acciderit, ut relaberetur, statim quam vehementissime possit, dobeat Deumque deprecetur, cum firmissimo proposito, hoc peccatum non amplius committendi.

f) Absolutio, modo aliunde appareat sufficienter contritus, danda est absque dilatione. Ratio est, quia talium ex fragilitate relabentium conversio neque solet adeo esse difficilis, neque proinde tarda. Huc facit, quod S. Thomas ¹⁾ tradit: „Dicendum, inquit, quod in eo, qui peccat ex infirmitate seu passione, voluntas inclinat in actum peccati, quamdiu passio durat, sed statim abeunt passione, quae cito transit, ab illa inclinatione redit ad propositum boni, poenitens de peccato.” Item „quia passio, quae inclinat voluntatem ad peccandum, cito transit, et sic homo cito redit ad bonum propositum, poenitens de peccato.”

Neoconversi.

§. 241. Angeli in coelis, teste Scriptura, de peccatoris conversione gaudent; quidni gaudeat confessarius, si sacro tribunali se sistunt *vere poenitentes*? „Qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt, stant quidem in via justitiae, nulla illicita perpetrunt, sed tamen ad coelestem patriam anxie non anhelant, tantoque sibi in rebus licitis usum praebent, quanto se perpetrasse nulla illicita meminerant. Et plerumque pigri remanent ad exercenda bona praecipua, qui valde sibi securi sunt, quod nulla commiserint mala graviora. At contra nonnunquam hi, qui se aliqua illicita egisse meminerint, ex ipso suo dolore compuncti inardescunt in amorem Dei, sese in magnis virtutibus exercent, cuncta difficilia sancti certaminis appetunt, omnia mundi derelinquunt, honores fugiunt, acceptis contumeliis laetantur, flagrant desiderio, ad coelestem patriam anhelant, et quia se errasse a Deo considerant, damnata praecedentia lucris sequentibus recompensant“ ²⁾.

In his dirigendis labor confessarii sane est suavis atque amoenus, nec indiget nisi discretione, ne poenitens vel *nimio dolore et tristitia*, vel *fervere modum* excedat. Ast non semper confessario tam felici esse contingit, ut *vere poenitentes* sint, quos confitentes habet, sed saepenumero ejusmodi comparent, quibus dirigendis operam haud exiguam impendere est necesse, ne denu-

¹⁾ Quaest. 3. de malo a. 13. — ²⁾ S. Greg. hom. 34.

relabuntur, ad pristinum peccatorum vomitum redeunt. Quare longe abest, ut confessarius divinae gratiae cursum interrumpat, sed iusto poenitentiam extenuando, ut potius eos contra relapsus raemuniens, ad virtutis indices majoris ducat profectum. Hinc moeat confessarius huiusmodi poenitentem a) ingrati animi sensus, i, postquam a peccatorum sordibus absolutus existit, non vereatur retiosum Christi sanguinem gravi peccato conculcare pedibus, psumque Christum, teste Apostolo, rursus crucifigere ¹⁾. b) Ostendat detrimentum gravissimum, quod per relapsum in peccatum mortale animae inferetur spoliando illam omnibus gratiis in justificatione acceptis. c) Attenta mente ob oculos ponat poenitenti, relapsum in peccatum mortale longe deteriorem et periculosiorem esse primo peccato mortali. Ait enim Salvator optimus: „Novissima hominis illius (relabentis scilicet in peccatum mortale), fieri pejora prioribus” ²⁾, tem paralytico, quem a morbo tam animae, quam corporis sanaverat: „Jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat” ³⁾. Etenim per relapsum major in peccatum nascitur propensio, majusque obstaculum ponitur influxui gratiae divinae, atque adeo, quanto plus augetur peccatorum numerus, tanto magis crescit difficultas consequendae salutis. Nihil profuit Samsoni ⁴⁾, saepius rupisse funes, demum vinctus perit. Ita nihil peccatorem juvabit, aliquoties antehac excussisse catenas et compedes, si miser rursus se his induat. Forsitan dedignabitur Deus hoc modo offensus, ei submittere auxilium, aut non suppetet tempus ad confitendum, aut, cum habuerit, non succedent contritio et propositum. Denique d) utiliter admodum confessarius poenitentem docebit verba concilii Tridentini de perseverantiae munere: „Qui se existimant stare, videant, ne cadant, et cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in orationibus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus, in jejuniis et castitate: formidare enim debent (scientes, quod in spem gloriae, et nondum in gloriam renati sunt), de pugna, quae superest cum Carne, cum Mundo, cum Diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia. Apostolo obtemperant dicenti: „Debitorum sumus non carni, ut secundum carnem vivamus, si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis” ⁵⁾.

*Dantur poenitentes, qui continuo deflent peccata sua et nimio dolore conteruntur. De his plura sapienter dicta occurrunt in libro Ambrosii de Lombez: Ueber den innern Frieden.

¹⁾ Hebr. VI. 6. X. 29. Rom. II. 4. — ²⁾ Matth. XII. 43. 44. — ³⁾ Joan. V. 14.
⁴⁾ Jud. VI. 10. — ⁵⁾ Sess. IV. c. 13.

C. Pro varia peculiarium animi affectionum indole.

Melancholici.

§. 242. Quum in animi affectiones plurimum influant temperamenta, indolem eorum confessarium nosse oportet, ut poenitentia pro diversa illorum animi indole ad christianam perfectionem formare queat ¹⁾. Non supprimendum temperamentum, sed regendum est quodlibet ad alias virtutes aptum. Ex recepto plerorumquomodo distinguntur temperamentum melancholicum, phlegmaticum, sanguinicum et cholericum. Et quamvis haec in singulis mixta reperiantur, unum tamen illorum praedominari solet.

Vitia melancholicorum praecipue in officiis erga alios laedentibus sese manifestant. Vere melancholici nesciunt gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus; imo gaudent, aliorum animos violare et aegre ferunt, ubi alios viderint laetantes; non facile laudant quod laudem meretur, ast subito in opprobria et convicia erumpunt et erga benefactores quoque ingrati inveniuntur. Amicitiam iniuriam vix valent, quum omne cum hominibus consortium sedulo vitent, parum aut paucis verbis loquantur, et solitudinem ament. Ceterum pertinaces sunt in suis praeconceptis iudiciis de aliorum agendi ratione, neque facile in aliam flectuntur sententiam, ubi iam offensus erga alios animum conceperint. Confessarius advertat ante alia omnia:

a) Sibi cavendum esse ab omni vel levissima suspitione, ac minus sincere rem cum ejusmodi homine aggrediatur; nam melancholici ex omni circumstantia quaerunt ansam, unde aliorum agendi ratio suspecta ipsis compareat.

b) Lente progrediatur in instructione et monitione, quia plerumque observatur, melancholicos neglecta vel laesa erga proximum officia nequaquam in peccatorum censum referre, aut, si id perviderint, in aegritudine sua excusari se credunt.

c) Quapropter potius omni cum *charitate* eos attentos reddat ad malum animi statum, ut eorum fiduciam sibi conciliet. Sed et

d) agat suavi cum modestia, atque concedat eis, difficillimas esse variorum officiorum e. g. mansuetudinis, patientiae etc. observationem, attamen moneat, nihilominus gratia Dei opitulante, in eorum viribus esse, paulatim difficultates vincere, et ad exemplum proborum hominum in omni bono proficere. Nam quod est difficile, non simul est impossibile.

¹⁾ Petri Scavini Theol. mor. Tom. III. Edit. V. Neapoli. p. 370.

e) Tandem quasi prudens *consiliarius* proponat eis media, quibus adhibitis feliciter ad metam perveniant, e. g. ut vitent solitudinem, fugiant otium, etc. Sed haec proponantur in modum consilii, non autem praecepti, ne animus eorum irritetur et laedatur.

Phlegmatici.

§. 243. Vitium phlegmatici praecipuum est *segnities* seu accidia in omni bono; difficillime excitari valet ad bonum, et ubi graviori aliqua impressione, e. g. infortunii, fuerit excitatus, in tarditatem priorem mox iterum relabitur. Pessimum est, quod pacem et affectuum suorum malaciam virtuti suae adscribens ad perfectionem parum sibi deesse opinetur, dum vero acriter reprehenditur, animum abjiciat et desperet. Si quae consilia sunt capienda, nescit, in quam abeat partem, et hinc totus quantus acquiescit aliarum opinionibus.

Quapropter confessarius, a) charitate et aestimatione sibi paret aditum ad animum phlegmatici. b) Instruat eum *successivo*, et temperet opera satisfactoria ita, ut videat phlegmaticus, sibi inesse vires ad illa monita et opera exsequenda. c) Saepe in phlegmatico recondita latet major quaedam voluntatis potentia, quae per seriam confessarii monitionem est excitanda, et continuo novis stimulis urgenda, ita tamen, ut congenitae illius inertiae in rebus saltem non graviter praeceptis aliquatenus indulgeat.

Sanguinei.

§. 244. Sanguineus amat delicias, horret labores et molestias; non arridet ei sui abnegatio, poenitentia, jejunium etc. Laetabundus et levis init amicitias, et tollit eas, amicus est omnis consortii, ubi joci et gaudia inveniuntur; non minori cum vivacitate apprehendit bonum, uti et transilit in malum. Confessarius hominis sanguinei sit a) admodum affabilis et benevolus, et praecipue eo laboret, ut dimissis vanitatibus, amicitiiis et periculosis conversationibus mores graviore induat. b) Virtutem ipsi tanquam plenam solatii et internae tranquillitatis, imo superatis initiis omni expectatione faciliorem depingat. Illius attentio saepius ad gaudia patriae coelestis dirigatur. c) Tum vero suaviter urgeri debet, ut SS. Sacramenta pie frequentet; historias Sanctorum, aliosque devotos libros legat. d) Demum inducatur, ut voluntarie a rebus etiam licitis sibi temperet, opera quaedam poenitentiae obeat etc.

Cholerici.

§. 245. Cholericus pronus est in *iram* et *aestum*, multa sibi proponit et exsequitur pertinaciter; prima radix actionum sunt *superbia* et *vana honoris cupido*, unde multa peccata contra amorem proximi proveniunt; in vituperiis copiosus non parcat bonae aliorum famae, dummodo ipse reliquos omnes superemineat; verum ubi sui ipsius vanae cupidini impedimenta objiciuntur, et fama propria in periculum adducitur, conturbatus animum abjicit, et supra modum se judicat infelicem. Ceterum non minus promptus est ad malum, quod egit, agnoscendum et in se sat severe castigandum. Confessarius a) cum eo agat admodum mansuetus, patiens, et modestus: has enim virtutes, quae cholerico sunt persuadendae, suo exemplo magis, quam verbia ei commendat. Et ne poenitens haec mansuetudinis et patientiae actus in censum debilitatis animi accipiat, confessarius eum attentum reddat, suam agendi rationem nihil commune habere cum animi debilitate, verum ad salutem tantum poenitentis tendere. b) Praecipue ob oculos ponatur ei benignitas et humanitas Salvatoris, qui et suos asseclas ita invitavit: „Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.” c) Quia nimia choleric aetuositas est justis limitibus restringenda et temperanda, confessarius non excitet eum ad multa et longius protracta opera poenitentiae; sed eo potius est adlaborandum, ut omnia, quae agit, considerate et recto in ordine juxta mandata divina perficiat. d) Cum facile sibi persuadeat cholerica, peccata sua non tam voluntariae suae, sed praecipiti suo temperamento deberi, adeoque esse excusanda, confessarius eum moneat et attentum reddat ad poenitentiam et contritionis sensum, quem ipse cessante animi aestu experiatur in signum se non necessario et vi quadam inevitabili, sed libero voluntatis actu in tantam abripi affectuum voraginem. Insuper excitetur et doceatur, non esse desperandum, ubi subito et absque consideratione in eisdem inciderit affectuum motus; humiliet semetipsum coram Deo, et eo instantius petat auxilium divinum. e) Quapropter edoceatur poenitens, sibi fugiendam esse omnem externam ansam et occasionem, qua interni mali habitus magis magisque excitantur et roborantur. Sit in conversatione et suis sermonibus modestus et prudens, nullas quaerat rixas et controversias, et si exortae fuerint, non obtrudat aliis suam sententiam in rebus indifferentibus; quaerat conversationem cum hominibus, qui pacato et aequo sunt animo, quorum aemulator existat.

Poenitentes tristitia et moerore affecti.

§. 246. Inter diversas animi affectiones pro praxi confessari primo notari meretur *tristitia*, qua non pauci affecti pedibus con-

cessarij advolvuntur. Verum antequam ad singulos casus descendamus, de *tristitia* in genere cum *S. Francisco Salesio* notamus ¹⁾: „*Tristitia, quae secundum Deum est, inquit Apostolus, poenitentiam in salutem operatur: saeculi autem tristitia mortem operatur.*” *Tristitia* ergo potest esse et bona et mala, pro varietate affectuum et motuum, quos in nobis progignit, quamquam fatendum sit, plures eam malos quam bonos effectus producere; nam duos tantum bonos producit, *misericordiam* videlicet et *poenitentiam*; sex autem malos, anxietatem, acediam, indignationem, zelotypiam, invidiam et impatientiam, unde dicit *Sapiens*: „Multos occidit tristitia, et non est utilitas in illa.”

Tristitia velut instrumento hostis animae nostrae utitur ad tentandos et exaglandos bonos. Sicut enim omni ope conatur, ut improbes suo in peccato exaltare et gaudere faciat, sic bonos, ut bonis operibus suis contristantur, animumque dejiciant, inducere adlaborat; et sicut malum non aliter procurare potest, quam suggerendo, ipsum dulce et suave esse, sic nec a bono aliquem potest divertere aut retrahere, quam ipsum insipidum et injucundum esse ostendendo.

Tristitia mala animam turbat et inquietat, inordinatos ei injicit timores, orationem inspidam reddit, cerebrum tonsopit et obruit, animam privat consilio, judicio, animo, et vires ac robur eripit; et denique seu rigens quaedam bruma omnem terrae pulchritudinem demetens et animalia omnia torpida reddens: omnem namque animae sanitatem tollit eamque impotentem reddit.

Confessarius igitur, nactus poenitentem *tristitia* moeroreque affectum, doceat adhibere a) remedium illud *S. Jacobi*: „*Tristatur aliquis vestrum, oret*” ²⁾. Oratio quippe praesentissimum illius curandae remedium est, spiritum namque sustollit in Deum, qui nostrum nostrum gaudium et consolatio est. Videndum tamen est, ut inter orandum his affectibus et verbis tam mentalibus quam exterioribus utamur, quae fiduciam quandam et Dei amorem spirent.

b) Moneat poenitentem, ut inclinationibus ad *tristitiam* magna animi contentione se obiciat, et quamvis omnia, quae illo tempore noiset, sibi frigide cum *tristitia* et negligenter fieri videantur, motum tamen ab iis faciendis deterreri. Etenim inimicus, qui per *tristitiam* languidos nos et torpidos bonis in operibus reddere conatur, hi nos nihilominus illa peragere viderit, (quia illa aliqua cum resolutione et animi aversione peracta, longe majoris sunt meriti), iterum non vexare et affligere cessabit.

c) Consultum praeterea, exterioribus operibus bonis intente, eaque, quam possumus, diversissima obire: ut hac ratione

1) Philoth. P. IV. c. 12. — 2) V. 13.

anima a tristitiae illo objecto divertatur. Exteriora autem illa opera ferventer peragere oportet, etsi nullum in iis gustum sentiamus; crucifixi Domini imaginem intuendo et complectendo, pedes manusque exosculando; oculos manusque nostras in coelum sustollendo, et Dominum verbis, amorem et fiduciam insignem spirantibus, identidem compellendo etc.

d) Ad haec, sanctae Communionis frequentatio huc quam maxime conducit: hic quippe coelestis panis animum corroborat et spiritum exhilarat.

e) Denique utile erit suadere poenitenti, ut omnes tristitiae sensus, affectus et suggestiones humiliter et fideliter confessario communicet; hominum spiritualium consortia quaerat, eosque tum temporis potissimum, et quam possit maxime, frequentet. Ceterum convenit, ut resignemus nos in manus Dei atque disponamus ad molestam et taediosam hanc tristitiam magna cum poenitentia ceu iustam vanorum gaudiorum punitionem tolerandam, minime dubitantes, quin Deus, postquam aliquantisper nos probaverit, ab hoc sit malo nos liberaturus.

Ob varia vitae infortunia contristati.

§. 247. Cum vero causae tristitiae multiplices esse soleant, confessarius, ut muneri suo, quo admonet et consoletur poenitentes, satisfaciatur, prae ceteris inquirat in causas, unde tristitia proveniat. Hae vel esse possunt a) inopia bonorum fortunae, jactura bonae famae, aliaeque humani generis miseriae, b) vel consolationum internarum defectus, sive desolationis internae, c) vel tentationum crebriorum vis et vehementia.

Si causa est egestas, vel bonorum fortunae jactura, suggeret, confessarius ad poenitentem moerore ob id affectum consolando loca Scripturae sacrae, quibus jubemur, jactare cogitatum nostrum in illum, qui Ipse enutriet nos; qui, cum dives esset, factus est propter nos egenus. Difficile est divitem intrare in regnum caelorum, hinc vae dicit Dominus divitibus. Ast oculi ejus in pauperes respiciunt. Ipsi derelictus est pauper. Numquid oblivisci potest hic infantem suum? quodsi illa oblita fuerit, ego tui non obliviscar. »Non habeamus spem, nisi in Domino tantum . . . non dicimus: Si senuero, unde habeo vivere? Si infirmus factus fuerim, unde vivo? Christum habes et times? Si volatilia coeli pascit, dubitas, quod possit te pascere? Diabolus pascit suos homines, et Christus non pascet servos suos? Diabolus dat aurum et gemmas, Christus panem non potest dare? Nos omnem sollicitudinem projiciamus de cordibus nostris, et dicamus: In Deo faciemus virtutes. Ipse erit virtus nostra, ipse panis noster, ipse erit rector noster.

ster" ¹⁾). Porro instruendi sunt pauperes, ut sorte sua contenti gratulentur sibi, quod Christum proximis imitari valeant exemplo eorum, qui relictis rebus et spebus omnibus elegerunt vitam pauperem, ut essent similiores Filio Dei, unice inhiantes bonis nunquam perituris. Et recte, nam non ille est ditior, qui plures pecunias possidet, sed qui plura sibi comparavit honorum operum merita. Et quantum periculum gignunt nimiae divitiae! quantorum honorum occasio est paupertas! »Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei" ²⁾).

Quid vero, si poenitens de jactura famae et honoris contristetur? Monendus est, ut cogitet, talem et tantum esse quemlibet, qualis et quantus est in oculis Dei non hominum: »Quantum unusquisque est in oculis Tuis, tantum est, et non amplius," ait humilis Franciscus Seraphicus. Consideret, quanto honori sibi duxerint Apostoli, si contumelias paterentur pro nomine Jesu ³⁾); quod in extremo iudicii die, aut forte etiam in hac vita plurimum confundendus sit injuriam alicui inferens, injuriam vero patiens propter Deum valde honorandus.

Qui affliguntur ob corruptos mores suorum subditorum, monendi veniunt, ut non nimis apprehendant errores subditorum, sed potius eos considerent tamquam caecos et aegros, quibus minime trasci, sed compati et salutis remedia applicare solemus in his autem applicandis error contingit non infrequens multis, qui errores quosvis corripiunt et minimos. Et Deus nec toties, nec statim, ac peccamus, nos punit, sed viscera misericordiae suae exhibet, ut resipiscentiam nobis persuadeat. Adhibet quidem subinde acerbiora remedia, sed etiam tunc non obliviscitur clementiae, sique nec ista nec illa ratione nos emendemur, minime turbatur, sed sibi semper similis semperque felix est. Ita ut se gerant, hortandi sunt quibus cura aliorum incumbit, cum nisi hoc observent, plurimum affigentur, quin errantes subditos reducturi sint in viam rectam. Ergo obligationi quisque satisfaciatur suae, et fratrem delinquentem, maxime subditum corripiat, aut secundum ea, quae §§. 107. et 112. diximus. Ubi vero correptio fuerit adhibita sine fructu, retinenda est pax animi; cum Deus a nobis non exigat, ut re ipsa proximum convertamus, sed solum ut praestemus ea, quae ex praecepto charitatis vel alterius virtutis facere debemus, ad illius emendationem procurandam. Forte haec ipsa tranquillitas in Domino conservata, tantum valebit, ut Deus sit proximo daturus uberiores gratias ad meliorem vitam instituendam, maxime si non cessemus orare pro eo.

Quoniam autem miseriae, quae hominem affligunt, variae et multiplices sunt, quibus consolationes afferre confessarius vi mu-

¹⁾ Hieron. in Psalm. X. — ²⁾ Luc. VI. 20. — ³⁾ Act. V. 41.

neris tenetur, quas vero singillatim enarrare instituti nostri ratio non permittit, generatim pauca quaedam in hunc finem notare juvat, unde pateat, quomodo confessarius cum illis agere debeat, qui existunt in quacunque demum afflictione. Nimirum deceat confessarius: a) Quod nemo sit in hac vita sine aliqua afflictione, „nam homo natus de muliere brevi vivens tempore multis repletur miseriis” ¹⁾. „Sapiens quisque intelligit, quod haec vita non ad quietem data sit, sed ad laborem, hoc est, ut hic laboret, et in posterum quiescat. Hic autem requies nulla est. Tantis enim malis haec vita impleta est, ut comparatione ejus mors remedium putetur, non poena. Nam ideo brevem illam Deus fecit, ut molestiae ejus, quae in prosperitate non poterant, temporis exiguitate finirentur” ²⁾. b) Quod crucis portata cum resignatione voluntatis nostrae in divinam misericordiam promat, dupliciter vero, si quis invitus eam ferat. „Transient istae quae te premunt, et veniet, quem sustines, et exterget sudorem, siccabit lacrymas, ultra non flebis” ³⁾. c) Quod melius sit, gravis-
sima quaeque pati in hac, quam in altera minimam poenam subire. Quantae vero utilitatis sit afflictio in hoc mundo, S. Ambrosius praeclare docet. „Mulctamur, ut Deum, quem beneficis non cognovimus, malis ingruentibus requiramus, et adversis stimulemur ad rogandum, qui prosperis gratias non egimus ad fruendum” ⁴⁾. Et S. Augustinus: „Prosunt mala, quae fideles pie perforunt, vel ad emendanda peccata vel ad exercendam probandamque justitiam, vel ad demonstrandam hujus vitae miseriam, ut illa, ubi erit beatitudo vera atque perpetua, et desideretur ardentius, et instantius inquiratur. Sic mittit nos Deus in fornacem tribulationum, ut coquatur vas, non ut frangatur” ⁵⁾.

Ob desolationes internas contristati.

§. 248. Generatim divina providentia cum iis, qui vitam perfectiorem meditantur, ita disponere consuevit, ut iisdem ac recessibus conversis dulces aequae ac abundantes consolationes largiantur, quibus in-
bus suaviter illecti a terrenis voluptatibus abstrahantur, degustato
coelesti manna viles Aegypti cepas fastidiant, et ad virtutes ardua
excitantur. Ubi vero non nihil profecerunt, ab his quoque deliciis
arcentur, ut Deo jam non ob suavitatem gustus, sed ipsius causa
inhaerere discant. Tumque alternis vicibus pro infinita sua sapientia
dilectas has animas nunc de novo recreat, ne forte in via desin-
ciant, nunc iterum desolatas relinquit, tum ut infirmitatem identi-
dem experiantur, tum ut firmiores agant radices. Ita hortulanus
plantas suas tenellas irrigare atque ab aura asperiori tueri solet

¹⁾ Job. XIV. 1. — ²⁾ S. Ambr. libr. 1. in c. 7. Serm. — ³⁾ S. Aug. in Psal. XXIX. — ⁴⁾ S. Ambr. libr. 1. in c. 7. Serm. — ⁵⁾ S. Aug. de Trinit. c. 16.

firmiores vero tempestati et ventis exponit, ut inter ipsos hos turbines plus vigoris et roboris acquirant. Pariter desolationes ad perfectorum virtutem probandam, roborandam et augendam plurimum valent. In frigore planta dilatat radicem profundiusque mittit; in calore fructum protrudit: desolatio est frigus, consolatio calor, utrumque necessarium est, ad mittendam radicem deorsum et faciendum fructum sursum.

Saepe vero non dat, et subtrahit Deus *provecioribus* consolationes, vel a) quia nobis expedit non habere, eo quod nesciamus illi, aut quod in vitium essent abiturae, aut in valetudinis detrimentum. b) Quia similibus abutimur, aut antehac abusi sumus ad vanitatem vel gloriam propriam; nam difficile est, haec Dei dona modeste amplecti, et saltem anima saepe illis utitur ad gulam quandam spiritualem, aut ad inanem de se opinionem; ex quo fit, ut sit in gratiarum actione parca et parcior in practico talium bonorum usu, tum tamen familiaritas divina humilem Dei adorationem procreare leberet, ac menti humanae ingenerare tum reverentiam erga opus hoc solius Dei, tum fervorem majorem in obsequio divino. Praeclare de hac re docet S. Bonaventura: „Si consolatio spiritualis non subtraheretur homini aliquando, nimis extolleretur, et gratiam perderet, ac periret; subtrahitur ergo ei, ne amittat et perdat: sicut pater parvulo filio nummos negat, ne de ipsis ludat, et perdat; donec proficiat in prudentia et sciat provide conservare” ¹⁾. Et S. Laurentius Justinianus: „Ad reprimendam hominis audaciam sapientissime interdum se subtrahit Sapientia, non odiendo, non contemnendo sed amando. Quis autem, nisi quandoque derelictus propriam agnosceret fragilitatem? Continuus successus occasionem parat elationis. Vix quippe flagellis eruditus animus, et tentationibus attritus, suam valet intelligere infirmitatem” ²⁾. c) Quia socordes sumus in mortificatione, avulsione a creaturis, abnegatione sui ipsius, in recollectione interna; impleri enim non potest visitationibus internis anima, quae impletur detractionibus et curis saecularibus, quia ubi „vas vacuum non adest, stat oleum” ³⁾. d) Quia in exercitiis ordinariis necdum sumus perfecti.

Ex dictis jam liquido constat agendi ratio, quam confessarius cum poenitentibus ob desolationes internas contristatis inire debet. Etquidem nunquam non Dei consiliis in subtrahendis consolationibus conformis sit oportet. Nobiles animae in moeroribus quandoque relinquendae sunt; nam singulare est hoc Dei consilium, tum ut explet conversorum peccata, tum ut in humilitate mentis contineat, quae adhuc contaminatae ad amplexus divinos anhelant, tum ut fortes animas ad magna praeparet et quis poenas a Deo sancitas consolatione sua minuere attentet? aut fortasse non aequae divinae ju-

¹⁾ VII. Process. Relig. c. 1. — ²⁾ Cast. connub. c. 15. — ³⁾ IV. Reg. VI.

stitiae litandum est ac elementiae? Quin et perfectorum virtus in moerore probanda est et augenda, ut etiam discant Dei dona majori cum puritate conservare. Cum Deo placet quiescere vel dormire, quis servorum ejus interpellare audeat? Etiam assuescat anima tum interiori silentio, et ita Deo propter Deum, non propter divina dona, amor purior probatorque deserviet.

Regulae in desolatione tenendae.

§. 249. Regulas practicas in usum confessarii pro dirigendis poenitentibus ob desolationes internas contristatis magistri Asce-
seos christianae praecipuas tradunt:

1. In nulla desolatione undequaque orta despondeas animum, sed in Dei dispositione te totum resigna, et certo tibi persuade, quod Deus, cujus voluntas est sanctificatio nostra, sic te velit purgare ab amore proprio, et ad solidam virtutem perducere, quod plurimum desolationes, si eis bene utaris, conferunt. Siquidem desolationes desiderium consolationum accendunt, superbiam et vanam gloriam reprimunt, humilitatem fovent, orationis studium nutriunt, ad fidem excitant, spem et charitatem purificant, atque ab inordinato affectu spiritualis dulcedinis abstrahunt.

2. In desolatione mentisque ariditate constitutus te examina, citra tamen animi perturbationem et curiositatem, num ex culpa tua ortum habeat? Si excussis omnibus nihil in te culpae reperias, quo oriatur, gratias age Deo, et noli curiosius ultra inquirere, sed sine ulteriori examine cum omni candore et sinceritate, coram Deo te humilia, indignum te reputans omni ejus dono, et fatere, te a Deo tractari ut mereris ob delicta praeterita, imo graviora meritum esse. Decet nos ipsos velut tacitas hostias immolari, amantique animae satis sit, sic Deo placere. „Haec mihi sit consolatio, libenter velle carere omni solatio mundano” ¹⁾. Si tamen sentias te satis facere, confidenter recurre ad Deum, ut tibi reddat laetitiam salutaris sui, et transferat calicem istum a te, plena tamen cum recognitione in sanctam Eius voluntatem. Quodsi reperias ex defectu tua ortam desolationem, sincere dole de culpa, veniam posce, et velut justam poenam desolationem de manu Dei humiliter admitte, plene fiducia, fore brevi, ut a Deo benigne recipiaris.

3. Cave magnopere, ne tempore desolationis ullum devotionis exercitium omittas vel negligas; sed potius aliquid addendum quam demendum est, quia in taedio tali sunt gratiora Deo et magis meritiora. S. Franciscus Salesius scribit: „plus valere coram Deo unam orationis in medio desolationum, quam libras centum in medio consolationum.”

¹⁾ Thom. Kemp. lib. 3. c. 16.

4. Persuade tibi, quod S. Ignatius docuit non esse compensatorem viam ad perfectionem, quam magna et multa pati pro amore Dei; et lignum ad excitandum divini amoris ignem aptius non esse, quam lignum Crucis, quia anima hoc modo ab omni creatura et solatio suo abstracta, soli Deo adhaerere debet. Magni Sancti magnas passi sunt desolationes, et eas tollerando vivam Jesu Christi in Cruce desolati imaginem in se expresserunt. Deus diligentes se diligit. Amorem magis probat filius, qui in duris se accommodat voluntati, quam qui in iis non acquiescit, sed vult patrem suae voluntati obsequi.

5. Si desolatio, ut quandoque contingit, ex corporis defatigatione oriatur, optimum est medium, honesta recreatione corpori robur restituere; et interim actus virtutum sine violentia exercere ¹⁾.

6. Denique recursus ad directorem spirituales, cui intima cordis sincere pandere oportet, plurimum juvat ²⁾.

Ob tentationes varias contristati.

§. 250. Ipsa impugnatio virtutis a S. Thoma Aq. dicitur tentatio. Est autem vel a *principio intrinseco*, scilicet a corruptione carnis; et sic dicitur tentatio a carne: vel a *principio extrinseco*, et hoc dupliciter, quia illud, quod exterius est, vel impugnat per modum *objecti*, et sic tentatio est a mundo, cujus rebus corda hominum allieuntur ad peccandum: vel per modum *agentis*, qui trahit ad peccatum persuadendo, terrendo, blandiendo, et sic de aliis; et sic dicitur tentatio esse ab hoste, scilicet diabolo, et ab his, qui sunt membra ejus. Non raro autem contingit, ut poenitentes ob tentationes, quas crebro et vehementer patiuntur, animo decidant. Hos jam primo docere oportet perpetuo decertandi necessitatem et tentationum fines. — „Caro concupiscit adversus spiritum” ³⁾. „Unusquisque tentatur a concupiscentia sua” ⁴⁾. „Militia est vita hominis super terram” ⁵⁾. „Fili accedens ad servitum Dei, sta in justitia, et praepara animam tuam ad tentationem” ⁶⁾. Et de pio Tobia Scriptura dicit: „Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te” ⁷⁾. Licet enim Deus neminem tentat ad peccatum, probat tamen tentationes in malum inclinantes permittendo, juxta illud: „Tentat vos Dominus Deus noster, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde et in tota anima vestra” ⁸⁾. Proponit Deus vitam immortalem velut coronam, ad quam contendimus pervenire; non datur autem corona sine victoria, nec victoria sine cer-

¹⁾ S. Theres. in Vit. c. 11. — ²⁾ Cfr. Philoth. P. IV. c. 14. sq. — ³⁾ Gal. V. 17. — ⁴⁾ Jacob. I. 14. — ⁵⁾ Job. VII. 1. — ⁶⁾ Eccli. II. 1. — ⁷⁾ Tob. XII. 13. — ⁸⁾ Deuter. XIII. 3.

tamine, nec certamen sine hoste tentationis. „Nemo coronabitur, nisi, qui legitime certaverit” ¹⁾.

Neque *sapientissimi* desunt *anes*, ad quos animas sibi adiectas taliter exerceri permittit Deus. Tentationes enim occasionem praebent, qua virtutem nostram singulariter testatam reddimus. „Ut gubernatorem navis tempestas, athletam stadium, militem acies, magnanimum calamitas, sic christianum hominem tentatio probat” ²⁾ — Per tentationum vim virtus nostra firmiores agit radices. Sicut arbores profundius radicantur, si ventis agitantur et tempestatibus, sic „virtus in infirmitate perficitur” ³⁾. — In tentatione videntes periculum ruendi in interitum, agnoscimus fragilitatem nostram, indigentiam divini auxilii, atque ita humiles conservamur. Hanc rationem discimus ab Apostolo Paulo dicente: „Magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis, angelus Satanae, qui colaphizet me” ⁴⁾. „Hic monitor, ait S. Hieronymus, Paulo datus est ad premendam superbiam; ut in triumphali datur monitor, suggerens: Hominem te esse memento” ⁵⁾. „Tentatio, ait S. Augustinus, probatio est, non ad peccatum seductio, nec ideo probatio, ut Deus noverit, sed ut ipsis hominibus ostendat, qua humiliores fiant ad petendum adiutorium, et agnoscendam gratiam Dei” ⁶⁾.

1. Animum igitur nullatenus despondere, vel nos a Deo derelictos autumare licet, si tentationibus agitamur. „Ne existimemus esse signum, quod nos dereliquerit, vel despiciat Dominus, si tentationes nobis inferantur, sed hoc maximum sit nobis indicium, quod Deus nostri curam gerat” ⁷⁾. „Beatus vir, qui suffert tentationem” ⁸⁾. „Penes te est victoria, modo velis.” „Diabolus alligatus latrare potest, mordere non potest, nisi accedentem ad se” ⁹⁾. „Non nocet sensus, ubi non est consensus” ¹⁰⁾. Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere” ¹¹⁾. Novit *figulus*, quanto tempore oporteat vasa relinqui in fornace, ne perdantur. Quidni Deus sapientissimus, salutis nostrae amantissimus provideat, et accomodat vires tentationibus, ut cum tentatione possimus facere proventum?

2. Tentationes graviores post conversionem indicium sunt, quod homo evaserit e servitute diaboli: quos enim captos habet, minus tentat, ut venator feram jam captam non persequitur, sed fugientem. „Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis” ¹²⁾. Poenitentes, qui relicta iniquitatis via semi-

1) II. Tim. II. 5. — 2) S. Bas. orat. 11. de Pat. — 3) II. Cor. XII. 9. Cfr. Jacob. I. 2. 3. — 4) II. Cor. XII. — 5) Ep. 25. ad Paulum de obitu Bas. — 6) Quaest. 58. in V. T. — 7) S. Chrys. Hom. 33. in Gen. — 8) Jac. I. 12. — 9) S. Aug. — 10) S. Bern. — 11) I. Cor. X. 13. — 12) Jacob. I. 2.

n virtutis ingressi, tentationibus impetuntur, edocendi sunt, ut
lestias continuas pugnae patienti animo perferant, ad expianda
stina peccata in poenam scelerum recursant malae gaudia vitae.

3. Pariter observatu dignum est, sanctificatos saepe saepius
tationibus molestari. Pirata navim thesauris onustam, non vero
uam impetit. „Tentatur, ait S. Hilarius, statim post *baptismum*
minus, tentatione sua indicans, in sanctificatis nobis maxime dia-
tentamenta grassari, quia victoria ei est magis exoptata de
ctis” ¹⁾. Diabolus semper primordia boni pulsatur; tentat rudimenta
atum, sciens quod ea subvertere fundata non possit” ²⁾. Absit
o, ut personae piae animo cadant, dum impiis, immundis nefan-
que cogitationibus et aculeis divexantur, potius hoc ipso Deo se-
charas esse cogitent, quia hostis tartareus tot impetus in illas
ret ³⁾.

Modus tentationibus resistendi.

§. 251. Media generalia contra tentationes sunt *humilitas*,
castitas et *fortitudo*. Humilitas removet impedimenta gratiae auxilia-
ris: Deus enim superbis resistit, humilibus dat gratiam. Saepe
sedam occulta superbia, et subtilis complacentia et fiducia in vi-
s propriis causa est, cur cetera remedia, ceteroquin praestan-
nihil proficiant. Oratio impetrat gratiae auxilia ab Eo, qui di-
: „Petite et accipietis; et si quid petieritis Patrem in nomine
o, dabit vobis” ⁴⁾. — Fortitudo iis utitur, removet pusilli animi
sum, cavet, ne quis se temere periculis exponat.

Regulae generales pro praxi, ubi convenire videbitur, in
m poenitentium a confessario adhibendae sequentes statuuntur:

1. Si te tentatio adoriatur, sequere praeceptum Domini dicen-
: „Orate, ut non intretis in tentationem,” et statim animo ad
um confuge. Ejus misericordiam implora, tuam confitens infirmi-
um. „Quemadmodum parvuli perterrefacti statim confugiunt ad
um matris, sic nos cum aliqua tentatione pulsamur, per preces
Deum confugiamus” ⁵⁾. Vel converte animum ad honestam occu-
ionem externam, vel ad actum virtutis, v. g. charitatis, contri-
is, virtutis oppositae. Orta igitur tentatione, signa tibi dari exi-
na, ut ames Deum, et animae brachiis amplectaris Jesum tuum
te crucifixum. Cavendum tamen est, si velis actum tentationi
ecte oppositum elicere, ne id perturbate vel pertinaciter facias,
s sic tentationem vel augebis vel caput debilitabis. Unde si non
ois placate et facile eum elicere, contemne hostem, et converte

) In Matth. III. — ²⁾ S. Petr. Chrysol. Serm. 11. — ³⁾ Cfr. Alphons.
Rodriguez. S. J. Exercitium Perfectionis P. II. tract. 4. Aug. Vind.
1761. — ⁴⁾ Joan. XVI. — ⁵⁾ Chrys. libr. de Provid. c. 3.

te ad alia honesta, vel paucis actum charitatis elice et fiduciae in Deum.

2. Divino fretus auxilio magno sis in tentationibus animo, memor, quod possis omnia in Deo. „Resistite diabolo, inquit Apostolus ¹⁾, et fugiet a vobis.” Felix haud dubie conditio hujus belli, licet alioquin periculosi, in quo certi sumus de victoria, dummodo contra hostes pugnare et ipsorum insultibus resistere velimus. Quam multos hac spe et animo praeditos ex hiantibus Satanae faucibus liberavit Deus! Annon Joseph ²⁾ undique circumdatum ardentibus insanæ mulieris facibus e summo ereptum periculo ad gloriam extulit? Nonne Susannam a Satanae ministris obsessam servavit incolumem? Neque mirum. „Erat enim, inquit Daniel, cor ejus fiduciam habens in Domino” ³⁾. David regius propheta, divino fretus patrocinio, continuo volutabat corde et ore: „Deus refugium meum” ⁴⁾. Et S. Augustinus ait: „Ideo tentatus est Christus, ne vincatur a tentatore christianus” ⁵⁾.

3. Cave altercationem cum hoste, nec verbum ei repone, nisi forte illud Salvatoris: „Recede, scriptum est: Deum tuum adorabis, et illi soli servies” ⁶⁾; sed velut responso indignum negliges, nec signa externa ede, sed, ut dixi, confuge ad Deum, et illi soli fidelitatem offer. Alias enim angebis tentationem, turbabis animam, persuadebit sibi superbus hostis, se a te aestimari, et animum turbatum magis laborabit involvere tenebris. Optima vincendi ratio est minime turbari. Molestiam possunt inferre tentationes, sed non nocere, si persistas in proposito Deo serviendi. Proinde illas contemne, imo nec dignare reflectere ad id, quod oggerunt, minus singulas excute, quales sint, quia singulas excutiendo conficeres, et nihil proficeres.

4. Virtutem tentationi oppositam *constanter* exerce, adhibendo media tam indirecta ad peccata singula eradicanda, quam directa ad virtutem comparandam.

5. Generale porro et efficacissimum contra tentationes medium est, ut tentationes, praesertim molestae sincere exponantur in confessorio, vel directori spirituali. Nam nihil magis odit salutem nostrae hostis, quam suas machinationes non manere occultas, sed in milis libidinoso, qui dum tentat honestam mulierem secum ad flagitium pertrahere, sua molimina maxime optat viro esse occulta. Deus hanc humilitatem solet gratiae auxiliis remunerare, quo teste experientia, ut tentationes etiam vehementissimae statim, si directori detectae fuerunt, infringi consueverint. — Atque haec remedia sunt generalia, et non tantum de iis tentationibus, quae

¹⁾ Jac. VI. — ²⁾ Gen. XXXIX. 40. 41. — ³⁾ Dan. XIII. 35. — ⁴⁾ Psalm. lxxii. — ⁵⁾ In Psalm. XC. — ⁶⁾ Matth. IV. 10.

ad peccata graviora alliciunt, sed de illis quoque valent, quae, quo minoris sunt momenti, eo frequentius recurrunt ¹⁾).

Continuatio.

§. 252. Pro diverso autem tentationum genere, *speciatim*, diversa certandi ratio obtinet, prout videlicet certa tentationis objecta indignationem nobis et nauseam creant, aliquando autem suaviter sensus nostros titillant et attrahunt. Contra tentationes prioris generis non solum defensive, sed et offensive progredi utile est, v. g. contra impatientiam, iram, taedium etc. Ast aliter pugnare oportet, ubi de tentatione ad libidinem agitur; hinc nimirum non ad blanda ejusmodi lenocinia accedere licet, sed ab illis nos proripere, quantum possumus, ab illis nos remove tenemur. „Exercitare se dicit S. Bonaventura, ad pugnam spontaneam contra *spiritualia vitia*, videlicet iram, invidiam, vanam gloriam etc., aliquando utile est ei, qui inter alios morari eligit, qui eum persequantur et offendunt, ut sic discat patientiam; et ei, qui sub discreto Magistro vivit, qui in omnibus frangit ejus voluntatem, ut sic assuescat esse humiliter obediens, et promte, et sic de ceteris vitiis spiritualibus expugnandis. . . . De carnalibus autem vitiis hoc periculosum et stultum est, sed sunt fugiendae eorum pugnae, et a memoria excludendae, et occasiones earum tollendae” ²⁾). „Si vis, ait S. Augustinus, invenire victoriam, apprehende fugam.” Ceterum speciali cautela in hac tentationis specie opus est, videlicet, ne turberis, timens inordinate, aut ad turpitudinem etiam ejus considerandam animum applices, sed statim confuge ad Deum, ad vulnera Christi, et aliis honestis applica mentem serio. Si oriatur rebellio carnis, expedit loco cedere, Jesum Christum meditari crucifixum, et in mortem se potius offerre, quam in consensum. Curandum, ut solum Jesum intuearis, et non tentationem, alias enim augeas. Juvat quoque recurrere ad beatam Virginem Mariam, mundissimam virginitatem, ut adsit suo patrocinio, ne offendas dilectum ejus Filium tanta pro anima tua salvanda passum, et Angelum Custodem, S. Josephum, S. Aloysium, S. Stanislaum obsecrando per amorem Christi. „Sit, juxta illud S. Cypriani, ante oculos divina lectio, in manibus bona operatio, in sensibus Dominica cogitatio. Oratio non cesset, spiritualibus semper actibus occupemur, ut quotiescunque inimicus accesserit, et clausum adversum se pectus inveniat, et armatum” ³⁾). Et S. Bernardus tentatis regulam vincendi praebet hujusmodi: „Si te libido ad peccandum invitat, objice tibi memoriam mortis tuae, propone tibi futurum judicium, reduc ad memo-

¹⁾ Cfr. Philoth. P. IV. c. 8. et Certamen spirit. V. Scup. — ²⁾ IV. Proc. Relig. c. 12. — ³⁾ Libr. de Zelo et livore.

riam futura tormenta, propone tibi aeterna supplicia; memoria *ardoris gehennae* extinguat in te *ardorem luxuriae*"¹⁾. *Momentaneum*, quod delectat, *aeternum*, quod cruciat.

Quemadmodum tempore tentationis turpitudinem et sequelas luxuriae perpendere non juvat, ita post tentationem *sollicite* ruminari, utrum in illam consenseris, minime expedit.

In Absicht auf die Uebung in der Sanftmuth und Geduld ist für solche die schon Fortschritte gemacht, das Nichtfliehen alles des Widerlichen, worin die Geduld und Sanftmuth sich üben können, allerdings gut, wenn es wahrscheinlicher ist, dass der Nichtfliehende siegen werde. Sogar sich in solche Gelegenheiten begeben, oder solchen Widerlichkeiten sich selbst unterziehen, kann zum Exercitium rathsam sein. Hierüber ist besonders *Scupuli* lesenswerth, wie überhaupt in der Anweisung zum Siege über Versuchungen er gründlich ist. Waibl's Mystik p. 80.

Monita post tentationem.

§. 253. Victoria de tentatione reportata nemo sibi placeat, nemo se efferat, ut se suis viribus tentationes superasse confidat, sed Deo victoriam in acceptis referat, cujus quippe beneficio arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore; qui docet manus nostras ad praelium et digitos nostros ad bellum, adeo uni Deo pro victoria sint agenda gratiae, quo uno et auctore et adjutore vincere possumus; quod fecit Apostolus: „Deo autem, inquit, gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum, nostrum Jesum Christum“²⁾.

Pari modo cavenda est falsa securitas, qua victor se securum existimet, atque ad novos hostium insultus torpescat. Non enim cessat ab insidiis suis serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas, qui seducit universum mundum“³⁾. Quapropter: „Vigilate state in fide viriliter, agite et confortamini“⁴⁾. „Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit“⁵⁾.

Quodsi quis a tentatione victus ceciderit, culpae suae conscius, de lapsu suo poenitens mox iterum resurgat. „Filioli mei, haec vobis scribo, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum“⁶⁾. Attamen ita lapsus hos detestari oportet, ut non turbemur, neque animum despondeamus. Etenim tales animi affectiones, abjectio scilicet et confusio, non impediunt solum, quo minus semitam justitiae ingredi valeamus, dum plane impares nos reddunt exsequendis propositis bonis, sed etiam Dei bonitati et misericordiae adversantur, quam Scriptura quam plurimis modis extollit. Audi prophetam: „Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates

¹⁾ De Modo bene vivendi c. 7. — ²⁾ I. Cor. XV. 57. — ³⁾ Apoc. XII. 9. —

⁴⁾ I. Cor. XVI. 13. — ⁵⁾ Matth. X. 22. — ⁶⁾ I. Joan. II. 1.

tuas — qui coronat te in misericordia et miserationibus. — **Miserator et misericors Dominus, longanimis et multum misericors.** — Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundum altitudinem coeli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum¹⁾. Audi, quid Deus ipse annuntiat: „Sic locuti estis dicentes: Iniquitates nostrae super nos sunt, et in ipsis nos tabescimus. Quomodo ergo vivere poterimus? Dic ad eos: Vivo ego: dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur, et vivat²⁾).

Simul vero ita de lapsu surgere oportet, ut hac tristi experientia cautiore fiamus, ut de nobismet ipsis diffidamus, ut occasionem hanc vel illam declinemus, et ut aliis, dum sternuntur, rite compatiamur: „Qui non est expertus, pauca recognoscit. — Multa vidi errando, et plurimas verborum consuetudines. Aliquoties usque ad mortem periclitatus sum horum causa, et liberatus sum gratia Dei³⁾).

Poenitentes desiderii inordinati inquietudine agitati.

§. 254. Inquietudine nullum, unico excepto peccato, accidere gravius malum potest. Nam, ut ait S. Franciscus Salesius⁴⁾, quemadmodum reipublicae seditiones et intestini tumultus prorsus eam destruunt et evertunt, atque impedimento ei sunt, quin externis hostibus resistere valeat: sic, ubi animus noster in se ipso turbatus et inquietus est, vires ad virtutes, quas jam sibi comparat, conservandas, nec non inimici omni ope connitentis tentationibus resistendum necessarias amittit.

Nascitur autem inquietudo ex inordinato quodam, ut a malo, quod quis sentit, liberetur, aut ut bonum, quod sperat consequatur desiderio: nihil tamen est, quod magis prius malum adaugeat, aut bonum speratum magis recedere faciat, quam inquietudo et sollicita illa anxietas. Aviculae ideo retibus et laqueis captae manent, quod cum iisdem se implicatas sentiunt, nimio quodam corporis motu et agitatione sese explicare et expedire gestiant, quod cum faciunt, semper magis magisque iis se intricant.

Hinc confessarius ad hanc animi affectionem emedullandam, doceat poenitentem primo animum serenum et tranquillum reddere, iudicium et voluntatem ad moderationem componere, ac deinde *secciter* et *leniter* desiderium suum executioni mandare, conve-

¹⁾ Psalm. CII. 3. 4. 8. 10. — 14. — ²⁾ Ezech. XXXIII. 10. — ³⁾ Eccl. XXXIV. 10. — ⁴⁾ Philoth. P. IV, c. 11.

nientia ad haec media modosque, idque certo quodam ordine, adhibendo. — Ne vero animus hujusmodi perturbationibus abripiatur, curandum est sedulo, ut, quam primum inquietudinem aliquam in se persentiscat, Deo se commendet et firmiter secum statuatur, nihil penitus exsequi eorum, quae ut faciat, desiderium suum ab ipso requirit, priusquam inquietudo prorsus evanuerit, nisi forte rem hujusmodi foret, quae commode differri non posset; tunc quippe suavi et tranquilla quadam violentia desiderii impetus et cursus inhibendus est, ut tantum ipse temperetur, quantum erit possibile. — At dein rem non pro desiderii impulsu, sed ex rationis praescripto ductuque exsequi juvat. — Utile quoque erit, poenitenti suadere, ut inquietudinem confessario vel animae suae directori, vel saltem alicui fido ac devoto amico detegere non vereatur, quandoquidem haec omnium est remediorum praestantissimum. Unde S. Ludovicus Rex inter alia multa documenta etiam hoc filio suo praescripsit: » Si quam in corde pressuram aut inquietudinem sentias, confessario tuo, aut alteri cuiquam viro bono quam primum eam detege, ita fiet, ut per illud, quod ille tibi suggeret, consilium, malum tuum aequanimius et levius portes.»

Poenitentes scrupulosi et pusilli animi.

§. 255. Praecipua animi affectio, quae confessario non raro multum negotii facessit, est illa animi scrupulosi et pusilli, qua poenitentes nonnulli constricti sunt. — Prae ceteris intendat confessarius, num poenitens revera sit scrupulosus, nec ne. Nequaquam enim cuncta, quae de conscientiae suae statu anxii in confessionali proferunt, meris scrupulis sunt accensenda. Datur enim justa animi formido, seu quae ex solida ratione descendit. Sic v.

a) sunt, qui dubiis anguntur de remissione peccatorum commissorum jamque confessario expositorum, at vero si rem accuratius inspexeris, apparebit, illos verum sincerumque dolorem non concepisse, pravam mentis affectionem non exuisse, et non sequelas, in quantum hoc ipsis licuit, nondum compensasse, atque ob id ipsum internae pacis non esse factos participes. Hujusmodi poenitentes, quorum animum inquietum et tristem non temere esse intelligit confessarius, ad omnimodam mentis immutationem studeat perducere. Ostendat ipsis errores in conversione et eiusque admissos, excitet firmum propositum eos removendi, hortetur ad filialem fiduciam in Deo, cujus solius gratia grave conversionis opus in eis et coepit et perficiet; inculcet denique, eos tunc cum hac gratia cunctis e viribus cooperari, nec non solatium adinjecta spe, Deum ipsis esse propitium, atque tristem animi statim in laetitiam conversurum.

b) Sunt porro, quibus religionis pietatisque amor inesse videtur, aut fovent adamatum aliquod peccatum, cui non valdicere, sed simul cum reliqua animi affectione, utique bona, et devotionis exercitiis illud retinere volunt. Itaque animi quiete sunt destituti, et secum ipsis discordes: haud temere Confessarius si tale peccatum detexit, poenitentibus eis persuadere conetur, quantopere sese fallant, quam necessarium sit, ut omnibus omnino divinis legibus, nulla excepta, satisfaciant, nec posse pacem redire in corda eorum, quousque non studuerint, quamlibet illicitam voluptatem aversari, quamlibet culpabilem actionem omittere.

c) Alii denique poenitentes, quibus solum quoad nonnullas res vel actiones anxia est conscientia, quoad alias vero laxa, reperiuntur scrupulosi in minus gravibus, levis autem animi et plane incurii, ubi agitur de vitandis peccatis omnino gravibus. Iustusmodi homines cautissime sunt tractandi. Confessarius liberet eos a scrupulis, circa res, in quibus temere anxii haerent, discrimen exhibeat inter minus gravia, et secundum tempora adjunctaque mutabilia, atque ab his diversa demum intercedens dehortetur ad bonae conscientiae curam, majoremque diligentiam attentionemque in actionibus, quae iis levioris momenti, vel imo licitae videantur, quum tamen sint graves, nec non illicitae.

Multo minus conscientia tenera et timorata cum scrupulosa confundenda est, prout hominibus profanis usitatum est, qui eos, quos magna conscientiae¹ religione duci, et ab ipsis, ut ita dicam, peccatillis abhorrere conspiciunt, mox ut scrupulosos rident.

Est vero scrupulus suspicio levis cum parvo fundamento, sive *timor et apprehensio inanis*, alicubi esse peccatum, ubi non est. Vera scrupulosi animi affectio, ex timore inani et tumultu phantasiae nata, efficit, ut quis legem aeternam ad suas relationes ex mera trepidatione haud applicet, eo quod ad dictamen rationis ob insanam timiditatem non attendat. Qui scrupulis agitantur, ceu spiritualiter infirmi tractari debent, utpote quorum iudicium per imaginarias illusiones tam dire opprimitur, ut imperium rationis conticescat, vel certe prae strepitu phantasiae audiri nequeat.

Vere scrupulosi dignoscuntur plerumque ex criteriis sequentibus:

Criteria animi scrupulosi.

§. 256. 1) Si poenitens temere, vel nonnisi leves ob suspensiones timet, ne hoc illudve sit licitum, et circa hoc ipsum, sitne licitum, aut non, sententiam suam continuo mutat.

2) Si poenitens eadem dubia saepius profert, si de integro dubitat, an dubia jam prolata satis explanarit, solutioni difficultatis a confessario sibi propositae non acquiescit, et potius novis inde

dubiis movendis ansam capit, atque varios, et iterato de eadem r
consult, quin ullius consilio acquiescat.

3) Si poenitens tum, quum nemo vere Christianus peccatur
aliquid praesagit, cui et ipse Deus ejusque praecepta cordi sun
illud vel committendum vel jam commissum expavescit.

4) Si poenitens in agendo inconstans, modo hoc, modo illu
aggreditur, et mox iterum timidus desistit; diversissimos casus a
que obligationes pene ridiculas sibi imaginatur: cumque in h
phantasiae reticulis sibi haerere videtur, se graviter peccasse a
tumam; in confessionali hinc inde alget sudatque, et post molesti
simam expositionem adhuc turbidus manet.

5) Aliqui internas anxietates etiam per gestus et motus ridi
cule produunt, v. g. tristes torvosque vultus praeseferendo, cap
ridicule movendo, saepe ingemiscendo insoliteque gestiundo etc.

Causae.

§. 257. Quemadmodum diversa existunt signa externa, ita et
causae sunt diversae, quarum primariae sunt sequentes:

- a) Temperamentum melancholicum.
- b) Timiditas innata, nec non educatio animum deprimens.
- c) Corpus perpetuo infirmum, nervi debiles irritabilesque
- d) Jejunium severius, et vigiliae nimiae.
- e) Frequentior contemplatio mentisque defixio nimia in
religiosas.

f) Imaginatio praepotens.

g) Animus contumax et suis opinionibus pertinaciter addictus.

h) Nimia sollicitudo apparentiam peccati fugiendi et plenam
certitudinem habendi, quod hoc vel illud non sit peccatum.

i) Religio fere plane incognita, aut non bene perspecta,
videlicet erronei conceptus de Deo et vera officiorum indole, de con
sensu in peccatum etc. Exinde fieri solet, ut ejusmodi meticulosi
homines officia ab officiorum subsidiis, sensum a consensu, et
phantasticas illusiones ab animi decretis discernere nesciant, sicut
decumanis semper fluctibus jactentur.

k) Lectio librorum asceticorum, quorum usus practicus haec
facilis, nec non aliorum librorum metum incutientium, vel phant
siam plus justo incendunt, ac nonnisi terribilibus imaginibus
replentium.

l) Conversatio anxiorum tristiumque hominum.

m) Denique ut alia multa praetermittam, haec mentis terr
culamenta etiam a malo daemone excitari possunt, qui (Deo sine
permittente) noxiis scrupulis intendit pacem conscientiae turbare,
virtutis exercitium reddere insipidum, ad pussillanimitatem, imo ad
desperationem inducere.

Suapte natura liquet, has aliasque causas a confessario in scrupulosis prius esse explorandas, exploratas vero, quantum fieri potest, remediis aptis removendas. — Praeterea in tractandis scrupulosis sequentes regulas generales in cautum rerumque adjunctis accomodatam usum convertat.

Regulae generales in tractandis scrupulosis.

§. 258. Primo statim initio a) confessarius cuncta perspicue sibi explicari sinat, patientia accedente, atque singula accurate perscrutans temporis jacturam ne reformidet, ut eam in posterum possit effugere.

b) Pro communibus horum scrupulosorum confessionibus longo examine non est opus, et confessarius temporis spatium in illis impendendum praescribet. Imo saepe opus est, ut, cum per se examen facere nequeunt, ipse defectum interrogationibus suppleat. Et sane hujusmodi scrupulosi, sibi traditi, quodnam examen instituere possunt? Eorum conscientia est veluti aqua rivuli, in cujus ima parte lutum subsidet, pellucida est, si quiescere sinitur, sed turbatur, statim ac incipit agitari. Quo minus scrupulosi retroacta tempora cogitant, lumina eorum puriora sunt, sed expertum est, illos conscientiam suam excutientes, elapsamque vitam considerantes, confundi, atque in eum statum adduci, ubi vitae suae rationem confessario reddere nequeunt.

c) Curet, ne eorum dubia dijudicans, parum constans haesitansve appareat, sed magna procedat libertate, nullo ambiguitatis aut haesitationis signo edito; et quod semel respondit, firmiter urgere pergat. Credi vix potest, quam ingeniosi hujusmodi homines sint, tum in perpendendis confessarii dictis, tum in extundendis novis dubiis, nisi per invictam constantiam omni modo coërceantur. Tametsi non consultum sit, ordinarie scrupuloso aperire rationes illius, quod ei praecipitur, nihilominus capaci proderit, eas exponere ad convincendum, si fieri potest, intellectum, qui postremus omnium in his afflictis se solet subicere.

d) Studeat rectas veritatum religionis notiones eis injicere, praepremis de justitia, benignitate et misericordia Dei, de morte Christi redemptoria, de praecipitis ecclesiae aliisque; eos edoceat, neque Deum, nec Ecclesiam exigere, quae vires nostras transcendunt, nec a Deo, nec ab Ecclesia obedientiam tristem et anxiam, sed quietam, et hilarem et laetam desiderari.

e) Constanter commendet eis, ut in animi doloribus humiles patientesque perseverent, nec timore servili, sed filiali in Deum fiducia animati precibus vacent. Cum enim in omni navigatione necesse sit, stellas respicere, eo praecipue opus habet tempestuosa. Quapropter utilissima erit industria docendi illos, qua ratione per

diem quosdam devotos affectus repetant, qui mixtis humilibus precibus cum fiducia valeant suo tempore divinam implorare opem, et spem eam consequendi animare.

f) Suadeantur ipsis (pro rerum adjunctis) modica occupatio, prudens gerendorum per diem distributio, conversatio sapientium hominum, leves distractiones, lectio mentem exhilarans, deambulatio, et quae sunt huiusmodi. Quandoque etiam ars medica in subsidium vocari debet.

g) Inculcet eisdem pro ea, in qua nunc constituti sunt, conditione, esse eorum, ut dociles sese exhibeant aliisque regenda committant, quia iuste dijudicandi facultas in eis repressa est. Spem excitet, eos, si spirituali directori suo morem gerant, ad tranquillitatem redituros, et consoletur asserens, etiamsi erroneam actionem admitterent, eos tamen coram Deo culpa vacare, si quidem circa talem actionem anxii consilio prudentis probique confessarii obedierint.

Ad scrupulorum consolationem, qui confessarium nullo infallibilitatis jure frui causantur, monendum erit, confessarium, quem ceteroquin pium, prudentem ac doctum satis esse supponimus, etsi quoad se decipi possit, non tamen quoad scrupulosum, cum isti nullum aliud ad animi pacem suppetat, quam strictae obedientiae remedium. Hinc S. Bernardus ¹⁾: „Quidquid vice Dei praecipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si praecipiat Deus. Quid enim interest, utrum per se, aut suos ministros, sive homines sive angelos, hominibus innotescat placitum suum Deus? Sed homines inquis, facile falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipienda, et praecipiendo fallere possunt. Sed enim, quid hoc refert tua, qui conscius non es? praesertim, cum teneas de Scripturis: „quod labia sacerdotis custodiant scientiam, et legem ex ore eius requirant.“ ²⁾ Ipsum proinde, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quae aperte non sunt contra Deum, audire debemus.“ Et: „Imperfecti cordis et infirmae prorsus voluntatis indicium est, statuta seniorum studiosius discutere, haerere ad singula, quae injungantur, exigere de quibuscunque rationem, et male suspicari de omni pracepto, cujus causa latuerit, nec unquam libenter obedire, nisi cum audire contigerit, quod forte libuerit, aut quod non aliter licere seu expedire monstraverit vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas. Delibata satis, imo nimis molesta est huiusmodi obedientia.“ Ita docuerunt etiam S. Franc. Sal., S. Philippus Ner., S. Antoninus alique Doctores et Magistri spirituales. Expediit, ut contenti simus, si a patre spirituali sciamus nos bene incedere, quin causam investigemus. Nunquam periit vir obediens. Melius, ait S. Franciscus Sale-

¹⁾ Libr. de Praec. et disp. c. 9. et 10. — ²⁾ Mal. II.

s, clausis oculis incedere sub divina providentia inter tenebras perplexitates in hac vita. Obedientia, ait P. Segneri, huic aegrini adeo singulare est remedium, ut qui cuperet absque ea cura-
scrupulosum, is videretur navem velle subducere in portum sine
vernaculo. Ad obtinendam hanc obedientiam utere ea arte, qua
accipies in exstirpandis praedonibus, qui quosdam illorum stipen-
conducunt, ad tollendos e medio socios. Similiter serviant tibi
apuli contra scrupulos. Et expone ei, quantam teneatur Deo ra-
nem reddere inobedientiae erga patrem spiritualem, unaque da-
am, quod ipsemet sibi consciscit, dum pugnat cum hostibus ima-
ariis, neque sibi cavet a veris, quasi rem praeclaram existi-
et, imitari Domitianum, qui tempus impendebat confingendis acu
ea muscis, dum interim Parthi ab imperio integras avellerent
vincias" ¹⁾. Hinc ut scrupulosis persuadeatur docilitas et medio-
a necessariorum usus, eis etiam exhiberi possunt gravissima
eque secutura. Nimirum α) Scrupulosi ipsi tempus perdunt, effi-
atque, ut etiam alii eo priventur; munera sua perperam explent,
is morosisque cogitationibus graves domesticis evadunt β) Vi-
illi suas tristibus id genus cogitatis conficiunt, augent moero-
a, corpus debilitant, animos despondent, et naturae sub tot ma-
um pondere oppressae, quaerenti solatium atque voluptatem su-
venit tentatio, quae nullam invenit oppositionem. Hoc pacto
upulosi laxatis conscientiae habenis ex animi dejectione in gra-
sima decidunt nonnunquam peccata.

h) Ceterum scrupulosi tractentur animo mansueto, amante,
benevolo, ac nonnisi, ubi vel morem non gerunt, vel gerere no-
t, severitas paterna rigidioraque monita accedant. Quamvis enim
as generis poenitentes confessario prae reliquis esse soleant
lesti, nostram tamen commiserationem quam maxime efflagitant,
ete quorum conditio adeo miseranda est, et nisi fidum amicum
saneiscantur, tantis periculis obnoxii sunt. Praeterquam quod
tinuis aculeis pungantur, fieri potest, ut in ipsam desperationis
esum ruant! Quare „vos, qui spirituales estis, hujusmodi in-
dite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu
aris" ²⁾

Monita specialia in tractandis scrupulosis.

§. 259. His jam praemissis pro diversis scrupulosis specialia
edam monita subijcere juvat, prout confessarius eos vel instruat,
consoletur, vel ad quietem perducat secundum individualementem
conditionem, et scrupulorum rationem.

Instr. Conf. Dillingae 1699. pag. 224. — Der Beichtvater, von Alphons
Maria Liguori. Achen 1836. S. XLVII. — LI. — Homo Apostolicus
Tom. 1. tract. 1. n. 8. 11. — ²⁾ Gal. VI. 1.

I. Nonnulli poenitentium, qui priora peccata amplius non committunt, perpetuo timore cruciantur, num cuncta eaque rite confessi fuerint.

Primo confessarius causas dubii eorum inquirat, quas, si sufficientes invenerit, suadet repetitionem, imo confessionem generalem. Quodsi vero confessarius intelligeret, prudens dubium circa integritatem et sinceritatem confessionis priorum peccatorum non obtineret, iterationem confessionum, praepremis si poenitens post conversionem confessionem suam generalem jam peregerit, nequaquam concedat, nam non nisi recens scrupulorum anxietatumque fons ipsi foret; sed ad eum animi habitum, ut officiis nunc sibi injunctis in dies accuratus, hilarius, ac sincera in Deum charitate satisfacere, et firmata in divina gratiam fiducia melior evadere studeat, hortari et perducere conetur. Suadeat proinde, ut omnium, quae retro sunt, cum S. Paulo obliviscens, ad anteriora se convertat, et ex praeteritis peccatis triplicem hunc fructum, scilicet: *ruborem* (humiliationem), *dolorem et fervorem*, quo praeteritas negligentias recircire, et tempus elapsam maleque impensum quasi redimere studiat, plene retineat. Poenitenti, qui nihilominus repetendam confessionem generalem constanter et enixe postularet, quia eam ad animi quietem omnino necessariam putat, *forsan* concedi posset, adjecta tamen conditione, ut eam fixo tempore examini dato peragat, poenitentia priorum delictorum prorsus non meminerit, sed abinde reliqua religionis christianae officia eo accuratius explere satagat.

II. Alii ideo quidem non anguntur, num priora peccata perfecte confessi fuerint, sed utrum remissionem a Deo obtulerint, quum non satis se emendarint. Licet pravam mentem mutaverint, sequelas delictorum pro facultatibus removerunt, eos tamen an actae vitae memoria (quin adsit ratio sufficiens) cruciat, atque fiducia in Dei misericordiam amoremque admodum est debilis, et fluctuans.

Scrupulosis hujusmodi, a) confessarius in primis magnitudinem misericordiae divinae tum aptis ex S. Scriptura sententiis, tum exemplis illustribus SS. Mariae Magdalenae, Augustini, Mariae Aegyptiacae, Margaritae de Cort., Aerae et sociarum, aliorumque plurium repraesentet. — Pariter ostendat, quam grata sit Deo fiducia de bonitate et misericordia illius concepta, et e contrario, quantopere diffidentia et desperatio ei displiceat. „Qui de venia peccatorum desperat, negat Deum esse misericordem, magnamque injuriam Ei facit.” Consolatoria sententia V. Blossii eis proponatur. „Praestat, inquit, omnino post peccatum admissum mox reverti, quam diu in peccato discutiendo occupari detinerique. Revera enim sit Deus infinitae misericordiae fons, non potest non succurrere et ignoscere ei, qui ipsum humiliter et confidenter invocat, etiamsi peccata totius mundi commisisset. Fasciculus ligni in ignem coniectus, non tam repente incenditur, quam paratus est Deus veniam

dare pro peccatis suis vere dolenti" ¹⁾. b) Confessarius justos ingerat conceptus de essentialibus poenitentiae, ostendatque vitam emendatam et pravam mentem abjectam esse certissimum sinceræ poenitentiae characterem. c) Serio eis exponat, Christiano, Dei gratia favente, converso continuo in bono esse progrediendum, huic vero irremissam anteactorum memoriam impedimentum struere. d) Jubeat eos in id attendere, quod nonnullorum objectorum remi- niscentia (praesertim quod attinet peccata contra castitatem), ob vim, quam in phantasiam exserunt, praesenti eorum animi condi- tioni facile periculum creare possunt. Revocatae imagines percepto- rum sensualium voluptatum non carent suis illecebris, quae sensua- litatem, quin id sentiatur, denuo excitant, et poenitentem sensim sensimque ad consensum in prius peccatum haud inculpatum, imo ad relapsam perducunt.

III. Quidam poenitentes scrupulosi anxique reperiuntur, quo- ties pro hic et nunc confessionem peragunt. Timent perpetuo, num conscientiam satis explorarint, et peccata, prout oportuisset confessi sint; delicta jam exposita denuo exponunt, et absque necessi- tate repetunt, postulant, saepius confessionem generalem, atque tam seipsos, quam confessarium sine ratione sufficiente divexant. Hos benevole patienterque tractabit confessarius, ast severitate simul prudenter adhibita. Jubeat eos a) peccata absque prolixitate paucis recitare; b) hisque recitatis, praetermissis reliquis omnibus, solummodo ad ejus doctrinas et monita attendere. Postulet, c) ut absolute obtenta de integritate confessionis ne cogitent quidem. Si vero absolute ipsis impertita nova dubia, quae vana esse co- gnitum habet, proferunt, d) dictis eorum faventes denegat aures. Quoniam in ejusmodi hominibus phantasia agitata utique est, quod confessarius credat, nihil plane gravioris momenti ipsis esse ape- riendum, e) flagitet, tanquam specimen debitae obedientiae eden- dum, ut omnem timorem opprimentes, ad sanctissimum Eucharistiae Sacramentum percipiendum accedant.

IV. Alii ob sic dicta peccata infirmitatis humanae, in quae toties relabuntur, anxii et pusilli animi sunt.

His inculcet, a) multum interesse inter peccata, quae ex fra- gilitate descendunt, et ea, quae consulto committuntur; b) nemini his in terris contingere virtutem absque macula, eosque superbia agitari, si id sibi exspectarent: justum quoque, adstipulante sacra Scriptura, saepius per diem cadere; de levibus erratis affigi indi- cium esse hominis semet ignorantis, hunc enim si norit, non posse esse nescium, hortum suum tribulorum ac spinarum suapte natura feracem esse; c) tantum abesse, ut in fragilitatis humanae peccata relabentes anxii evadere debeant, ut potius hoc ipsum eos ad preces

¹⁾ Institut. spir. c. 8.

majori fiducia fundendas, ad semetipsos coram Deo sanctissimo humiliandos, ad fervorem optima quaeque aspirantem, denique ad desiderium illius loci, ubi nullum amplius erit peccatum, hortari et excitare debeat. — Praeclara sunt verba Seraphici Doctoris S. Bonaventurae: „Ipsa quoque quandoque retardatio proficiendi est via profectus, dum humiliat. Et ideo Deus pie cursum temperat nostrum, ut longius procedat, et per hoc melius a superbia defendimur; quia saepe nimia proficiendi securitas, et fervor continuatus vires corporis exhaurit” ¹⁾. Et illa V. Blossii ²⁾. „Quia et excellentissimi Apostoli et amici Dei ipsas quidem virtutes omnes volebant, atque appetebant seu desiderabant optimo et supremo modo perficere, sed hoc in ista vita sine aliqua imperfectione praestare non poterant. Unde et dicebant: „In multis offendimus omnes” ³⁾. Itemque: „Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est” ⁴⁾. . . . „Plerumque et in electissimis amicis suis aliquid semper vitii Deus permittit considerare; et ut plurimum ad iram et vehementiam proniores sunt, quae et sibi ipsis innotescant et aliis: atque per hoc gratia sua, quam illis infundit, velut ignis sub cineribus occultetur et conservetur. . . . Nec est, quod inde terreantur Christi servi; modo in suum se nihil amplius demittant, et se ipsos penitus cognoscant, facile in defectibus mederi poterunt, fietque, ut deinceps cautiores fiant” ⁵⁾. Pariter lectu meditatueque digna sunt, quae venerabilis Thomas a Kempis scribit: „Animaequior esto, et ad majorem sustententiam accingere. Non est totum frustratum, si te saepius percipis tribulatum et graviter tentatum. Homo es, et non Deus, caro es, et non angelus. Quomodo tu posses semper in eodem statu permanere, quando hoc defuit Angelo in coelo, et primo homini in paradiso? Ego sum, qui moerentes erigo sospitate, et suam cognoscentes infirmitatem ad meam perveho divinitatem” ⁶⁾.

V. Anxiorum alii timent, ne peccata leviora eos sensim sine sensu ad graviora, tandemque eo deducant, ut poenitentiae agenda non amplius animum advertant, qui proinde animum in bono perseverandi prorsus amittunt, quamvis pro praesenti pietatem serio aspirent.

Hos confessarius doceat dictum „peccata leviora trahere ad graviora” solum spectare leviora ea, quae parvi ducuntur, imo negliguntur et consulto committuntur; si in genere illud valeret, neminem in justitia ad finem usque perseveraturum fore; at vero si ad deliberata quoque pertineat, licitum tamen non esse, Dei misericordiam finibus circumscribere, qui, quum summae malitiae peccatoribus poenitentiae gratiam interdum non deneget, nequaquam patietur, illos in

¹⁾ VII. Proc. Rel. c. 11. — ²⁾ De Consol. pusill. c. 30. — ³⁾ Jac. III. 2.

⁴⁾ I. Joan. I. 8. — ⁵⁾ Tauler c. 16. — ⁶⁾ De Imit. libr. 3. c. 57.

mentem a poenitentia agenda prorsus abhorrentem praecipites agi. Sic eos erigere, et ad quietem componere conetur.

VI. Nonnullis poenitentibus ariditas in peragendis precibus, atque animus in religionis exercitiis remissus anxietatis et tristitiae causa existit, quae eo est periculosior, quia etiam devotos Christianos haud raro a bono coepto deficere facit.

In his inquirendum est, an non ipsi mentis aridae et distractae causas praebent, quo obtinente has removeere jubeantur. Rebus vero aliter se habentibus edoceantur, virtutem eorum ideo merito coram Deo non destitui, atque Dominum solatium denegantem ipsorum patientiam tentare et amorem. Vide §. 248 regulas in desolatione interna tenendas. Quantum ad illos, qui in precibus persolvendis scrupulis anguntur perpetuis, num debitam adhibuerint attentionem, severe prohibeat, a) ne quidquam repetant, sive bene sive male recitasse sibi videantur, sed morem potius mulierum fila girgillo deducantium aut convolventium sequantur, quae si forte filum abrumpatur, non propterea priora fila deducunt aut convolvunt, sed initium abrupti fili quaerunt, et ab eo laborem denuo auspicantur. b) Inculcet porro, ut omnem abjiciant *anxietatem*, qua, ne distracta oreat mente, continuo timent; ipsa enim apprehensio et timer in causa sunt, quo minus bene precari possimus. Idque eo magis, c) quum certum sit, veram orationis devotionem, quemadmodum vera virtus in continua pugna cum malo consistit, sic aeque pugnam adversus alienas cogitationes necessario importare, has vero in culpam imputari non posse, quamprimum molestae nobis accidunt, et repelluntur, quo earum conscii reddimur memento. Ceterum hujusmodi personis contra evagationes in oratione oriri solitas commendare juvat imprimis *humilitatem* coram divina Majestate, et *fiduciam* in Deo, persuasi, quod qui jubet nos orare, adest auxilio et gratia sua. His jungenda est *diligentia*, qua ante orationem amoveamus omnia, quae in ipsa pati nollemus. Declinate a me omnes cogitationes alienae et extraneae, quia statui scrutari mandata Dei! — Venite omnes simul animae vires, adoremus, et procidamus, et ploremus ante Dominum, quia ipse est Dominus Deus noster, et nos populus ejus et oves pascuae ejus!

VII. Alii se cruciant ob officia futuro demum tempore sibi injungenda, timidique varios fingant casus, in quibus sibi, ut conscientiae satisfacere possint, non satis virium fore opinantur. Christianis talibus solatium feratur exposita doctrina de gratia Dei. Inculcetur eis, bonam, qua nunc gaudent, voluntatem, et modestam sui ipsius diffidentiam effecturam, ut in difficilibus futuris rerum circumstantiis fortiores sint iis, qui sibi ipsi nimium fidunt. Simul in animum eis inducatur, vivida imaginatione periculorum laborumque tali officio adnexorum, eorum vires non nisi frangi. Permittendum profecto non est, ut tales difficiles sibi casus rerum-

que eventus imaginentur; sed monita confessarii aedulo exsequentes, omnem sollicitudinem suam in Deum conijciant: „Ipsi enim cura de nobis est“ ¹⁾).

VIII. Aliis continuo collectandum est cum gravissimis tentationibus, nec liberari possunt; ideo sunt turbati, tristis et pusilli animi. Aequè anxii haerent, utrum peccato consenserint, nec ne.

Quoad primum notanda sunt, quae §§. 245 — 252 diximus. Quoad alterum vero, poenitentibus, qui anguntur, num in pravam cogitationem, v. g. sacrilegam, vel in pravam cupiditatem, uti impuram, consenserint, quosque purae conscientiae admodum studiosos timoratosque cognoverit confessarius, exhibeat magnum discrimen intercedens inter peccati alicujus imaginem repraesentatam ejusque consensum, inter illecebras ad peccandum ipsumque peccatum. Si nihilominus quietem non capiunt, graves vero, vel certas consensus causas exhibere non possunt, persuadere eis conetur, ut sibi affirmanti fidem habeant, hac mentis affectione consensum non habuisse locum ²⁾).

Generatim dum ejusmodi dubia proponuntur, consensus ad peccatum mortale necessarius defuisse supponitur, si a) persona dubitans peccatum odio habet, et firmo constantique conatu declinare solet; b) si pravam cogitationem, vel quidquid acciderit redeunte animo mox exhorruit; c) si, cum peccatum facile patrare potuisset, ab illo tamen abstinuit, nisi fors merus pudor, vel timor infamiae etc. illam retraxerit; d) item si dubitat, utrum vigilans vel sopita, sibi praesens, an vero aliis rebus distenta fuerit. Vicissim qui plerumque tentationi cedunt, aequè fundatum praejudicium contra se sustinent.

IX. Quidam ceterum pii homines interdum ob actionum suarum causas motivas anxii haerent, timentque, ne opera sua externe bona e latente fonte malo, utpote ex superbia, philautia, vanitate etc. proficiscantur.

In his tractandis consultum quidem erit, firmare persuasivum, inter Christianos cuncta non ab externis sed ab intentione cordisque conformatione dependere; animus tamen eis addatur sequentibus expositis: a) nos quamdiu in his terris sumus, continuo aliquo saltem modo in incerto versari, at suiipsius damnationem sine ratione sufficiente ingrati animi in Deum, injustique in seipsum esse; b) eundem eorum timorem ostendere, quantum abhorreant a pravis actionum fontibus. Pergant modo renovare propositum cuncta bona et justa agendi ex solo amore et obedientia erga Deum, atque aperte renuntient impuro cuilibet actionum fonti.

Multa utilia circa tractandos scrupulosos continentur in libro, cui titulus est: *Traité des scrupules*, par Duguet. — Item: *Ueber den inneren*

¹⁾ Psalm. CXXIV. 1. — ²⁾ Cfr. Philoth. P. IV. c. 6.

Frieden, von Ambros von Lombez, weil. Priester des Kapuzinerordens, Professor der Theologie. Aus dem Französischen. 10. Auflage. — Geistlicher Wegweiser für fromme Seelen, von Jos. Carl Quadrupani, Barnabiten. Aus dem Italienischen übersetzt. Wien 1832. — Trost für die Kleinmüthigen, von Blossius.

Mira et insolita confitentis.

§. 260. Ubi poenitentes mira et insolita, quae extraordinaria comparent, puta visiones, ecstases et ejusmodi confitentur; vel prophetica sibi somnia obtigisse asserunt, confessarius, nisi rationes plane singulares occurrunt, generatim nullam ipsis fidem adhibeat, seque hisce narrationibus ne parum quidem commotum ostendat. Sic enim ab errandi periculo remotior erit. Plerumque, qui talia sibi evenisse autumant, ejusmodi sunt, qui multa id genus legerunt, et exinde magno illorum desiderio tenentur, item homines perfervidae phantasiae, atrae bilis, mentis hebetioris vel etiam corporis sive diutinis infirmitatibus, sive per nimias austeritates valde exhausti. Interdum etiam directa simulatio et hypocrisis locum habet. Quae quidem omnia praecipue de sexu sequiori notanda veniunt. Quod speciatim somnia attinet, etiamsi talia saepius divinitus immissa fuerint, ipsa tamen Scriptura sacra iterato ab illorum observatione nos dehortatur ¹⁾).

In casu aliquo singulari, dum e. g. persona humilitate aliisque solidis virtutibus plane insignis et sedatae simul indolis tale sibi visum obtigisse testatur, et si praeclari insuper hujus rei fructus in la observantur ²⁾, negotium cum viris probatis juxta illas regulas serio expendatur, quas solidi auctores Ecclesia suffragante statuant. Generatim spiritualis director non errabit, si dum ei insolita mira exponuntur, ad credendum se potius tardio rem, quam faciliorem praebeat. Et quamvis ea, quorum conscius redditur, sat solida videantur, mature tamen et lente procedat, aliorum, qui magis periti fuerint, consilii utatur, tum vero talem animam diversimode operiri studeat, per obedientiam maxime et humilitatem; scilicet, ut e silice ignem elicias, illam non leniter tractare, potius admoto malybe percutere debes, donec latentes scintillae emicent. Confessarius quoque donum discretionis spirituum supplex a Deo efflagitet, ut possit probare spiritus ³⁾. Et „quia discretio ex lumine coetus infuso paucorum est, ait Cardinalis Bona, . . . ideo alia via discernendi spiritus inquirenda est, quae communior sit et facillior. Illa nimirum, quae per modum artis et doctrinae fit, examinatis motionum principiis et effectibus, perpensis item regulis, quae a

¹⁾ Lev. XIX. 26. Deuter. XVIII. 10. Eccl. XXXIV. 5. — ²⁾ I. Joan. IV. 1.

Spiritu sancto praescriptae sunt in Ss. Scripturis, et quas Ss. Patres allique Doctores ab experientia instructi tradiderunt" ¹⁾.

*Exemplum novissimis diebus prostat in libro de vita et meditationibus Catharinae Emmerich, et in iis, quae de Maria Moerl narrantur.

Criteria ad discernendas visiones.

§. 261. His jam universim praemissis criteria et observationes paucas de visionibus et ecstasibus speciatim subjicere lubet in usum juniorum sacerdotum, quos experientia nihil docuit, idque eo ufagis, quo nostris praesertim temporibus hujusmodi casus extraordinarii haud raro obveniant, et non pauci, quid judicent, haereant, vel nonnunquam captentur et fascinoentur. Dicimus autem I. quoad visiones dari triplicis generis criteria, videlicet a) relate ad visionem ipsam; b) relate ad personam, quae visionem praetendit; et c) relate ad effectus, quos producit visio.

Ad a) sequentia notari merentur: Si visionum argumentum certis fidei morumque principiis repugnet, absque dubio visiones spuriae censi debent; idem obtinet, si quid in illis occurrit, quod impudicum, crudum vel immodestum sit. Sic S. Bonaventura scribit: „Non videtur praetermittendum, quod quidam decepti a seductoriis spiritibus, vel propriis falsis opinionibus, putant sibi apparere in visione vel ipsum Christum, vel ejus gloriosam Genitricem, et non solum amplexibus et osculis, sed etiam aliis indecentioribus gestibus et actibus ab eis demulceri, ut, sicut spiritus ipsorum interiorius ab ipsis consolatur spiritualiter, ita et caro exteriorius sibi congruo oblectationibus sensu sensibiliter demulceatur, et carnaliter consoletur; quod non solum esse falsum et seductorium, sed etiam blasphemia gravis esse comprobatur. Spiritus sancti visitatio, sicut contra omnia vitia reprimenda et detestanda infunditur, ita et singulariter contra carnales illecebras opponitur; et ubi spiritus mundities suo jubare resplenduerit, continuo omnes pravae voluntatis motus evanescere, et velut tenebras subveniente lumine disparere necesse est" ²⁾.

Ad b). Personae, quae in peccatis mortalibus vitam transigunt, merito suspicionem movent, quo minus praetensae visiones coelitus demissae sint, nisi forte Deus ejusmodi homines medio hocce extraordinario ex infinita et inscrutabili miseratione ad virtutis tramitem reducere velit. Quare α) si sint homines elati, visionum cupidi, seseque amantes, (quandoquidem Deus superbis resistit et humilibus dat gratiam) praesudicium contra visiones coelestes haud exiguum adest. β) Si sint melancholici, assiduis corporum aegritudinibus debilitati, facile illos seu delusos misereque

¹⁾ Tract. Prob. spirit. c. 2. n. 6. — ²⁾ VII. Process. Relig. c. 18.

fascinos aestimare fas est, ubi extraordinarii quidpiam sibi obtigisse autumant. In hanc rem Cardinalis Bona praeclare monet: „Consideranda corporis constitutio, ex qua plerumque animi mores pendent. Etenim facile decipi possunt, qui parum firma valetudine utuntur, qui turbidae ac vehementis imaginatio- nis sunt, qui atra bile abundant, quae depravare phantasiam so- let, variasque imagines turbatis sensibus imprimere adeo, ut vigi- lantes sibi somnia fingant, atque ea se videre et audire existunt, quae nec visu nec auditu percipiunt. Ex longa item inedia crebrisque jejuniis ac immoderatis vigiliis, exsiccato cerebro dissipatisque spiritibus, inania phantasmata repraesentantur, quibus illusa mens tanquam divinis revelationibus pertinaciter inhaeret” ¹⁾. Ceterum cum S. Thoma Aq. rectissime monere oportet, „in effectibus supernaturalibus non praexigere Deum aliquam dispositionem, sed posse simul cum affectu spirituali inducere dispositionem convenientem, qualis requiritur secundum ordinem naturae” ²⁾. 7) Praeterea reliqua personae conditio, si non suspicionem, saltem cautionem ingerere potest, quatenus in paupere timenda est fictio, in juvene levitas imaginosa ex nimia illius aetatis humiditate, in nimio sene initium aut progressus delirii ob cerebri debilitatem. Huc spectat Benedicti XIV. P. M. effatum, quo ait: „Magna autem tenenda est ratio feminei sexus, non quod feminis negandae sint coelestes revelaciones, cum forte plures ex eis, quam ex viris eas expertae sint, ut innuunt S. Theresia et S. Thomas, sed propter debilem sexum magis obnoxiae sunt illusionibus” ³⁾.

Ad c). Spuriae censentur visiones, si nonnisi ad fovendam inanem complacentiam, ad superbiam aliorumque contemptum, vel ad solam fere curiositatem inducant, quo vel fit, ut inaniter sibi complacentes coram aliis glorientur, pervicax ingenium et animum omnis corruptionis impatientem ostendant, mystica conventicula frequentet, vel omnino in Ecclesia seditionem moveant. Fructus enim Spiritus sancti teste Apostolo sunt: „Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas” ⁴⁾. In hunc censum etiam cl. Gravina pulchre et vere scribit: „Insuper discutiendum est, an haec asserta dona et charismata cum mortificatione et cruce sint conjuncta, nam si nec antecedenter vel concomitanter, vel saltem subsequenter sint haec invicem connexa, valde suspectae sunt tales revelationes et prophetiae. Fundamentum: quia haec dona dantur ad manifestationem fidei et utilitatem Ecclesiae; fides autem maxime ostenditur super omnia alia signa ex mortificatione et patientia christiana; his

¹⁾ De Discret. spirit. c. 20. — ²⁾ Summ. theolog. 2. II. q. 172. a. 2. — ³⁾ Cfr. Mattheuc. in libr. de pract. Theolog. Canon. ad caus. Beatif. Tit. III. c. 3. p. 2. — ⁴⁾ Gal. V. 22.

enim maxime crevit christiana religio, quibus mundus victus est et conculcatus Ipse fidei nostrae author Jesus Christus, Apostoli, Doctores Ecclesiae, nihil de ejusmodi visionibus praedicarunt, scripserunt, inculcarunt, sed totam christiani aedificii basin in charitate, humilitate, mortificationibus et persecutionibus perferendis collocarunt” ¹⁾. Aliud criterium sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. his verbis adfert: „Apparitiones divinae ab initio timorem injiciunt, postea jucundae evadunt, quod contigit Abrahamo, Jacobo, Zachariae et beatae Virgini Mariae, pastoribus etc. E contra daemoniacae ab initio plurimum alliciunt, semper vero mentem turbatam et aegre affectam relinquunt.” Et S. Antonius Eremita de apparitionibus angelorum. „Horum tanta benignitas est, ut, si quis pro fragilitate conditionis humanae miro fuerit eorum fulgore perterritus, omnem continuo ex corde auferant metum Si igitur post timorem horrore conceptum successerit gaudium, et ad Deum fiducia atque ineffabilis charitas venisse sciamus auxilium quia securitas animae praesentis Majestatis indicium est” ²⁾.

Criteria ad ecstases discernendas naturales et supernaturales.

§. 262. Universim praesumptio stat pro ecstasi naturali, ubi causa naturalis eidem subesse possit, qua tamen de re iudicium est penes psychologiae et medicinae doctores. Criteria, quibus ecstasis naturalis cognoscendam se praebet, praecipue numerantur, a) si ecstasis vel praecedit, vel sequitur morbum, praecipue si illa stato tempore redit. Etenim ecstasis supernaturalis in corpore nociva consectoria haud producit, sed homo, qui divina fruitur ecstasi, cum ad se revertitur, plerumque corpus non imbecillum, quod consequens videbatur, sed validum et ab aegritudinibus assiduis quasi relevatorum experitur. Quae tamen non eo dicta sunt, quo, cum ecstasis locum habet a Deo producta, fieri non possit, ut debilitas et mutatio corporis oriatur ³⁾.

b) Ecstasis inter vitae hujus oblectamenta et delicias mere terrenas orta, naturalis universim perhibetur.

c) Si finita ecstasi spiritus eorum, quae acta sunt, non amplius recordatur, adeo, ut nihil eorum memoria teneat in sereno mentis statu.

d) Multo minus divina esse creditur, si jungitur motibus corporis catalepticis, deformibus crudisque vel omnino immodestis ac impudicis; si ad arbitrium hominis provocari et finiri possit; item

¹⁾ Lap. Lyd. P. II. libr. 1. c. 17. — ²⁾ In vita S. Antonii authore. S. Athanasio. — ³⁾ Cfr. S. Theres. Castell. mans. 6.

si, qui hoc statu versantur, sermones inordinatos, nugas ineptiasque temere effutiant, vel doctrinas tradant revelationi divinae, et rationi sanae contrarias.

E contra pro supernaturali ecstasi militant criteria: a) si suspensio intellectus et voluntatis non consequitur, sed intellectus superno lumine illustratur, et animus divinae charitatis flamma inardescit, quo fieri non potest, ut non defluat sermo plenus spirituali dulcedine et unctione.

b) Si ecstasis durante oratione, devotione erga SS. Eucharistiam, post sumptionem sacrosanctae Communionis, in colloquiis de Deo rebusque divinis suboritur. Uti in S. Theresia, S. Josepho a Cup., S. Thoma a Villanova, S. Catharina Sen. etc. factum fuisse legimus.

c) Christianae perfectionis ardor, qui exinde originem ducit, potius supernaturali, quam naturali ecstasi convenit.

d) Ceterum pro agnoscenda divina ecstasi, inter ea, quae hoc et praecedenti paragrapho attulimus criteria inprimis investiganda erit summa, qua fieri potest, spiritus acie, tota quanta ejusmodi personae indoles mentis et corporis, ut sciatur videlicet, utrum talis sit, quae naturaliter in hujusmodi statum devenire potuerit, an vero talis, quae divina gratia extraordinaria merito digna censenda veniat; idque eo magis, quo certum est, externa indicia et symptomata (si dicere fas est), quae divinam ecstasin comitantur, nunquam etiam in illis reperiri, qui naturali ecstasi aguntur ¹⁾.

Monita S. Philippi Nerii.

§. 263. „Quum B. Philippus, tam ob vitae sanctitatem, quam propria edoctus experientia multam praesefferret cognitionem, et optime sciret veras a falsis visionibus discernere, quotiescunque fere vel speculative aut etiam practice de hac materia tractabatur, communem SS. Patrum doctrinam adferre solitus erat, ordinarie visionibus non esse credendum; et quamquam ipsemet a Deo totantisque illustrationum et mentis elevationum gratiis esset affectus, tamen non delectabatur publicis ecstasibus et visionibus, res has dicens periculosissimas, et gratos sensus spiritualesque consolationes in cubiculo esse quaerendas, maximoque studio celandas.

¹⁾ Vide: Die Mystik von Alois Adalbert Waibel. Augsburg 1834. pag. 167—175. 197—211. — Historisch-politische Blätter. XXI. Band. 4. Heft. S. 202 und 203. — Von der Glaubwürdigkeit der Offenbarung über das bittere Leiden unsers Herrn Jesu Christi, der gottseligen Anna Katharina Emmerich, Augustinerin zu Dülmen. Mit Bemerkungen über den Magnetismus in seinem Verhältnisse zur übernatürlichen Gnadenwirkung Gottes. Von Simon Buchfelner. München 1834. S. Francisci Salesii Philothea. P. III. cap. 2.

Addebat tam bonas quam malas visiones posse etiam eas non optantibus evenire, neminem ideo sibi fidere debere ac si su-
 fieret dicere, eas non opto et sic illusionibus aut malis visionibus non ero obnoxius, ast magna opus esse humilitate, summa resignatione et abnegatione, ne propter visiones Deus relinquatur. Dicebat adhuc difficile esse visionibus frui, et superbia non intumescere, difficilius non credere se dignum, difficillimum se credere indignum, sicuti etiam dulcedinem visionum non anteferre patientiae, obedientiae, humilitati. Subjungebat autem, quod omnino non debeant aestimari visiones illae, quae vel ipsi personae affectae, aut Ecclesiae particulariter universimve non essent utiles; et similiter veras visiones ab initio horrorem et timorem inducere, summa autem in pace ac quiete compositum hominem relinquere, et his contrarios effectus falsis conjungi. Admonebat confessarios, ne fiderent aut inniterentur revelationibus poenitentium, et speciatim feminarum, aliquando enim magno spiritu pollere videntur, at saepissime in nihilum resolvuntur, asseverans multos ruinam esse passos, qui similibus rebus inhærebant. At tamen suos consilio, et aliquando etiam praecepto urgebat, ut omni vi has rejicerent, quin dubitarent, ne sic fors Deo displicerent, quum haec una sit probationum ad discernendas veras a falsis visionibus, ita ut ipsemet concionem habiturus ex cathedra locutus sit in illos, qui nimia facilitate admittunt visiones, raptus, aut ecstases, dixitque: Novi hominem nunc hic praesentem, qui quando-
 cunque vellet, posset in ecstasim abire, Deus enim inter reliquas hanc quoque illi gratiam largitus est, at haec fugienda sunt et occultanda. Cum hoc dixisset et se spiritu rapi animadverteret, omni qua potuit, vi restitit, ne ecstasi abriperetur, at sermonem suum prosecqui non valens, manu percutiens genu ait: Qui ecstases aut visiones optat, nescit quid optat, quod si unusquisque sciret, quid ecstases sint!! lugensque ambonem deseruit et abiit.

Alia vice quum P. Franciscus Bordini de materia ecstasium sermocinatus esset, post ipsum Philippus statim cathedram conscendit, volens prouti dicebat, expositis aliquid adjungere et haec protulit: „Mulierem quamdam sanctitate vitae eximiam cognovi, quae continuis et diuturnis ecstasibus fruebatur, successu vero temporis his eam Deus privavit. Quaeso, quid putatis, quando pluris mulierem illam ego aestimarem, num tempore, quod ecstasibus abundabat, an vero, quo his privata fuit? Absque comparatione majori mea existimatione gaudebat ecstasibus non affecta, quam illis consolata.” Quibus prolatis cathedram relinquens discessit.

Similiter quum illi narratum fuisset, Virgini cuidam ex tertio S. Dominici Ordine saepissima Christum Dominum et continuo S. Catharinam Senensem apparere, ille in similibus quamplurimum expertus reposuit: Mulieres facillime falluntur, at huic dicite, ut

obventibus his visionibus in faciem expuat absque ullo respectu, nulla de illis perfundatur aestimatione, et non solum eas in votis non habeat, sed contemnet. Hanc regulam virgo, semper timens, ne illuderetur, magno cum fructu animae est secuta.

Tandem saepissime in memoriam revocabat illam doctrinam, necesse esse pedibus apprehensos attrahere, qui vellent absque aliis volare, illosque omni vi in terra retinere, ne in laqueum diaboli inciderent, respiciens illos, qui visionibus, somniis et similibus inhiabant, ostendens semper incedendum esse in via mortificationis passionum et humilitatis.

Et quamquam Philippus fere semper, quis futurus esset Pontifex praevideret, nihilominus hoc narrans, quod in urgentissima tantum occasione, vel jocose in familiari colloquio cum quopiam ex suis poenitentibus communicabat, solitus erat admonere, omnino non credendum similibus praedictionibus, nec eas optandas esse, quum sub iis multae deceptiones laqueique daemones possint celari, et maximo cum rigore gerebat se cum illis, qui de habitis revelationibus aut de factis prophetiis illi referebant”¹⁾.

Similia continentur plura in scriptis S. Theresiae Virg. et S. Joannae Franciscæ de Chantal.²⁾

. Cura eorum, qui per visiones delusi sunt.

§. 264. Qui somnia phantasiae pro realibus apparitionibus habent, non raro similes sunt laborantibus quadam idea fixa et ut isti tractandi sunt. Idem fere agendum cum illis, qui tale somnium in se bonum firmiter ac mereatur, pro supernaturali monitione suspiciunt indeque ad fidem ac virtutem christianam impelluntur. Dummodo utantur ad hunc finem, haud multum contradicatur eorum credulitati, sed ceu argumento ad hominem confirmemus eorum bonum propositum. S. Augustinus³⁾. E contra „si unquam Director advertat animam non esse bene fundatam in suae miseriae cognitione et vellet pro certo tenere, quod suae communicationes sint divinae et turbaretur audiendo, quod Director nollet eas credere uti tales, pessimum signum est: signum est, quod illae sint Daemones, ex effectibus, qui observantur, scilicet adhaesionis, superbiae: aut indicium est, quod anima non bene ambulet, quoniam ipsa saltem dubitare deberet, quoties dubitat Confessarius, et ideo in hoc casu omnibus mo-

¹⁾ Estratti della vita di S. Filippo Neri Fiorentino, scritti dal P. Pietro Giacomo Bacci. Prete della stessa Congregazione. Lib. III. c. II. et VI. In Brescia, 1706. — ²⁾ Mémoires sur la vie et les vertus de Sainte Jeanne Françoise de Chantal, Fondatrice de l'Ordre de la visitation Sainte - Marie recueillis par la Mère Françoise — Madeleine de Changy. pag. 480. Edit. Paris. 1842. — ³⁾ De catech. rud. cap. 6.

dis est humilianda et in timore detinenda, quantum fieri potest; e tunc si nec etiam acquiescit, privet eam Communionem et severius mortificet, quia tunc in magno versatur periculo, ne decipiatur a Daemone” 1). Quodsi propterea mutaret Directorem, caveat ne electus, ne fraude circumveniat. Ne tamen quasi ex praesudicio videatur accedentem repellere, primum omnia sibi exponi permittat ac tamdiu animum suum aperire differat, donec vel in narratione vel in moribus istius contumacis animae satis claram rationem deprehenderit prioris Directoris sententiam confirmandi, ut in ore duorum aut trium testium stet omne verbum.

Caput II.

De principiis specialibus ratione habita poenitentium status externi.

Parvuli et pueri.

Momentum confessionis parvulorum et puerorum.

§. 265. Summi momenti munus subit confessarius, dum parvulorum confessionibus se offert excipiendis. Etenim puerili aetate affectus et propensiones animi et adpetitus mali primum moveri incipiunt, et peccata, forsam jamjam enata, nondum habitu et usu corroborata, sed nonnisi animae a natura depravatae surculi sumunt, ex studio, malum, quod vident audiuntque; imitandi proveniente. Quare hac tenera vitae aetate facili vi fons peccatorum occluditur, vis sensualitatis infringitur, cupiditates refraenantur, propensiones ad bonum finem inclinantur, atque veri rectique sensus implantantur. Per gratiam hujus Sacramenti accedentibus monitis et consiliis, quae in sacra confessione accepturi sunt, praeservantur a contagione et servitute peccati, et si gravius eos labi contigit, ex stat peccati tanto citius extrahuntur, quanto facilius eorum animi diriguntur ad pietatem, ad actus religionis et virtutes illorum aetati statui et conditioni proprias; nam quo facilius per aetatem florent possunt, eo magis citiusque ad devotionem formantur per pietatis exercitia, quae illis in sacro tribunali commendantur. Unde longissime abest, ut confessarius confessiones puerorum ceu minoris momenti negotium reputet, ut vel potius omnes ad illud rite obeundum intendat vires, quandoquidem Ipse Christus Dominus, „in quo sumunt

1) S. Lig. Prax. Conf. n. 144.

omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei reconditi ¹⁾, parvulos ad se venientes blande excipere et benigne erudire non dedignatus est. „Sinite, inquit, parvulos venire ad me, talium est enim regnum coelorum” ²⁾. Ex admirabili supremi Pastoris erga parvulos benignitate ac tenero affectu merito colligere est, quantum eos donis suis ac gratis abundantius cumulare desideret, atque invitet, ut sint *sicut novellae olivarum in circuitu mensae suae*: ubi ex adipe frumenti, et de petra melle pasti et saturati crescant gratia, et coelesti sapientia indes magis magisque proficiant ³⁾. Qui in parvulis puerisque ad Christum adducendis, imo et trahendis, illorum confessionibus excipiendis operam navat et industriam, sane opus et maximum et utilissimum aggreditur, ast videbit paulo post fructum laboris sui uberrimum, quia parvuli, quos tanta amoris tenerritudine et ferventi zelo, perfecta humilitate, affabilitate, mansuetudine temperata ad pietatem informat, futuri sunt adultis exemplo, pastoris autem sui consolatio in terris, et corona in coelis.

Aetas.

§. 266. Quando parvuli ad sacram confessionem sint admittendi, non ex aetate sola, sed ex ingenii atque educationis et instructionis perceptae qualitate dijudicandum venit. Consilium Lateranense IV. annos *discretionis* requirit. Verum qualis, et quanta haec sit aetas, non facile ex certo annorum numero definitur, sed ex eo pendet, num eo animi vigore sint, ut discretionis iudicio bonum a malo, et justitiam ab iniquitate dignoscant. Nam cum *voluntarium* sit peccatum, et contra legem, sive in cordibus sive in tabulis conscriptam, perpetretur, ubi neque voluntas est, quae peccatum agnoscat et velit, neque lex, quae illud prohibeat, peccatum utique esse non potest ⁴⁾. S. Carolus Borromaeus docet: „Caveant accurate sacerdotes, ne absolutionem cum Sacramento his praebent, in quibus nec idonea materia, nec ea rationis plenitudo reperitur, ut citra controversiam iudicare possint, eos hujus Sacramenti capaces esse.” Id quod confessarius colligere quiverit *in ipso confessionali* a) ex modo confitendi, si nempe peccata sua satis distincte explicent; secus vero, si nihil per se dicere possint, aut certo non nisi formulas quasdam a parentibus haustas recitent; b) ex modo respondendi, si nempe omnes et plerasque confessarii quaestiones bene percipiant, apteque ad eas respondeant; c) ex modo agendi, quem tempore confessionis tenent.

1) Col. II. 3. — 2) Matth. XIX. — 3) Instruct. past. Episcopi Iprensis an. 1768. n. 49. et 50. Tom. X. p. 616. Conc. Germ. — 4) Cfr. Catechism. Rom. P. II. c. 5. q. 38.

Quodsi vero confessarius animadverterit, parvulum haud sufficienti rationis usu pollere, qui ad suscipiendum Sacramentum, ex parte materiae a poenitente ponendae requiritur, quatenus nullius peccati reum inveniat, injunctis quibusdam precibus, sacra benedictione impertita, eum dimittat.

Agendi ratio cum parvulis et pueris.

§. 267. Quum experientia quotidiana constet, aestimationem et affectum, quem homines in tenera aetate de hoc Sacramento conceperunt, ab iisdem etiam in reliqua aetate retineri, 1. valde laborandum est, ut confessarius magnam de dicto Sacramento aestimationem et amorem pueritiae ingeneret, et modum fructuose illud obediendi doceat, et ab omnibus, quae aversionem ab hoc Sacramento creare possint, absteineat. Hinc in confessione parvulorum excipienda diligenter attendat confessarius, an ante confessionem oraverint, an, dum confessionale intrant, crucem faciant, genua flectant, benedictionem petant, brevem confessionis generalis formulam pronuntient etc. Quodsi in horum aliquo capite eos deficere advertat, suaviter ad haec praestanda hortetur; si vero aut preces aut formulam confessionis omittant, cum intra confessionem tam facile doceri nequeunt, finita confessione eos suaviter admoneat, ut ea deinceps addiscere studeant, et antequam ad confessionem accedant, prius pro remissione peccatorum suorum, gratiaque ad rite faciendam confessionem impetranda pias humilesque Deo preces, quales plerumque in libellis precatoriis vel in fine catechismi reperiantur, offerre assuescant. — Si confessio illorum timida foret, et perturbata, omni suavitate et comitate eos adjuvabit interrogacionibus interjectis, animumque eis addet. Nec falli se patiatur confessarius distincta et bene ordinata peccatorum declaratione, quippe quae saepe numero non ingenii, sed memoriae potius felicitati et efficaciae in acceptis refertur, quum teste experientia peccata offerant, quae minime gentium patrarunt, sed ex sic dicto examinis conscientiae speculo didicerunt.

2. Cum confessarius obligetur ad poenitentem juvandum, si ipse non sit sufficiens sibi ad peccata sua explicanda, talis autem insufficientia in pueris merito praesumi possit, recte facturus est confessarius, si eos *examinaverit*. Hoc tamen examen non prius suscipiendum est, quam ipsi peccata, quae sciverint, explicaverint, et, ut explicant, admoniti fuerint; sic enim paulatim assuescent ipsimet sua peccata explicare, et alia facere, quae poenitentis officium requirit. — Prae ceteris confessarius quaeret, an aliquando confessi fuerint, et *quando?* post hanc quaestionem interrogandi sunt, quid ab hac ultima confessione peccaverint? qua interrogacione peracta, si ipsi peccata sua narrare incipiant, patienter au-

ciendi sunt, nec facile interpellandi. Si vero vel nullum peccatum explicare norint, vel certe non nisi unum alterumve, tunc confessarius aliquot quaestiones formare poterit. Ex. gr. An diligenter die festo audierint sacrum, et sub eo oraverint, an vero garriverint, circumspexerint; — an mane et vespere ante cubitum, ante et post mensam, vel scholam, et ad signum angelicae salutationis diligenter oraverint; — an parentibus obedientes exstiterint; — an non alicui turpia agnomina dederint; — an non rixati fuerint cum aequalibus; — an non hominibus illuserint, praesertim senioribus; — an non mentiti sint; — an domi et in schola diligentes et modesti fuerint; — an diligenter interfuerint catechisationibus, et ibidem sedulo attenderint etc. etc. Saepe etiam interrogandi sunt de rebus ad fidem pertinentibus, saltem de potioribus capitibus, et si nescirent illa, quantum fieri potest, instruendi. Simili modo, si ad Confessionem apti videntur, ast quaerunt, num sacram communionem sumere liceat? poterit examinare, num sciant, quae ad suscipiendum SS. Altaris Sacramentum requiruntur, et si nesciunt, breviter illos instruere, si alioquin ob aetatis et intellectus sufficientiam capaces videantur. — Generatim modum poenitentes interrogandi valde suavem et prudentem esse debere, jam supra Sect. I. §. 95 et 96 monuimus. Sit vero in primis apud parvulos *suavis*, ne, si rigidiorum advertant confessarium, a peccatis suis libere et rite explicandis absterreantur, et ab ipso etiam Confessionis Sacramento noxiam aversionem concipiant; *prudens* vero tum in quaestionibus formandis, ne scilicet, dum nimis accuratus esse satagit, doceat illos aliquid, quod nesciebant, sicque ad petram scandali tenellas animas allidat, et occasionem lapsus praebet; tum in eorum erroribus et defectibus dextere corrigendis.

3. Instructionis et adhortationis materia a peccatis, quorum se accusant, potissimum determinatur, nihilominus tamen plura sunt, quae parvulis in confessione suggerere et inculcare juvat. Ante omnia a) ingenera illis horrorem peccati gravis, quam potes maximum. b) Verbis quibus potes, tenerrimis, quae eorum aetati et viribus ad mensa sint, depinge virtutem, repraesenta illam ut amabilem, amoenam, facilem, utilem tam praesenti in vita per pacem, tranquillitatem, qua fruuntur virtutibus dediti, quam in futura per mercedem, quae illis infinita praeparata est in coelis. Loquere saepius parvulis de gloria coelesti et loco, qui illis in tanta beatitudine ex infinita Dei bonitate et misericordia destinatus est. c) Com-menda illis majorem in modum virtutes eorum aetati convenientes, et in quibus potissimum deficiant, uti sunt: obedientia, affabilitas, veracitas, patientia, mutua inter fratres et sorores animorum concordia, studium orationis, modestia in templo, similiter domi, dum in lectum decumbunt, dum vestes induunt aut exuunt, fuga omnis pravae societatis, studium castimoniae, charitatis erga Deum Pa-

trem, Dei Filium et Spiritum sanctum. Singulariter ingeres charitatem in Jesum Christum Salvatorem, qui pueris benedixit, et ait: „Sinite parvulos venire ad me; et nolite prohibere eos“ qui adeo dilexit nos, ut vitam suam daret pro nobis in mortem. Historia vitae et passionis Jesu Christi plurimum valet ad exhortandos et instruendos pueros. Nec praeterire licet devotionem erga beatam Virginem Mariam, et angelos tutelares etc. etc. Haec veris omnino ita propones, ut, quantum poteris, te ad captum uniuscujusque eorum, quos instruis aut hortaris, accommodes. „Quamvis enim eadem omnibus debeat charitas, non est tamen eadem omnibus adhibenda medicina; ipsa certe Charitas alios parturit, cum aliis informatur, ad alios se inclinatur, ad alios se erigit, aliis blanda, aliis severa, nulli inimica, omnibus mater“¹⁾. Similiter exhortari debet esse *suavis*, ne alias horrorem confessionis concipiant pueri.

Si confiteantur, se patri pecuniam surripuisse, optime facturus est confessor, si quaerat, an etiamnum pecuniam apud se teneant? et si affirmaverint, jubeat illos eandem suo loco aut simili reponere occulte, ex quo putent eam in manus parentum venturam. Si negent, interroget, numquam pecuniae quidquam pro dono accipiant; pro casuposito, eos obliget, si fieri possit, ad restituendum, addito hortamine, ut deinceps abstinere ab hujusmodi furtis.

Continuatio.

§. 268. 4. Quod attinet *contritionem* ad suscipiendum Sacramentum Poenitentiae necessariam, necesse est, ut confessor pueros ad eam eliciendam instituat, cum experientia doceat, pueri subinde nihil minus, quam de dolore cogitare. Omnis autem illorum contritio, si qua dicenda venit, quantum ex illorum mente pendet, mera est sensio transiens, quae, quo facilius excitatur, eo citius labitur. Illam etenim ex intimis animi penetralibus prosilientem vividamque sensationem injuriae Deo illatae, gravem detestationem mali patrat, ac omnimodam spiritus compunctionem, quae verae contritionis essentiam constituit, profecto in pueris haud reperies, utpote qui neque naturam et effectus peccati penitus noscunt, neque sui mundique Dei que cognitionem nacti sunt sufficientem. Quare, qui puerorum confessionibus se offert excipiendis, sedulo admittetur, ut talem in eis excitet dolorem de peccatis, qui ad confessionem requiritur. Modus hic optimus esse videtur, si non simpliciter et nude quaerantur, doleant num de peccatis, sed potius, an diligant Dominum Deum, simulque edoceantur, ut ideo doleant se peccasse, quod tam dilectum Patrem offenderint, item, si doceantur, quo veniant probi et innocentes, et quo mali; et postea subjiciatur, an et ipsi statuam deinceps

¹⁾ Matth. XIX. 14. — ²⁾ S. Aug. de Catechis. rudib. c. 15.

cops vitare peccata, ut veniant in coelum, et non in locum poenarum? Ceterum bene huc spectant, quae author anonymus scribit: „Leichte, flüchtige, oberflächliche Rührung ist in der Regel beinahe alles, was Kluder, wenn sie sich selbst überlassen sind, bei ihrem Leichtsinne vermögen, und womit sie sich auch begnügen. Jenes tiefe lebhaftige Gefühl des begangenen Unrechts, jener mächtige Abscheu vor dem verübten Bösen, jene gänzliche Zerschlagenheit des Geistes, welche das Wesen der wahren Reue ausmachen, sind nicht die Sache solcher unerfahrenen, mit der Natur und den Folgen der Sünde unbekanntem Gemüther, die bisher weder die Welt, noch sich selbst, noch Gott recht kennen gelernt haben. Wer sich also dem wichtigen Geschäfte ihrer Gewissensleitung widmet, muss sich alles Ernstes bemühen, durch Vorstellungen von dem hohen Werthe der Tugend, von der Thorheit und Schändlichkeit des Ungehorsames gegen Gott und seine wohlthätigen Gebethe, von der unendlichen Liebe, mit der uns Gott von Anbeginn geliebt hat, die Regungen der Reue in den Kinderseelen inniger und bleibender zu machen, das Gefühl der Scheu und Schamhaftigkeit zu erhöhen, und die meistens noch guten Herzen der Kinder den Gesinnungen der Liebe gegen Gott und Menschen zu heiligen. Ein Geschäft, das so leicht-nicht ist, und nichts Geringeres erfordert, als dass man sich ganz in die Lage und Verhältnisse jedes Kindes hineinzudenken, sich bis zur Tiefe seiner kindlichen Denkungsweise herabzustimmen, und die zartesten Saiten seiner Empfindung anzusprechen durch das fleissige Studium der Menschenkenntniss gelernt habe“¹⁾.

5. *Res longe facilius est in imponenda satisfactione. Non facile poenitentiam per aliquot dies persolvendam impones, cum vix operari possit, eos illius recordaturos, aut certe sufficientem ejus persolvendae curam habituros esse; hinc praestat, modicam illis poenitentiam injungere, quam post confessionem finitam peragere debeantur.*

6. *Supposito, quod sufficienti iudicio et discretionem parvuli, pro confessione audis, jam polleant, licet per aetatem ad sacram Communionem nondum accedant, absolvendi erunt sacramentaliter, modo peccasse se intelligant, vere caeterantur firmiterque statuunt, se non amplius peccaturos. Est enim sacramentum Poenitentiae institutum pro quibusvis peccatoribus poenitentibus. Nec facile, ut saltem opinamur, incertus haerebis de sufficienti eorum dispositione, quam, si nondum habuere, habebunt, si eos doceas motiva contritionis, et de his affectu tonoque paterno cum eis agas;*

¹⁾ Linzer Monatschrift VI. Jahrg. 1. Bd. Hägelsperger's geistliche Seelenführung im Beichtstuhle. S. 311. — Katholische Blätter aus Tyrol. September-Heft 1846. Nr. 38 und 39.

cor enim illorum tenellum adhuc est, ac propterea undique liberum in timorem et amorem Dei pronum ac flexibile. Nihilominus tam non illorum facilitati suffragamur nimiae, qui absolvunt parvulo quin dispiciant, num de peccatis suis sint contriti, et quin ipsim et eos ad contritionem sufficienter disponant.

Confessio puerorum ad primam sacram Communionem accedentium.

§. 269. Si de aetate, qua ad sacram Communionem pueri admittendi sint, quaeratur, diversa haec in diversis est, prout alii aliis maturius dispositiones requisitas capiunt. Necesse est enim; α) ut sciant discernere hunc cibum sacramentalem ab alio, β) ut credant in SS. Sacramento Altaris contineri et porrigi realiter totum Christum Deumhominem, et non adesse amplius substantiam panis; γ) ut sciant, devote et reverenter Sacramentum esse suscipiendum cum praevio jejunio naturali et confessione sacramentali; δ) ut fide teneant praecipua capita Religionis catholicae. Carolus Borromaeus de hac re scribit: „Qui confessiones puerorum, aut puellarum audiunt, qui jam annos decem vel duodecim numerant, quos proinde aptos ad Sacramentum venerabile Altaris propedum fore existimant, solerter videant, ne vel sua vel parentum negligentia et socordia absque gustu thesauri spiritualis eos patiantur adolescere, quin potius quanto minori cum productione temporis, quamque diligentissime fieri poterit, doceant eos, quae ad hoc Sacramentum percipiendum necessaria sunt, fructusque innumerabiles inde manantes, tum quanta animi demissione ac reverentia; quamque magna conscientiae puritate opus sit.”

Quam primum igitur ejusmodi pueri in sacro tribunali comparent, circa confessionem, per quam proxime ad primam Communionem disponuntur, sequentia notamus:

1) Omnem adhibebit conatum confessarius, ut pueri, quos ad primam Communionem accessuros pro confessione audit, adhortationibus intelligant, ac pro aetate sua sentiant, actionum omnium totius vitae gravissimam esse primam Communionem, tam quia in ea recepturi sunt Dominum omnis Majestatis et Sanctitatis, tum quia Sacramentum fons et scaturigo est multarum et magnarum gratiarum, tum denique quia a prima Communionem multum pendent sequentes Communionem.

Fiat haec Communio cum aliqua solemnitate, quae certe non pueris tantum, sed et aliis parochianis adjumento erit ad eorum erga SS. Eucharistiae Sacramentum reverentiam et pietatem augendam, atque etiam si imminuta fuerit, refovendam.

2) Docebit, quam necessarium sit, ut ad eam bene, et ut oportet, sese praeparent, sincera, et quae corde fit, contrita con-

fessione, renovatione sponsonis baptismatis, oratione ferventi simul et frequenti, exercitio bonorum operum pro ratione aetatis, status et conditionis vitae, et morum in melius commutatione.

3) Denique pueris, qui te duce et magistro primam sacram Communionem adierunt, haec prae ceteris suadebis: α) ut gratias agant Deo pro dono primae sacrae Communionis, et nunquam non magna cum pietate et sollicitudine se praeparent ad sacras Communiones; β) ut alant in se semper et foveant tenerrimum amorem in SS. Eucharistiae Sacramentum, adeo ut saepius Ecclesiam adeant, in ea Illud adorent, et propter Ejus praesentiam singularem in templo prae se ferant modestiam; γ) ut, quoties adeunt Ecclesiam, sive officii divini causa, sive Deum ibi adoraturi in Eucharistia praesentem, spiritualiter communicent; δ) ut meminerint saepius eorum, quae occasione primae sacrae Communionis Deo promiserunt, eaque repetant et renovent; ϵ) ut anniversarium primae sacrae Communionis diem quovis anno, et multa cum gratiarum actione celebrent.

Adolescentes et Juvenes.

§. 270. „Quid majus, exclamat S. Chrysostomus, quam animis moderari, quam adolescentium mores fingere? Omni certe pictore, omni certe statuario ceterisque hujusmodi hominibus excellentiorem hunc duco, qui juvenum animos fingere non ignorat”¹⁾. Huic jam fini, qui in veram pietatem christianam tendit, promovendo plurimum conferri in sacro confessionis tribunali, adeo in concessis ponimus, ut, quo saepius adolescentes et juvenes pro confessione audiantur, eo tutius eorum bono et saluti consultum iri arbitremur. Et quidem a) frequentiori confessione a teneris assuescunt Sacramento Poenitentiae, tam utili quam necessario; quo enim quisque in adolescentia confitetur rarius, eo in aetate provectori abhorret magis a confessione, potissimum frequentiori, uti docet experientia. b) A peccati habitu praeservantur, si enim pro imbecillitate labantur, tanto citius per confessionem resurgent, quo frequentius accedunt ad sacrum tribunal, neque peccatum abire potest in consuetudinem et habitum, qui non rumpitur, nisi difficillime, et ardua de se victoria. c) Virtuti et devotioni, quae aetate juvenili facile discitur et exercetur, insuescunt, et continuo exercitio firmantur, quatenus religiosas veritates non tantum repetet et inculcabit confessarius, sed emergentibus casibus applicabit. d) Quo frequentior est adolescentium confessio, eo confessarius amplius sibi devincit eorum animos; sentient illi se amari et tractari animo et affectu plane paterno, et propterea omnem in confessario repo-

¹⁾ Hom. 60. in Matth. XVIII.

nent fiduciam, ejusque monita, consilia, adhortationesque suscipiant cum docilitate, et exsequantur eum alacritate.

2) Specialiter vero adolescentibus et juvenibus commendare debet confessarius, a) ut ingenuo amore prosequantur parentes, quo agnoscant, vitam et omnia, quae habent, post Deum ipsa se debere, atque adeo, ut se gratos exhibeant, studiose caveant, quid quid ipsis displicere possit, omne autem, quod placere, recreare et consolari illos queat, sedulo exsequantur; — ut ipsis exhibeant interne et externe filialem reverentiam, quam Deus toties commendavit: „Honora patrem tuum, et matrem tuam, ut sis longaevis super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi” ¹⁾. Gravissimi ponderis officia sunt, ut senio confectis parentibus, infirmitate, vel quocumque adverso casu laborantibus, piam commiserationem, solatium atque promptum auxilium impendant juxta illud: „Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illius, et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in virtute tua” ²⁾. Immo sacerrimum hoc vinculum ne morte quidem abrumpitur, unde eorum memoriam jugiter tenere, monita et voluntatem ultimam exsequi, et per continuata suffragia Deo defunctorum animas commendare debent. b) Ut juxta doctrinam Salomonis, meminerint Creatoris sui diebus juventutis suae, antequam veniat tempus afflictionis, appropinquent anni, de quibus dicant: „Non mihi placent” ³⁾; sique cum Tobia juniore ab infantia timere Deum discant ⁴⁾. c) Ut juxta exemplum Christi studeant non tantum aetate, sed etiam sapientia (aut aliis artibus in reliquam vitam servituris) et gratia coram Deo et hominibus proficere. d) Ut in hunc finem libenter se subjiciant disciplinae parentum et instructorum suorum ⁵⁾, quemadmodum iterum exemplo suo docuit Christus, qui de se hoc unum a duodecimo usque ad trigesimum annum scribi voluit, quod fuerit subditus illis, et profecerit sapientia et gratia, quasi significare voluerit, hanc obedientiam praecipuum esse medium, quo adolescentes et juvenes uti debeant ad optatum profectum in variis artibus, scientiis et virtutibus faciendum. S. Ambrosius officia adolescentium ita describit: „Est adolescentium honorum, timorem Dei habere, deferre parentibus honorem, habere senioribus reverentiam, castitatem tueri, non aspernari humilitatem, diligere clementiam et verecundiam, quae ornamento sunt minori aetati. Ut enim in senibus gravitas, in juvenibus alacritas, ita in adolescentibus verecundia velut quadam dote commendatur naturae” ⁶⁾.

3. Inter virtutes autem statui juvenili imprimis commendandas *castimonia vitae* etiam atque etiam non semel, sed iterum iterum-

¹⁾ Exod. XX. 12. Cfr. Tob. IV. 3, 2. — ²⁾ Eccli. IH. 14. seq. — ³⁾ Eccle. XII. 1. — ⁴⁾ Tob. 10. IV. 2. — ⁵⁾ Col. III. 20. Prov. I. 8. IV. 1. etc. Eph. VI. 1. I. Cor. III. 4. — ⁶⁾ De Off. libr. I. c. 17.

que inculcanda est, ita quidem, ut non solum summis laudum encomiis efferatur, verum etiam demonstretur gravitas huic virtuti oppositi peccati, et periculi ex eo imminentis, puta impudicitiae et mollitiei. Hoc enim omnium peccatorum difficillimum est, quia coram est semper, et in promptu peccati hujus materia et occasio. Faciem omnium peccatorum non immerito appellaveris hoc vitium. Utinam a confessario mala tam diligenter considerentur, quam sciuntur et aguntur a juvenibus ¹⁾!

Consideratu digna sunt, quae Illustrissimus Episcopus Joannes Sailer de officiis adolescentium et juvenum scribit ²⁾.

„Pflichten der Jugend, des aufblühenden Alters, sind:
1. Sicherung der Schamhaftigkeit, der kindlichen Unschuld, der schönen Kindlichkeit; **2. Beherrschung** der erwachenden Neigungen zur *Freundschaft* und *Liebe*. Liebe und Freundschaft haben vielleicht unter allen Neigungen am meisten *blendenden* und *verführerischen* Schein, und üben diese Uebermacht des Scheines vorzüglich an dem blühenden Alter aus. Das Bedürfniss sich anzuschliessen an gleichgesinnte Altersgenossen befreundet gar sehr, und das Bedürfniss zu lieben und geliebt zu werden, das mit der erwachenden Geschlechtsneigung erwacht, zieht mit ungekanntem, schwerwiderstehlichem Zuge an. Da nun gerade in diesem Alter die sinnlichen Triebe gewaltig hervorbrechen, da unter den sinnlichen Trieben vorzüglich die Triebe zur Freundschaft und Liebe sich mit Uebergewalt ankündigen; da beiden Trieben am meisten Leichtsinns und Unverstand eingeboren ist; da beide mit dem Zauber der *Einsbildungskraft* kunstreich zu spielen und mit diesen Kunstspielen zu behörden verstehen: so ist die Beherrschung der beiden Neigungen zur Freundschaft und Liebe eine besondere, und wohl die schwerste Aufgabe des zarten Alters. — Bei frommen, keuschen Jünglingen verkleidet sich die Geschlechtsneigung manchmal in Liebe zu ihres Gleichen. Der unbekante Trieb erscheint anfangs als *Freundschaft*, und offenbart erst später seine *Tücke*. Deshalb haben weise Vorsteher in Erziehungshäusern, überzeugt, dass der unbewusste Zug, der Knaben mit Knaben verbindet, die schlafende Geschlechtslust aufregen, und grosse Verwüstungen anrichten kann, diese sogenannten *amicitias particulares* nie aus ihrem wachenden Auge gelassen.“

Habita igitur occasione studiose inculcet confessarius, nullam causam esse pudoris ad reticendum, cum sciat infirmitatem hominum, et obligetur strictissimo silentio, et tanto pluris eos aestimaturus sit, quanto majori confidentia erga eum utentur, e contra si reticeant, nihilominus toti mundo manifestandum in extremo judicio

- ¹⁾ Cfr. Stapf, Erziehungslehre p. 288. — ²⁾ Handbuch der christl. Moral III. Bd. §. 135. Grätz 1818.

et cum aeterna damnatione. Inprimis etiam monendi sunt, ut primas tentationes aperiant pro intelligendis mediis illas superandi: natura enim incipit in illa aetate se commovere, et quandoque faciunt aliqua, primo nescientes esse peccata, sed inducto pessimo habitu difficillime emendantur. Non minus eos edocere oportet, ut pravos socios fugiant tanquam veros daemones emissarios et pestem omni boni, propterea nec sint alicui nimium familiares, eo quod nimia familiaritas, etsi bono fine inchoata, frequenter degeneret in multos abusus. Nihil isti aetati magis utile, quam frequens confessio.

4. Si confessarius advertat, quod quandoque accedunt ad alium confessarium; permittat, nec ullo signo ostendat sibi displicere, quia melius est sic, quam sacrilege confiteri; attamen tanto diligentius eis invigilet, quando redibunt. Si autem tales ab alio confessario clam ad se veniant, audiat ista vice, sed conetur disponere, ut se aperiant suo confessario (dummodo nil in oppositum premat), neque enim est melior, imo vix est alius modus conservandi innocentiam, aut emendandi ipsos, quam si uno utantur confessario, et ejus consilia sequantur. Sapienter dicit S. Carolus Boromaeus: „Si quem confessarius deprehenderit, qui sine ratione legitima confessarium suum deserat, conetur eundem, peropportune reducere. Quemadmodum enim medici, qui naturam temperamentumque corporis in infirmis perspectum habent, non facile permutar solent, quod morbis necessaria facilius invenire remedia norint, sic neque videntur poenitentes nisi magno delectu a Medicis suis discedere debere, cum ii melius animarum vulneribus adhibere opportuna ac utilia instituta possint”¹⁾.

Caute autem procedendum cum adolescentibus et juvenibus quae enim vident vel audiunt, observant diu, narrant aliis, de his ipsimet postea prudentiores judicant: major cura habenda est, ut satisfiat iudicio, quod habebunt, quam quod nunc habent, nec plus eis dicendum, quam pati possis resciri ab aliis. Etiam invitis ingerenda sunt pia documenta et monita; sunt enim semina, quae si non jam, postea tamen fructum dare poterunt.

Quodsi confessarius rogetur a poenitente adolescente, ut consilium praebeat de vitae statu eligendo, valde cautus sit ac prudens, ne culpa sua causa existat infortunii terreni vel nonnunquam spiritualis ruinae. Eum vero, qui elegerit statum legitimum videtur, inprimis si fuerit status clericalis, ad vocationem suam executioni mandandam juvet, quem in electione direxerit. Itaque ante omnia studeat, ut scopum statui illi quem eligit proprium, bene agnoscat, subinde ut vitia, si quae contraxit, consuetudinesque illi statui valde contrarias mature eruere, ut contrario virtutes eidem magis convenientes comparare satagat, tandem ut difficultates, quae occurrere in statu electo plerumque solent, maturae praevideat, atque ad eas genere superandas salutaribus remediis armisque animum communiat.

¹⁾ In Instr. Past. P. II. c. 6.

Senes.

§. 271. Dum senes sacro tribunali se sistunt, singularem eis exhibebis affectum, seniori aetati debitum. Verum non negliges convenientem subjungere adhortationem, sed praecipue sequentia commendabis. 1) Ut, quoniam juxta commune proverbium senibus mors a januis est, illam Ezechiae olim ab Isaia dictam sententiam sibi applicent. „Dispone domui tuae, quia morieris” ¹⁾, atque adeo rationes suas per sinceram et frequentem contritionem ac confessionem etiamque poenitentiam ita componant, ut ad easdem reddendas per mortem evocati intrepide compareant. 2) Ut illam quoque vocem: Ecce, sponsus venit, exite obviam ei ²⁾, sibi dictam putent, adeoque mature cum virginibus prudentibus lampades suas oleo bonorum operum et praecipue misericordiae tam vivis quam defunctis exhibitae, instruere studeant. 3) Ut, cum eorum vita sit in speculo posita, et facta eorum sint quasi perpetuum consilium et exemplum Juniorum, ita vivere studeant, ut nullam senectuti suae maculam et execrationem conquirant, sed potius senectute sua digni appareant, ut olim Eleazar ³⁾ loquebatur, et cum Tobia seniori reliquum vitae suae gaudio consumere, et cum bono profectu timoris Dei in pace peragere queant ⁴⁾. Exomologesis generalis senibus *suadenda* est, quodsi nullam adhuc fecerint, ut securiores moriantur.

Feminae.

§. 272. Circa confessiones mulierum in genere observare debet confessarius, ne magis inclinet ad mulierum confessiones excusandas quam virorum. Id enim S. Xaverius jam pridem docuit, dicens: „Et quoniam foeminae plerumque multum negotii facessunt, tum eis haec tenenda maxime est cautio, ut viros Christo adjunctos impensius excolas, quam eorum uxores. Nam cum natura constantiores sint viri, et ab eis domestica pendeat disciplina, rectius profecto apud eos atque utilius opera collocatur. Recte enim Sapiens: „Qualis est, inquit, Rector civitatis, tales, qui habitant in ea.“ Et simul multae offensiones sermonesque, qui oriri solent in foeminarum familiaritate, vitantur.” Caveat omnium quidem mulierum, sed praecipue earum, quae aetate, statu, conditione periculosiores sunt, familiaritatem in confessionibus audiendis, utpote quarum ex consuetudine plerumque aut fumus sequitur aut flamma. Saepe amor spiritualis transgredi solet limites suos et fieri carnalis, et optimum vinum in fortissimum converti acetum. Atque etiam ideo S. Xave-

¹⁾ Isai. cap. XXXVIII. — ²⁾ Matth. XXV. 6. — ³⁾ II. Mach. VI. —
⁴⁾ Tit. II. 2. 3.

rius, teste Turselino, „quoniam in familiaritate mulierum ferminus plus periculi est, quam emolumenti, magnopere author erat confessarius, ut in confessionibus, in colloquiis, in congressibus earum in reconciliatione cum conjugibus cauti essent, intentique ad suspensiones rumoresque horum, et non tantum ad culpam crimenve vitandum ¹⁾. Saepe videtur esse charitas et est magis carnalitas. Igitur nautarum instar diligenter det operam confessarius, ut animae suae navis bene sit solida, et ita munita, ut nulla sit rimula, per quam vel guttula aliqua sensualis amoris ad aliquam mulierem intrare possit.

In ipsa confessione tria specialiter observanda sunt: a) *Locus*, ut scilicet, quantum fieri potest, in loco semper patente, et ad crates audiantur ejusmodi confessiones. Vespertiliones et noctuae in tenebris praecipue suis tentationibus homines incautos infestant. Christus cum muliere Samaritana in patente loco et aperto campo versabatur. b) *Tempus*, ut scilicet breviter eas, maxime si frequentius confiteantur, expediat, ideoque longas et ad rem non pertinentes narratiunculas, prolixas adhortationes et curiosas magis quam salutare quaestiones studiose devitet. Sicut is, qui a pice coinquinari non cupit, necesse est, ut eam non tamdiu in manu teneat, donec incalescat et manum commaculet, ita qui a muliebri sexu inquinari horret, omni studio cavere debet, ne per longiorem confabulationem affectus incalescat, et corda utriusque sic conglutinet commaculetque, ut et difficulter a se avelli, et macula contracta non nisi cum magno labore deleri queat. c) *Modus*, qui in eo praecipue consistit, ut mutuus aspectus fugiatur, et in ipso confessionis progressu severum se potius, quam familiarem ostendat, in universum tamen paterna quaedam et spiritualis gravitas in eo eluceat.

Virgines.

§. 273. His praeprimis confessarius inculcet:

1) Ut agnoscant beneficium, quod ipsis contulit Deus, dum pro sponso terreno se infinites pulchriorem, nobiliorem, ditio- rem, sapientio- rem, sanctio- rem et amabilio- rem in sponsum obtulit. 2) Ut juxta monitum S. Pauli cogitent, quae Domini sunt, ut sint sanctae corpore et spiritu ²⁾; praecipue vero orationi et familiaritati cum coelesti sponso suo studeant, atque omnes cum eo adversitates libenter fortiterque excipiant. 3) Ut meminerint, se thesaurum virginitalis suae in vasis fictilibus et fragilibus portare, atque adeo omnes occasiones, in quibus periculum amittendi illum apparet, studiose decli-

¹⁾ In vita ejus libr. 7. c. 17. — ²⁾ 1. Cor. VII. 34.

nent¹⁾. Quare doceat eas, a) vel occultam superbiam fugere, ob quam Deus nonnunquam permittit lapsum in peccatum castitati contrarium; b) et ipsam iram evitare, quod ea sanguinem accendat carnemque commoveat; c) et otium fugere, quod carnis motibus portam aperiat; d) ac denique omnia loca et personas devitare, ex quibus virginitatis nitori obscuritas aliqua accedere possit. 4) Virginitatibus imprimis suadenda *obedientia* et humilitas. Qui optime superioribus obedit, facile et huic obedit caro. Quamprimum protoplasti Deo obedientiam denegarunt, etiam caro spiritui amplius obedire recusavit. Custos virginitatis charitas, locus custodis humilitas. »Virgines, scribit S. Caesarius, quae integritatem corporis Deo auxiliante custodiunt, totis viribus cum Dei adjutorio laborare contendunt . . . diaboli venena respuere, invidiae *superbiaeque* morbum quasi hostis gladium pertimescere, *obedientiam* humiliter custodire, numquam senioris praecepta contemnere, lectioni et orationi insistere²⁾. 5) Juvabit quoque proponere exempla SS. Virginitatis, imprimis autem illud beatæ Virginis Mariae: quam corde fuerit humilis, quam verbis gravis et parca, quam modesta facie corporisque totius compositione, quam intenta operi, quam Deo conjuncta; honeste quidem vestita, mentis autem sectans pulchritudinem, quam in virtutibus, quibus homo Creatori suo assimilatur, vitam esse noverat.

Quoad puellas vero, quae virginitatem suam Jesu Christo consecrare cupiunt, non facile confessarius eis permittat castitatem perpetuo vovere, sed attendita earum indole et probitate concedere potest, ut castitatem per aliquod definitum tempus, vel adjecta rationabili conditione voveant.

Viduae.

§. 274. Viduis quatuor suadere debet confessarius virtutes:

1) Insignis vitae honestatem et integritatem; cum enim jam inuptae sint et ipsum Christum pro sponso habeant, merito juxta monitum S. Pauli³⁾, ea ornamenta quaerere debent, per quae ipsis placeant ejusque amorem facilius sibi concilient. Hanc enim forte ob causam etiam Deus illis virum eripuit, ut S. Melania agnovit, quae, cum maritum mortuum extulissent, Deum laudavit, eique gratias egit, quod hoc impedimento ablato occasionem ei praeberet perfectius ipsi serviendi.

2) Constantem ad Deum fiduciam; quem in finem proderit ipsis ostendere, quantam curam semper viduarum habuerit, et ha-

¹⁾ Eccles. XXI. 2. Prov. VI. 27. I. Cor. XV. 33. — ²⁾ Cfr. Die christliche Jungfrau, wie sie sein soll, und es werden kann. Von Georg Maurer, Subregens des bischöflichen Clerical-Seminariums. Augsburg 1823. —

³⁾ I. Cor. VII. 34.

biturum se promiserit Deus. Inprimis dum dixit: „Viduae et pupillo non nocebitis, si laeseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem, et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio” ¹⁾. Deinde apud Jeremiam: „Relinque pupillos tuos, et ego faciam eos vivere, et viduae tuae in me sperabunt” ²⁾. Sed et David ³⁾ testatur, quod pupillum et viduam Deus suscipiet, ideoque „Patrem orphanorum et viduarum” Eum vocat ⁴⁾. „Licet enim, ait S. Chrysostomus ⁵⁾, maritum non habeat, vidua tamen secum Christum habet, a quo universa, quae ingruant, mala propulsentur. Sufficit enim, dum injuriis venatur vidua, ut introeat, genu flectat, acerbe ingemiscat; ejusmodi enim sunt arma viduae, lacrymae, gemitus ac preces assiduae.”

3) Assiduum orationis studium. Sic enim S. Paulus monuit dicens: „Quae vero vidua est et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus et orationibus nocte et die” ⁶⁾. Ita exemplo suo docuit Anna prophetissa, de qua S. Lucas testatur, quod non discesserit de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens die ac nocte.

4) Prudentem charitatem erga liberos et domesticos, qua tum necessaria illis providere, tum in pietate et timore Dei eosdem educare satagant; ut ipso quoque jure illos cum S. Tobia sic alloqui possint: Nolite timere, filii mei, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene” ⁷⁾.

Moniales.

§. 275. Ad confessiones monialium excipiendas specialis approbatio et jurisdictio Episcopi ordinarii requiritur. Cfr. §. 42. Quam penitus autem et fructuosius has personas regere possit confessarius, tum ea, quae ad ipsam status religiosi perfectionem spectant: tum ea, quae ad propriam cujusque Religionis vocationem pertinent: bene cognoscere studeat, eumque in finem libros asceticos de hac materia scribentes, item earum regulas et constitutiones crebro et accurate evolvat; confessarii enim est, ut eas et ad perfectionem christianam, et in specie ad perfectam votorum et regularum suarum observationem hortetur. Huc spectant, quae supra, de perfectione christiana diximus. Nitendum vero maxime est illis, ut in humilitate indies proficiant, nam laudabilis est virginitas, sed magis necessaria humilitas. Ubi humilitas, ibi charitas, corporis animaeque puritas, patientia aliaeque virtutes, quibus ad coelestes aeternae delicias aspirent oportet, oleum misericordiae semper secum haben-

¹⁾ Exod. XXII. 22. — ²⁾ Jerem. XL. IX. 11. — ³⁾ Psalm. CXLV. —

⁴⁾ Psalm. LXVII. 6. — ⁵⁾ Serm. 29. in illud: Vidua eligatur. —

⁶⁾ I. Tim. V. 5. — ⁷⁾ Tob. IV. 23.

es, ut, cum venerit sponsus, intrent ad nuptias cum eo ¹⁾. Si affectant quaerelas contra eas personas, quibuscum vivunt, hortetur, ut sequantur S. Catharinam Sen. quae, utlevius ferret vexationes parentum et domesticorum, Christum Dominum in parente, beatam Virginem Mariam in matre, in reliqua familia Apostolos sibi imaginabatur et reverebatur — Si nimium angantur ob defectus quotidianos, inde occasionem sumat illis ostendendi felicitatem suam: si enim in Religione, ubi tot suppetunt media salutis, tam frequenter abantur; quid non fuisset futurum in seculo, ubi tot occurrunt pericula Deum offendendi? Simul moneat, ut meminerint conditionis humanae, atque in memoriam illis revocet illud S. Aloysii: „Nimium de levibus et quotidianis erratis affligi, indicium hominis esse semet ignorantis.” Hinc ille adversus errata quotidiana hanc orationem adhibebat: „En mi Domine! quam fragilis sum, et miserabilis! Ignosce, mi Jesu, et gratiam concede, ne idem peccatum committam.“ Et tum quiescebat ²⁾.

Ceterum fatendum est, magna opus esse intelligentia et prudentia multa, a) ne confessarius aut sibi, aut alteri parti ullam molestiam ullumque periculum aut noxumentum creet. b) Ut in responsis dandis non sit praeceptis nimis. c) Ut nulli se nimis familiarum, nec uni potius, quam alteri faventem ostendat; quia ex utraque hac doctrina neglecta grandia pericula, perturbationes, aversiones oriri solent. d) Ut in confessionibus audiendis nullum impatientiae et taedii signum exterius ostendat, hoc enim non parum imminueret confidentiam, quae tamen ejusmodi personis summe necessaria est, utpote quae unicum fere refugium ad confessarium habent, quo si priventur, non aliter ac oves pastore suo destitutae sunt, expositae variis angoribus et tentationibus. e) Ut non inordinate turbetur, si et gravia ab ipsis patrata animadvertat; memineat, quo ardentius Deo servire incipiunt, eo vehementius ab hoste infernali oppugnari, atque ad lapsum impelli; quare commiseratione magis, quam indignatione, auxilio magis, quam reprehensione dignantur ³⁾. f) Ut non facile antiquas consuetudines immutare, aut ovas introducere velit. g) Ut intra limites confessarii, cujus est ministerium saluti et perfectioni invigilare, arcte et pertinaciter se contineat, nec aliis domesticis negotiis sese absque causa et necessitate immisceat. Superioris authoritatem nunquam non salvam et incolumem tueatur ⁴⁾.

¹⁾ Matth. XXV. 12. — ²⁾ Cfr. De tristitia et moerore affectis item de scrupulosis. — Raineri Sasserath. Neo-Confessarius. Colon. Agripp. 1781. p. 324. — ³⁾ Cfr. S. Joan. Franc. de Chantal: le trésor du Chrétien liv. II. 24. — ⁴⁾ Cfr. Synod. Osnabrug. anno 1628. P. III. 3. de sanctimonial. confessor. n. 16. — 20. Conc. Germ. Tom. IX.

Confessarii Monialium aetate sint proveci, prudentes, doctrina et vi spirituali conspicui, ab Episcopo singillatim pro Monialibus approbati, quique non sint alterius Monasterii Confessarii. Exemptis Monasteriis deputantur Confessarii a Superioribus Regularibus, ab Episcopo: Triennium approbati. Non exemptis dare confessarios regulares non licet, nisi ex defectu idoneorum Sacerdotum secularium.

Post triennium confessarius mutetur, nisi episcopo facultas sit, concessente maiori parte vel toto coetu, priorem secunda vel etiam tertia vice approbandi iis in locis, ubi sacerdotes idonei deficiunt. Qui cessavit, permittatur accedere ad Sanctimonialia.

Verendum etiam est, ne praeposterus in confessione metus et pudor quando in monialibus efficiant, ne illae coram ordinario suo confessa conscientiam suam plane exonerent. Unde a Concilio Tridentino ¹⁾ in parte indultum, ut alius extraordinarius confessarius illis bis aut ter in anno offeratur; id ne a confessariis monialium ordinariis tanquam potestatis derogatorium negetur aut constringatur, cum expediat et saepius hanc potestatem cum Superiorum licentia facere, et libertatem aliquam salutarem ad alia mala praecavenda hac in parte permittere perspicuis argumentis angi conscientias animadvertant.

Haec oblatio confessarii extraordinarii bis vel ter in anno (juxta praescriptam communem omni trimestri) praestari debet etiam aliis mulieribus, sive regularibus sive secularibus, collegialiter degentibus, quae unicum habent confessarium ²⁾.

Confessionalia debent amoveri a Sacristia aliisque locis occultis et constitui, ut evitetur omnis aspectus Confessarii et Monialis.

Confessarius monialium tam ordinarius quam extraordinarius minime ingrediat septa monasterii, nisi ad Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et extremae Unctionis ministranda monialibus vel aliis personis infirmis ibi degentibus, nec non ad commendandam animam agonizantium ³⁾.

Omnes confessarii in monasteriis monialium non excipiant confessiones sacramentales monialium aegrotantium, nisi janua cellae, in qua morantur, aperta; assistant etiam aliquae moniales, ita tamen, ut videre quidem possint tam aegrotam quam confessarium, non autem audire loquentes ⁴⁾.

Monita generalia pro perfectione monialium.

§. 276. 1. Collocare omnem fiduciam suam in Deo et omnino diffidere de se suisque bonis propositis. Masculinum propositum vincendi et vim sibi datis occasionibus inferendi. Ait S. Theresia: „Si defectus non procedit a nobis, ne timeamus, quod Deus se a nobis tineat ab impertiendo nobis auxilio ad nostram sanctificationem.”

2. Cavere a quocunque minimo defectu deliberato, sive aperte oculis commisso. „A peccato deliberato, inquit eadem Sancta, quantumvis parvo, Deus vos liberet.” Subditque: „Daemon enim per opera minimarum rerum aliqua facit foramina, per quae res magnae ingrediuntur.”

¹⁾ Sess. XXV. cap. 10. de Regular. — ²⁾ Bened. XIV. Const.: *Pastoralis curae*. 5. Aug. 1748. — ³⁾ Alex. VII. Const. *Felici* 5. 9. — ⁴⁾ *Epist. circularis S. Cong. Episcoporum de modo in excipiendis confess. monialium aegrotantium*. Romae. 21. Mart. 1682.

3. Non tristari post admissos defectus, sed cito se humiliare, et ad Deum confugiendo cum brevi actu contritionis, et proposito se in pace remittere; et ita semper se gerere, etiamsi pluries in die quis caderet. Et in hoc monet S. Theresia, ne communicentur propriae tentationes animabus imperfectis, quia ita et sibi et aliis damnum affertur.

4. Alienare se ab omnibus propinquis, rebus, voluptatibus; etenim inquit S. Theresia: „Anima non recedendo a voluptatibus mundanae, non post multum, denuo recedit a via Dei.” — Effugere familiaritatem personarum diversi sexus, quantumcumque fuerint religiosae; saepe enim hac ratione affectiones non purae obtruduntur pro spiritualibus. Oportet ante omnia renuntiare propriae aestimationi et propriae voluntati, imo et rebus spiritualibus, ut Orationi, Communioni, et mortificationibus, quando haec obedientia non permittit. Verbo, oportet expellere a corde omne, quod non est Deus, et quod non est secundum majus Dei beneplacitum.

5. Laetari cum spiritu, quoties se vernit contemni, aut minus reputari. O quam pulchre orat anima illa, quae vilipendia libenter amplectitur: praecipue in communitatibus, in quibus haec virtus est animi longe maxime necessaria; consequenter oportet fovere affectionem specialem erga eos, qui ita se gerunt in nos, illis scribendo, benefaciendo, honorando, saltem benedicendo et commendando specialiter Deo, quemadmodum Sancti facere consueverunt.

6. Alere ardentissimum desiderium amandi Deum, illique placendi. Ait S. Theresia: „Dominus adeo desiderii delectatur, ac si tuis executioni mandata. Ordinarie Deus non impertitur favore multum singulares, nisi iis, qui diu desideraverunt ejus amorem.” Hoc desiderium amandi Deum complectitur affectum erga *Rationem*, quae est fornax, in qua accenditur amor divinus.

7. Habere magnum studium se conformandi divinae voluntati in omnibus rebus appetitui nostro contrariis, et se pluries in die Deo offerre: „Non consistit, ait S. Theresia, progressus in sibi procuranda fruitione Dei, sed in adimplenda illius voluntate.” Vera ratio est unire nostram cum divina voluntate. Fiat, laudetur et subexaltetur in omnibus semper altissima, sapientissima et amabilissima Voluntas Dei!

8. Praestare *exactam* obedientiam Regulis, Superioribus et Patri spirituali. Dicebat V. P. Vincentius Caraffa: „Obedientia est Regina Omnium virtutum; omnes enim virtutes obediunt obedientiae.” Et S. Theresia: „Deus ab anima, quae sibi proposuit illum amare, nihil aliud exigit, quam obedientiam.” Perfecta vero obedientia consistit in eo, ut cito, fideliter, alacriter obediamus, nullam requirendo rationem, quoties res jussa non sit certe peccatum. Hoc est illud „*Vince te ipsum*” toties inculcatum a S. Francisco Xaver. et S. Ignatio, qui solitus erat dicere, longe pluris proficere animam

mortificationis amicam unico horae quadrante, quam alias non mortificatas per plurimas horas.

9. Attendere semper divinae praesentiae. Inquit S. Theresia: „Omne malum provenit ex eo, quod non consideremus Deum praesentem.” Qui vere amat, nunquam obliviscitur objecti amati. Ad hanc Dei praesentiam fovendam juvat saepius in die repetere actus amoris in Deum et petere divinum amorem; quem in finem multum proderunt preces jaculatoriae.

10. Quotannis exercitia spiritualia peragere per octo vel decem dies; alienando se, quantum fieri potest, ab omni conversatione et officio, quod distractiones afferat, ut solum cum Deo versetur. Similiter singulis mensibus aliquam diem ad sui collectionem destinare. Devote celebrare Novenas Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, SS. Corporis Christi, Festivitatum Beatae Virginis Mariae, S. Josephi, S. Angeli custodis, S. Fundatoris Ordinis, Sancti Tutelariorum etc. ¹⁾.

Quoad directionem scilicet, ad religiosam perfectionem, cum ipsi seculares alii quam ordinario confessario se committere possint, multo magis Moniales vel extraordinario, vel etiam integre et unice si voluerint, Superiorissae se poterunt submittere. Ea enim Ecclesiae voluntas et vitae religiosae natura est, ut Moniales a Superiorissa, sicut Novitiae a sua Magistra juventur, dirigantur, stimulentur ad integerrimam regulae observantiam. Equidem nulla in quocunque Monasterio unquam cogitur Superiorissae vulnera sua occulta manifestare, quae dum absconduntur, Confessarius utique melius ac illa intelligere potest, quid ad poenitentis salutem pertineat. Ast ipse poenitentem ex iis solis novit, quae haec illi pandit, saepe nimis mutila vel etiam fallacia quia per amorem proprium decepta vel omnino malitiosa deceptor est: quam e contrario Superiorissa ex quotidianis ejus sermonibus moribusque plene perspectam habet. Ideo prudens Confessarius hanc sibi legem inviolabilem scribet, ut auctoritatem Superiorissae non modo non labefactet, sed pro viribus sustineat: nihil suae poenitenti concedat vel injungat, quod illa non approbet (e. g. dispensationes, jejunia, communionem) omnemque inobedientiam, duplicitatem, murmurationem contra Superiorissam severe corrigat. Et si Monialis Superiorissae, licet minime obligetur, liberrima tamen sponte, quo perfectius ab ea dirigi possit, voluerit intima quaeque sua arcana pandere, Confessarius id minime prohibeat, nec aegre ferat.

Clerici sacris Ordinibus initiandi.

§. 277. Paucis hanc materiam absolvere licet, quandoquidem provincia hujus muneris viri probatae scientiae et pietatis, quos experientia magistra jam docuit, funguntur; hos vero uberius instruere modestia vetat. Quare non nisi operis complementi gratia brevi compendio quaedam dicere fas sit. Profecto gravissimum omnium munus aggreditur ille, qui clericis ad pietatem et perfectionem sacerdotalem informandis se impendit, cum ob ipsorum poeniten-

¹⁾ S. Lig. Prax. Conf. n. 156. — 171.

lum, tum Ecclesiae, cujus divino famulatu in aeternum mancipati existunt, salutem. Licet enim universim conversio peccatoris ejusque in virtute profectus non humanae solum industriae, sed praecipue divinae gratiae opus sit, tamen multum ex confessarii, quo clerici utuntur, industria et directione spirituali pendet. „Confessarius Seminarii illud secum reputet, ex se rectaque sui muneris administratione pendere eorum, qui in Seminario vivunt, in omni virtute progressum“ ¹⁾).

Non est nobis hic propositum, officia enarrare, quibus clerici stringuntur et in quae peccari soleat, sed unum illud monere sufficiat: ut Clerici per confessiones quoque continuo memores reddantur, quod sint futuri, ut SS. Patres loquuntur, Dei militia, murus Ecclesiae, vitae lumina, fidei columnae, duces et pastores gregis dominici, amici et domestici Dei, coadjutores Domini pro ipso legatione fungentes, dispensatores domus regiae, mediatores denique inter Deum et homines ²⁾). Quamobrem confessarius illis adhortationes et admonitiones suggeret, quae praecipue rationem praeparationis ad sacros Ordines suscipiendos habent, atque subsidia virtutis talia subministrabit, quae viam sternunt ad perfectionem sacerdotalem. Inter omnia autem virtutis media prae ceteris illud ceu saluberrimum et aptissimum jure merito commendare oportet, quod in *frequenti* Sacramentorum usu reponitur. Decet sane, ut silentio premam insignes frequentis Confessionis et Communionis fructus, ut, qui quotidie aliquando sacris operaturi sint, nunc jam frequenti S. Synaxi se Deo et Domino suo uniant consecrentque ³⁾! Quod vero obligationes confessarii attinet in dirigendis Clericis, multa sane opus est scientia sanctorum, multa prudentia, et, quod minimum non est, multa spiritu discretionis. Etenim fingamus rem ita esse, ut ex prudenti confessarii non scrupuloso iudicio poenitenti clerico necessaria respectu ad sublimitatem status, in quem immitti supplicat, desit vitae probitas; puta, si vix egressus sit ex statu peccati lethalis, cujus prava consuetudine hucusque ex longo detinebatur tempore. Eheu, nonne metuendum instat, ne sacerdotali ordinatione inauguratus idem persistat, ne dicam pejor evadat, et opulis et Ecclesiae perniciem afferat magnam? Triste quidem est confessarii negotium, quo ipsum inducat ad statum ecclesiasticum vel deserendum vel differendum, donec indubitata emendationis omnigenae signa dederit. Verum uterque peccaret graviter, et poeni-

¹⁾ S. Carol. Bor. Instit. Semin. P. II, c. 4. de offic. confess. Cfr. Philipp. Jakob v. Huth's Bildung des Priesters. Bamberg und Würzburg 1784. — Traité de saints ordres. Par. M. Oliver. 4. edit. Paris 1835. — Manuel de piété à l'usage des Séminaires. 7. edit. Paris chez Méquignon junior 1835. Geistlicher Wegweiser für Kleriker besonders in Seminarien. Von Dr. Alois Schlör. Grätz 1842. — ²⁾ Cfr. Lectiones in usum Cleri. Viennae 1834. — ³⁾ Conc. Trid.

tens, si indignus ascenderet ad Altare Dei ordinem sacrum suscipitur, et confessarius, si ipsum omnibus, quibus valet, suae potestatis mediis, seclusa tamen omni diffamationis specie, non debet taretur. „Ordines enim sacri, docet S. Thomas, praexigunt sanctitatem, unde pondus ordinum imponendum parietibus jam per sanctitatem desiccatis, i. e. ab humore vitiorum” ¹⁾. Et alibi: „Sicut illi, qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis” ²⁾.

Verumtamen ait S. Ligorius ³⁾, excipitur casus, quo a Deo donaretur quis tam extraordinaria compunctione, quae ipsum liberaret ab antiqua fragilitate (peccati mortalis); nam, ut ait Angelus Doctor: „Quandoque tanta commotione convertit Deus cor hominis, ut subito perfecte consequatur sanctitatem spiritualem” ⁴⁾. Rarae quidem sunt huiusmodi conversiones, — — — sed quando vere quis tantam reciperet gratiam a Deo, (cujus admirabiles sunt misericordiae) quae ipsum taliter mutatum redderet, quod, licet adhuc aliquem pravum motum sentiret, magnum tamen conceperet horrorem adversus peccatum, et simul notabiliter diminutum in se cognosceret ardorem concupiscentiae, ita, ut a gratia munitus facile jam inciperet tentationibus obsistere, et insuper firmiter statuisset, in posterum non tantum vitare peccata et occasiones, sed etiam media opportuniore suscipere ad vivendum, ut Sacerdos deest, et jam simul incepisset ad suam conversionem confirmandam instanter preces fundere pro sua perseverantia, cum magna et ubi in Deum fiducia, quae eum redderet moraliter securum de quadam magna vitae mutatione: tunc poterit confessarius in sententiam poenitentis descendere, ipsique adsentire pro sacrorum Ordinis susceptione.

Haec, quaeso, merito consideranda sunt ab iis non solum, qui novitiorum Magistri et Confessarii munus obeunt, verum etiam ab omnibus, quicumque demum accenseri cogitant aut volunt in Ecclesiastico, ne praepropere vel inconsiderate et temere aut alios admittant, aut seipsos introducant. Nisi enim vitae innocentiam servent, dum ad sacerdotales virtutes efformantur, vix ulla spes est, quod illas servabunt in sacerdotio constituti. Unde turpiter se ipsos illi decipiunt, qui arbitrantur, quod in sacerdotii gradu positi omnem dabant vitia, in quibus Laici vel clerici sorduerunt. „Nam, ut praefatus clare ait S. Gregorius M., nequaquam valet in culmine humilitatis discere, qui in imis positus non desinit superbire: nescit laudem, cum suppetit, fugere, qui hanc didicit, cum deesset, anhelare. Nequaquam vincere avaritiam potest, quando ad multorum sustentationem tendit is, cui sufficere propria nec soli potuerunt. Ex an-

¹⁾ Summ. theolog. 2. II. q. 189. a. 1. — ²⁾ Ibid. Suppl. III. q. 35. a. 1.

³⁾ Prax. Conf. n. 79. — ⁴⁾ Ibid. III. q. 86. a. 5.

acta ergo vita se unusquisque inveniat, ne in appetitu culminis imago cogitationis illudat¹⁾. Lectu dignissimum, imo frequentissima atque seria meditatione dignum est plissimum monitum viri alicujus vere docti ac solide versati in disciplina Ecclesiastica, monitum, inquam, quo juvenem Theologum alloquitur: „Vide ergo, quicumque te ad sacros Ordines, atque ad curam animarum disponis, quanta sollicitudine, quantis laboribus, debeas in te donum continentiae *stabilire*, ut de divina misericordia possis confidere, nulla deinceps tentatione evertendum: „*cum teste S. Gregorio, plerique sacerdotum, qui labuntur, in impenitentis cordis caliginem projiciantur, et nulla hominis exhortatione respiciant.*“ Te ipsum castum custodi, ut domum Dei, templum Christi, organum Spiritus sancti. Quibus addimus: „Nemo amplius in Ecclesia nocet, quam qui perverse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet, et, ut ait Deus: „*Laqueus ruinae populi mei Sacerdotes mali*“²⁾. — „Qui muneris sui necessitate compellitur sancta dicere, hac eadem necessitate compellitur sancta monstrare; illa enim vox validius auditorum corda penetrat, quam loquentis vita commendat.“ — „Verbi semen facile germinat, quando hoc in audientis pectore pietas praedicantis rigat.“ — „Imperfecti arripere timeant culmen regiminis, et qui in planis stantes titubant, videant, ne in praecipitio pedem ponant: nam cum pastor per abrupta graditur, ad praecipitium grex sequitur“³⁾. „Vae ministris infidelibus, qui necdum reconciliati, reconciliationis alienae negotia, quasi homines, qui justitiam fecerint, apprehendunt, vae filiis irae, qui fideles sese mediatores pacis, ut peccata populi comedant, mentiuntur; vae qui ambulantes in carne, Deo placere non possunt, et placare velle praesumunt“⁴⁾. — „Grandis dignitas sacerdotum, sed grandis ruina eorum, si peccant. Laetemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum“⁵⁾.

Sacerdotes.

§. 278. Quum clerici in ordinibus sacris constituti profundior **em** tam sui, quam legis divinae cognitionem teneant, opus non **est**, nisi res in oppositum premat, ut sicut ceteri laici, qui tanta **veritatum** religiosarum cognitione non pollent, examinentur. — **In-**structio et adhortatio, si qua necessaria visa fuerit, eo quod **confi-**tens presbyter aut sacerdos sit altioris ordinis minime omittatur. **Sit** vero admonitio brevis, efficax et modesta. Confessarium etenim **decet** cum presbyteris Praelatisque Ecclesiae debita reverentia et **modestia** agere, ita tamen, ut cum occasio fert, indicet, quae sint

1) Libr. Past. P. 1. c. 9. — 2) Ezech. XLIV. — 3) Synod. Antwerp. anno 1680. Conc. Germ. ab Harzhemio edit. Tom X. pag. 97. seqq. — 4) S. Bern. De convers. ad Cleric. c. 8. — 5) S. Hier. libr. 3. in Ezech. c. XLIV.

sui muneris. Indirectum instructionis et adhortationis modum ~~re-~~ reliquis commendare juvat.

Nemo vero nobis succenseat, dum eos, qui sacerdotum ~~re-~~ religiosorum vel secularium confessiones audiunt, grave munus ~~in-~~ suscipere arbitramur, quandoquidem summi momenti negotium ~~esse~~ aestimamus, a sacris esse Clericis, qui a Domino constituti ~~sunt~~ Pastores ovium et Rectores Ecclesiae, qui omnium virtutum ~~sp-~~ splendore ornati, aliis lumen praeferre debent, ovesque ex officio ~~pa-~~ scere Sacramentis, verbo, exemplo et oratione; qui forma ~~facti~~ gregis ex animo, exemplum sint fidelium ¹⁾. Vocantur sacerdotes *lumen mundi* et *sal terrae* propterea, quod eorum munus est, *fideles* doctrina et moribus illuminare, et *Spiritus* sapore condire. Ex quo intelligi datur, quantopere aliis praelucere debeant humilitate praesertim, obedientia, studio orationis, Fide, *Spe*, Charitate et Castitate ²⁾. Nobilem necesse est sacerdotem, uti qui minister est Domini, erubescat servum esse peccati. „Multa sunt laicis venialia, quae clericis sunt mortalia” ³⁾. Religiosi monendi sunt insuper, ut vota essentialia Religionis perfecte observare nitantur aliasque sui ordinis regulas et statuta; atque per observantiam votorum et praeceptorum in via perfectionis progredi indies adlaborent. Hunc in finem singulariter commendanda sunt omnibus regularibus et secularibus, quae Tridentina synodus sapientissime inculcat, dum ait: „Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt: cum enim a rebus seculi in altiorem sublatis locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex eisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos, in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nihil nisi grave, moderatum, ac religione plenum praeseferant; levitia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant; ut eorum actiones cunctis afferant venerationem“ ⁴⁾.

Inter monita autem poenitentibus sacerdotibus ingerenda primas tenet illud, quod circa vitae sacerdotalis pie instruendae propositum concipiendum versatur. Certe enim proposito illo deficiente, vita sacerdotis ut plurimum infrugifera, instabilis, et variis spiritualibus periculis obnoxia; sine illo proposito omne caput languidum, et omne cor moerens, et plerumque a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. „Qui non est mecum, ait *Salvator*, contra me est, et qui non colligit mecum, dispergit” ⁵⁾. — Ex hoc proposito firmiter in animo concepto provenit vera pax et

¹⁾ I. Petr. V. 3. I. Tim. IV. 12. — ²⁾ II. Tim. I. 7. I. Tim. VI. 11. — ³⁾ Innocent. III. serm. 1. in Cons. Pont. — ⁴⁾ Sess. XXII. de reform. cap. 1. — ⁵⁾ Luc. XI. 23.

tranquillitas animi: hinc in muneribus ecclesiasticis obeundis alacritas, in virtutum exercitiis delectatio, adversus tentationes irruentes robur, ex hoc denique proposito firmiter concepto, et quotidie iterato, procedit perseverantia, quae est virtutum reliquarum veluti corona et complementum. Atque firmissimum hoc propositum vitae nostrae secundum Dei voluntatem instruendae, et ad normam muneris nobis ab Ecclesia impositi componendae Deo offerre, et ab eo instantanter per Christi merita postulare oportet, ut nos in eo stabilire et confirmare dignetur. Hinc magnopere necessaria est *oratio*, et quidem copiosa oratio, ad quam confessarius poenitentem suum omni, qua potest, suavitate hortabitur; quandoquidem nec pro se solo, nec etiam pro aliis bonum alicujus momenti efficiet, nisi instantanter protulerit ¹⁾ servitutis suae scutum, orationem. Monita, imo multoties iterata praecepta Scripturae de orationis officio, exempla Sanctorum et Ipsius Dei hominis Jesu Christi, quem alium propius concernunt, et efficacius stringunt, quam Sacerdotes! Quare confessarius moneat poenitentem sedulo hujus officii adimplendi, nec pudeat ipsum mentionis praeprimis Breviarii, utpote precum ab Ecclesia cunctis in ordinibus sacris constitutis praescriptarum ²⁾. Nostri quidem instituti non est, obligationem hujus officii vindicare, sed sacerdotum confessarios monere, ut in excipiendis illorum confessionibus rationem hujus etiam praecepti Ecclesiastici habeant, non desistentes, suaviter et paterne hujus officii eos commonefacere, utpote quod a legitima Ecclesiae auctoritate emanavit, et nomine totius Ecclesiae persolvendum est. *

In his vero omnibus admonitionibus non sine magna efficacia turetur confessarius omnium virtutum perfectissimo exemplari, Salvatore Jesu Christo, summo Sacerdote. Dic poenitenti: Intuere Sacerdotem aeternum, Pastorem animarum piissimum, Jesum Christum: quem qui sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lucem vitae. Frequenti consideratione perpende, quae Jesus fecit et locuit: et instrueris. In dubiis et difficultatibus Ipsum ob oculos mentis statue, et cum fiducia interroga, quid secundum voluntatem ipsius agendum tibi sit: et illuminaberis. Laboribus et afflictionibus pressus contemplare Jesum Filium, Dei, sudantem et patientem, et denique in Cruce morientem: et confortaberis in nobilissima sequela illius, qui pro te peccatore longe asperiora passus est.

¹⁾ Audiamus virum plura et doctum de neglectu hujus officii conquerentem: „Et qui demum sunt, qui neglecto canonico de profundis suis sublimibusque meditationibus gloriantur? Illos inter, qui horas canonicas quotidie persolvunt, invenies plurimos, qui insuper aeternas veritates serio perpendunt, de corde precantur, atque mentem suam per continuatum orationis studium mire recreant. Ast e numero eorum, qui Bre-

¹⁾ Sap. XVIII. 21. — ²⁾ Cfr. Von dem moralischen Nutzen des Brevier-Gebets, von M. Wittmann. Landshut 1831.

viarium contemnunt, vix unum deteges, qui aliis pietatis exercitiis se-
 dulo incumbat. Plerique jam per exitiale frigus, quo tremendum Sacrifi-
 cium allaque religionis mysteria tractant, nimium quantum produnt, quo
 spritu imbuti sint. Idem dicendum de iis, qui ad horas canonicas reci-
 tandas tempus sibi deesse ajunt. Hinc inde quidem fieri potest, ut ob-
 congeminos labores vix aliquid temporis supersit. Ast mentiuntur, quod
 tempus nullum sibi suppetere generatim praetendunt: qui enim occupa-
 tiones et res suas apte disposuit, atque tempore sibi concessio prudenter
 utitur, certe etiam ad Breviarium apta spatia habebit. Id quod expe-
 rientia satis confirmat. Viri Cordati, etiamsi plurimis negotiis occupen-
 tur, rarissime tamen conquerebantur, se ad dicendas horas canonicas ne-
 cessario tempore destitui; contra, qui hunc temporis defectum obtinen-
 dunt, plerumque per magnam diei partem vel vanis confabulationibus in-
 dulgent, . . . novellis levibusque scriptiunculis vacant, quibus sola fer-
 curiositas nutritur et phantasia incalescit 1).

Continuatio.

§. 279. Quod attinet satisfactionem sacerdotibus injungen-
 dam, his non facile longae et multae sunt imponendae, cum alioqui
 ad horas canonicas recitandas obligentur. Si vero majorem poenitentiam
 merentur, expedit eos monere, ipsos, utpote peritos medicos spiri-
 tuales, jam ante nosse, quod poenitentia haec quantitate peccatorum
 non respondeat; suadere se proinde, ut reliquum spontaneis satisfactio-
 nibus supplere studeant. Nihilominus etiam Breviarii partes v. g. unus
 versiculus quidam, super quos meditari oportet, vel etiam orationes
 Missae in poenitentiam injungi possunt, dummodo intentione et spiritu
 poenitentiae persolvantur.

Ceterum suadendum est sacerdotibus, ut saepius sacramentaliter
 confiteantur, nam, ut taceam muneris, quo fungimur, sanctitatem,
 pericula et difficultates, quibus removendis et superandis divinino
 egemus auxilio, ex officio nostro est, ut populum fidelem ad creb-
 rum Sacramentorum usum praesertim in solemnioribus anni festis
 privatim et publice invitemus: num, in quo aliis prodesse studemus,
 ipsi deerimus nobis? Raro confitens, vel semel tantum in anno,
 contra Ecclesiae consuetudinem, et contra piorum hominum morem
 agit. Profecto vereri non est, quod quis modum excedat, si semel
 per mensem animam suam per humilem et sinceram confessionem
 sacramentalem expurget, quandoquidem quotidiana Missae celebra-
 tio saepius reiteratam conscientiae purgationem requirit. O quam
 magnum et honorabile est officium sacerdotum, quibus datum est,
 Dominum Majestatis verbis sacris consecrari, labiis benedicere,
 manibus tenere, ore proprio sumere et ceteris ministrare! O quam
 munda debent esse manus illae! quam purum cor sacerdotis, ad
 quod toties ingreditur auctor puritatis! Ex ore sacerdotis

1) Cl. Stapf. Theolog. mor. II. p. 125.

tis nullum verbum nisi sanctum, nisi honestum et utile procedere debet, cum tam saepe Christi accipiat Sacramentum. Oculi ejus simplices esse debent et pudici, qui Christi corpus solent intueri; manus purae, et in coelum elevatae, quae creatorem coeli et terrae solent contrectare. Sacerdotibus specialiter in Lege dicitur: „Sancti estote, quoniam Ego sanctus sum Dominus Deus vester“ ¹⁾. Num cum tanta corporis et cordis puritate Deo servire et placationis hostiam offerre valebimus, nisi crebro ad lavacrum regenerationis in Poenitentiae Sacramento humili accesserimus corde?

Postremo monitum Ecclesiae, ut Christi fideles spiritualibus exercitiis annuis in se renovent spiritum pietatis, nos quoque sacerdotes Domini maxime stringit. Dum enim per varias actiones, praefante S. Leone ²⁾, vitae hujus sollicitudo distenditur, necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere: unde magna divinae pietatis dignatione provisum est, ut ad reparandam mentium puritatem aliquot dierum nobis exercitatio mederetur.³⁾ Praeterea, ut recte adnotavit S. Franciscus Salesius ³⁾, naturae fragilitas et carnis concupiscentia, quae omnibus filiis Adae communis est, animum deprimit, et ad infima detrahit: nisi ipse divina gratia subnixus per affectiones et resolutiones pias crebro iteratas, veluti quasdam spirituales pennas, seipsum ab inferioribus abstrahere, et versus Deum elevare contendat; quod quidem, ut melius et efficacius praestet, opus est interdum, a tumultu rerum temporarium, ut loquitur S. Gregorius ⁴⁾, secessum petere, in quo Deus anto purius cernitur, quanto cum se solo solus invenitur. Dicat igitur, si libet, quivis Christi ministerio addictus perfectionis suae et perseverantiae in virtute cupidus, dicat, inquam, interdum cum Propheta: Contristatus sum in exercitatione mea, et conturbatus sum a voce inimici et tribulatione peccatoris; cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me; et dixi, quis labit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam, ut sic fugiens et a conturbationibus mundi elongatus maneam in solitudine, et ibi exspectem eum, qui salvum me faciat a pusillanimitate spiritus et tempestate ⁵⁾. Utinam hoc ecclesiae, quae a Spiritu sancto regitur, votum saluberrimum in Dei gloriam et fidelium salutem a quamplurimis, qui divino ministerio funguntur, adimpleretur! Utinam confessarii inprimis in hoc quoque Ecclesiae desiderium pium, animum converterent poenitentium sacerdotum, ut obtenta in sacra Ordinatione gratia, per mentis renovationem et exercitia spiritualia singulis annis instituta, resuscitaretur, divinis Mysteriis nunquam non digne ministrandis necessaria! ⁶⁾.

¹⁾ Thom. a Kemp. libr. 4. c. 5. — ²⁾ Serm. 4. de Quadrag. — ³⁾ Philoth. P. V. c. 1. — ⁴⁾ Mor. libr. 4. c. 28. — ⁵⁾ Psalm. LIV. — ⁶⁾ Vide S. Ignatii Loy. Exercitia spiritualia, elucubrata a R. P. Aloisio Belleccio.

Sponsi.

§. 280. Eos, qui matrimonio jungi amant, confessarius magna cura et diligentia docere debet, quae bona aut mala consequuntur matrimonium bene aut male initum. * Quisquis hoc Sacramentum in statu peccati gravis suscipit, obstringit se sacrilegio; quis vero spei ex conjugio, cui per sacrilegium se innexit? Monemus hanc Sacramenti matrimonii profanationem esse veram causam excessuum inter conjuges et scandalorum, quae affligunt et praecites agunt familias, quodque si matrimonia inirentur ea, quae christianos oportet, animarum dispositione, non modo cessarent scandala, sed per hoc Sacramentum abundantissimae gratiae in sponsos et eorum familias deducerentur de coelo. Quare confessarius spon- sos tum ad vitandum sacrilegium, tum ad vitandum tristem conjugium exitum, ad gratias et benedictiones deducendas charitate et animarum zelo edocebit, ab omni peccato et peccati occasione recedere, illud ex toto corde detestari, confiteri sacramentaliter, sinceramque de eo poenitentiam agere. Quem in finem saepe non inutilem operam navabit, si sponsos hortetur, ad confessionem, si opus esse arbitratus fuerit, generalem faciendam, atque ad firmum et serium propositum, vitam omnem exigendi in pietate et pace animorum unione ac fide conjugali; mutuis in rebus aeternitatis salutaribus auxiliis, quibus cooperari et collaborare ad mutuam in hoc statu sui

Edit. secunda Taurin. 1835. P. Joannis Petittidier e Soc. Jesu exercitia spiritualia juxta normam S. Ignatii Loyolae. Claromon. — Ferrandi apud Thibaud — Landriot. 1834. — Decem tridua spiritualia Sacerdotum exercitia, a P. M. Dufrene Soc. J. Poperingis, 1820. 4 Vol. — R. P. Alphonsi Rodriguez, Exercitium perfectionis Aug. Vind. 176 1. Prodiit quoque germanice. Viennae typ. Mechitharisticis 1836. Liber lectu dignus. — R. P. Ludovici de Ponte Meditationes Tom. VI. Barcel. Talentum sacerdotale in 5 sacris triduis a venerabili Clero seculari capituli Engensis Riedoeschingae. 8. Vind. 1792. — Selva, ou Recueil de matériaux de discours et d'instructions pour les retraites ecclésiastiques. Par S. Alph. de Liguori. Paris 1835. — Anleitung zur Selbstprüfung für Weltgeistliche. Aus dem Französischen übersetzt von Katerkamp. Münster, 1806. — Vertraute Reden an junge Diener der Kirche. Von Jos. Zängl, Augsburg, 1815. — Wiedmer's, Der katholische Seelsorger in gegenwärtiger Zeit. Vorträge bei Anlass geistlicher Exercitien, herausgegeben von Johann Michael Sailer. 2 Theile, nebst Nachtrag. 8. München 1819. — 1820. Tanner's, Bildung des Geistlichen durch Geistesübungen. 2 Bände, 2te Auflage. gr. 8. Einsiedeln, 1829. — Geistliche Uebungen für zehn Tage, zum Gebrauch für Mitglieder geistlicher Gemeinden. Grätz 1839. Geistesübung nach der Weise des heil. Ignaz von Loyola. Von Dr. Alois Schlör. Grätz 1840. — Der Kleriker in der Einsamkeit, oder »Ignatianische Exercitien,« gegeben von Dr. Alois Schlör. Grätz 1844. — Forma externae spiritualium exercitiorum per V. Clerum Ecclesiae Hungaricae asservandorum, quam privatae opinionis instar exhibet Franciscus Szaniszló. Cl. Episcopus Serbiensis, Vindobonae 1850. Ex officina Mechitaristarum.

sanctificationem statuunt. In his enim consistit vera familiarum felicitas. E contra infelices exitus habebunt illa connubia, quae vel adversus Ecclesiae disciplinam, vel non propitiato per Sacramentum poenitentiae Deo, vel solo aestu libidinis junguntur, quin de Sacramento et mysteriis, quae illo significantur, ulla subeat cogitatio.

Quae vero sint virtutes, quibus sponsi se mutuo in statu conjugali sanctificare possint, vide paragraphum sequentem. Ceterum sponsis suadere juvat, ut diem anniversarium suscepti Sacramenti matrimonii singulariter et precibus fundendis et suscipiendis Sacramentis poenitentiae et Eucharistiae sacrum agant, et consensum matrimoniale coram Deo renoveant, seque ipsos et compartem et proles et totam domum protectioni divinae efficacioribus precibus commendent. Quodsi perversi se sistunt sponsi sacro tribunali, proecto res ardua se tibi offert, quae totam quantam provocat charitatem et zelum tuum, ut monitis atque consiliis tuis nunc convinantur, et firmum emendationis propositum concipiant. „Perversi difficile corriguntur” ¹⁾. Et si alias sub iisdem adjunctis fors absolutionem differres, tamen ob nuptias jam paratas absolves sacramentaliter, ea conditione, ut post non multum temporis ad s. tribunal revertantur. Quodsi sponsi nihilominus post repetitas monitiones et adhortationes nec contriti sunt, nec verum firmumque emendationis propositum habent, quorum tamen utrumque, ut absolvi possint, adesse debet, negabis illis tamquam indignis absolutionem. Neque noveat te, quod non absoluti initari sunt matrimonium in statu peccati gravis, adeoque sacrilege. Nam si indignos absolvis, num illi non inibunt quoque matrimonium in statu peccati gravis, adeoque sacrilege? imo sacrilegium futurum est multiplex, quia per sponso profanabuntur sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Matrimonii per te, qui indignum absolvisi. — Nullo tamen in casu schedula peractae confessionis neganda est. ²⁾

*Interrogantibus, an nubendum ipsis sit, et consilium exquirentibus, postquam jam praecesserunt aliqui tractatus hac super re, confessarius vix unquam respondeat directe, sed generalem duntaxat regulam proferat, videlicet: Qui non cogitat per totam vitam coelebs manere, sed aliquando nubere, oblata nubendi opportunitate prudenter utitur, si justa spes adest, fore, ut cum tali conjugate (quantum ex praesentibus colligendum est) honestam pro ratione status sustentationem pro se et familia habeat, et illi pacifice convivat in omni pietate et modestia. Applicationem hujus regulae in dato casu relinquat ipsi interroganti, admonens eum, ut in negotio hoc vere gravi lumen a Deo petat.

Ceterum juvenes monere sedulo oportet, ne praemature in animum admittant cogitationem nuptiarum, sed curam hanc, et electionem sponsae differant ad id usque tempus, quod non multum distat ab actuali constitutione matrimonii. Ne meditentur matrimonium, si non habent solidam spem, fore, ut familiam possint alere, quin cogatur proles mendicare. Ne

¹⁾ Eccli. I. 15. ²⁾ Plura hac de re scilicet nupturientium institutione vide in libro: Praecepta Pastoralis didacticae. Tridenti 1853. p. 137.

augeant numerum eorum, qui futurum matrimonium praetexentes, a concupiscentia abrepti ea perpetrarunt, quibus sibi praecloserunt benedictionem divinam in ipso matrimonio. Non adigant multis obsecrationibus parentes, ut in gratiam ipsorum, quo possint nubere, bonis suis viventes sese abdicent, sed omni cum reverentia obediant et inserviant iis, quorum benedictio firmat domos filiorum ¹⁾. Proba vita et bonis operibus dignos se faciant, quibus Deus largiatur conjugem prudentem ²⁾. Caveant summo opere, quampiam lactare mendaci spe futuri matrimonii. Electione secundum Deum, ex ratione et consilio parentum aut viri gravis facta, et consensu alterius intellecto, ob inanes susurrations ne recedant a proposito, nec ad alias partes transeant. Puellae autem graviter monendae sunt, ut se, quantum ad hoc negotium, secundum exemplum Sanctarum V. et N. Testamenti, fere committant dispositioni parentum, aut probi curatoris: omnem propositionem ratione contrahendi matrimonii ab alio factam mox ad parentes ablegent: clancularium amasium longe repellant: inter procos ne leviter animo volitent: munuscula, imo et conversationem eorum procul fugiant: illum vere, qui indecens quidpiam ad ipsas petere, aut praetextu amoris attentare ausus fuerit, tanquam pestem avernentur, juste timentes, jugum matrimonii, si cum tali homine portandum esset, ex multis causis fore nimis quantum grave.

De Sponsalibus.

§. 281. Cum casus contingere possint, in quibus poenitentes in sacro tribunali de sponsalibus confessarii consilium expetant, de his pauca pro praxi monere juvat.

1) *Natura sponsalium.* Antiquissima est in Ecclesia catholica consuetudo praemittendi sponsalia matrimonio, his potissimum de causis: ut matrimonium maturiore consilio inatur; ut sponsi tempore intermedio valeant se praeparare ad gratiam sacramenti; ut securius possit cognosci, an aliquod adsit impedimentum, et ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiraverit sponsus dilatam ³⁾. Sponsalia autem sunt conventio, qua mas et foemina sibi matrimonii inter eos ineundi fidem dant.

„Sponsalia valide iniri nequeunt, nisi per voluntatis declarationem, libere ac debita cum deliberatione factam ab iis, qui matrimonium inter se valide ac licite contrahere possunt. Impuberum nomine inita impuberes ad matrimonium contrahendum haud obligant, nisi, postquam ad pubertatem pervenerint, rata eadem habuerint.“ ⁴⁾

2) *Forma sponsalium.* Ex jure communi censentur contracta vera sponsalia per illa verba et signa, quae juxta communem intelligentiam et communem loci usum aut consuetudinem loquendi veram promissionem futuri matrimonii sive conventionem significant. ⁵⁾ Sponsalia itaque sive publice sive clandestine contracta, dum modo supra dictae adfuerint conditiones, vera et rata subsistunt. Ast cum sponsalia clandestina multis substant periculis et sub inani spe

¹⁾ Eccli. III. 11. — ²⁾ Prov. XIX. 14. — ³⁾ S. Aug. libr. 8. confess. c. 3. — ⁴⁾ Instruct. pro jud. eccl. Imperii Austriaci §. 2—10. Vide in Appendice. — ⁵⁾ Decretal. IV. 1. 7.

nuptiarum tot innocentes animae seducantur, plurimaque mala ex contractu de se honesto pullulent: hinc animarum curatores apertissimum discrimen ostendant, in quo tum viri tum mulieres versantur, cum mutuis amoribus indulgent, futuri matrimonii illecebra falsa que ratione decepti sponsalia pari levitate ineunt initaque dissolvunt. Docebunt eos, non sequendam in hoc negotio cupiditatem et amoris impetum sed plurima non exigui momentis sedulo expendenda, praesertim si parentes habeant, quorum ratio et consilium plurimi fieri debet. Illos praeterea instruent, primis rite sponsalibus initis ad alia transire non posse, nisi canonica et legitima causa interveniat.

3) *Effectus sponsalium*. Ex sponsalibus, a personis, inter quas licitum et validum matrimonium contrahi potest, rite confectis, surgit: a) gravis obligatio ineundi matrimonium tempore praefixo, vel si tempus determinatum non fuit, dum altera pars rationabiliter agit. ¹⁾ b) Impedimentum dirimens publicae honestatis. Hic effectus semper durat: et suapte natura neque solutis sponsalibus, solvitur, si ea valida et absoluta fuerint. c) Impedimentum impediens, prohibens matrimonium cum alia praeterquam cum sponsa contrahendum, nisi sponsalia rite fuissent dissoluta; ubi liberum est sponsis cum altera persona matrimonium inire. d) Sponsalia pariunt jus ad rem seu jus inchoatum in corpora mutua, quo fit, ut quamvis usus corporis illicitus sit sponsis, si tamen sponsus vel sponsa cum altero fornicentur, non tantum contra castitatem sed etiam contra justitiam graviter peccent, quae circumstantia in confessione exponi debet.

4) *Dissolutio sponsalium*. Obligatio sponsalium etiam jure firmatorum, tollitur aut exstinguitur ex causis sequentibus:

a) Solvuntur sponsalia ex mutuo liberoque sponsorum consensu ²⁾, quo sese invicem ab implendae promissionis obligatione liberos faciunt; modo tamen sint puberes. Nequeunt enim impuberes, etiam ex mutuo consensu a vinculo sponsalium eximi idque prudenter statutum, ne scilicet propter puerilis aetatis levitatem et inconstantiam, nova saepius contrahant sponsalia et rescindant.

b) Sub paterna potestate constitutorum sponsalia solvenda sunt, quoties parentes juste contradicunt. Hoc ex Bened. XIV. inst. 46. colligere licet, quae sic habet: „Omissa controversia, utrum sponsalia sine parentum consensu vim habeant, eo pacto, quo matrimonium de praesenti contrariis etiam ipsis parentibus, firmum habetur; certissimum tamen est, ipsa illicite fieri, culpam admitti, cognitaeque parentum dissensione solvi posse, licet jusjurandum intercesserit.” Et S. Alphonsus Lig. „Secus vero si pater juste contradicat, nempe si matrimonium vergeret in dedecus familiae, tunc enim sponsalia illa non obligant, cum nemo possit obligari ad exsequendam rem injustam.“³⁾

¹⁾ Decretal. IV. 1. tit. cap. 2. 10. 17. S. Thom. In diss. 27. q. 2. art. 4. 1. ad 2.

²⁾ Decretal. IV. 1. 2. — ³⁾ Theol. mor. VI. n. 877.

c) „Quando una pars fidem sponso debitam violaverit, altera promissis stare non amplius tenetur.” Constat apud omnes, si desponsatorum alteruter in fornicationem incidat, hoc crimen ad sponsalium dissolutionem sufficere; quia juxta regulam juris in VI. „frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se praestitam servare recusat.” Haec autem dirimendorum sponsalium facultas soli competit innocenti, non reo, quia ut alia fert juris regula, „nemo ex delicto meliorem suam conditionem facere potest;” meliorem autem faceret reus, cui propter crimen suum liceret resillire. Quapropter si puella sponsum licet violatae fidei reum ad conjugium compellere velit, is tenebitur obsequi vel damnum compensare.

d) Ad sponsalium dissolutionem sufficit notabilis rerum mutatio sive in bonis animi, sive in bonis corporis aut fortunae. Quodsi post sponsalia inita talis intercedat mutatio, ut merito supponatur hoc obtinente rerum statu haud eventurum fuisse, ut ad sponsalia pacta procederetur, horum obligatio pro ea cessat parte, in qua ejusmodi mutatio haud contigit. Casu, quo talia rerum adjuncta jam sponsalium initorum tempore habuerunt locum, parti, cui ignota tunc fuerunt, jus competit a sponsalibus resiliendi. Ratio est, quia promissio non obligat ultra promittentis intentionem. Itaque dissolvi poterunt sponsalia, si quis contrahentium in haeresim incidat. Si ratione alicujus criminis jure aut facto infamis fiat. Si asperiores mores induat aut scandala praebet. Si gravia jurgia aut inimicitiae inter sponso aut eorum parentes oriantur. Porro licitum est unum fortunae contingat; ut si in lepram, paralysim aut caecitatem incidit; si notabilis deformitas, qualis est alicujus membri mutilatio, supervenerit: idem dicendum de bonorum jactura et fortunae subversione; ut si quis ex divite factus sit pauper. Locum etiam habet dissolutio, si quid istorum vel simile antea latens, post sponsalia detegatur; ut si quae putabatur legitima, nobilis, dives, virgo, talis non sit; quae in hac hypothese gravis est rerum mutatio, respectu ignorantis.

e) „Sponsi obligatione, quam sibi imposuerunt, non impediuntur, quin religionem ingrediantur, aut Deo in statu clericali militent. „Professione religiosa aut ordinis sacri susceptione sponsalia dissolvuntur”

Cum sponso alter Religionem aliquam ingreditur, sponsalia dirimuntur ex parte illius, qui in saeculo remanet et cui proinde licitum est, non exspectata alterius professione, cum alio contrahere; sed minime dirimuntur, ex parte illius, qui Religionem ingressus est ita, ut, si non profiteatur, debeat fidem datam servare, si alter petierit. *Primum* obtinet, quia sponsus per suum in Religionem ingressum declarat se juri suo renunciare, dum statum amplectitur, qui sociari non potest cum ejusmodi juris usu; *alterum*, quia in Religionem ingressus nec inhabilem facit ad matrimonium,

nec probat sponsum alterum, qui in saeculo remanet, juri suo renunciare, quia jure canonico sponsalium dissolutio soli Religionis professioni tribuitur et quia sic institui debent leges, ut non pateat fraudi aditus, pateret autem in hypothesi contraria, cum unicuique, ut a sponsalium jugo liber fieret, satis esset Religionis habitum induere et paulo post exuere et cui vellet nubere.

Quoad sacri ordinis susceptionem certum est per sacros ordines receptos dirimi sponsalia, quia matrimonium excludunt: non solvuntur autem per ordines minores ex parte viri, quia id nullo jure statuitur, et quia eos ordines, qui nullum pariunt vinculum, recipiendi facilitas, latum dolis et fraudibus aditum aperiret.

An vero per simplex perpetuae castitatis votum dissolvantur sponsalia, disputant Theologi. *Scavini* ad hanc quaestionem respondet: Communius contra *Layman* et *Roncaglia* docent *Azorius*, *Gonet* et *Suarez* cum d. *Thoma* votum illud et validum et licitum esse ac per illud etiam ex parte voventis sponsalia dissolvi, quia haec facta esse intelliguntur semper sub conditione: nisi status melior eligatur; neque propositum aut promissum infringit, qui in melius illud commutat. Excipe, nisi nuptiae celebrandae sint ad prolem legitimandam, scandalum reparandum, vel honori sponsae providendum, si aliter his malis non possit occurrere. Item notandum, quod voventis obligatio non penitus extinguitur sed suspenditur, donec votum servatur: unde si casu voti dispensationem vovens impetraverit, adhuc teneretur stare inchoatis sponsalibus. *S. Antonius* docet: „Si sponsalia praecedunt votum castitatis, tunc votum non impedit vel dirimit sponsalia.” Quia ex vulgata juris regula non licet votum cum alterius injuria emittere; Deus enim non vult coli cum alterius injuria. In sententia contraria obligationem, quam sponsalia pariunt, facilius esset eludere; sponsis enim, quos inchoati foederis pigeret, in promptu foret, castitatem Deo vovere.

f) „Matrimonio, quod una pars cum tertia quadam persona contrahit, sponsalia quidem dissolvuntur, salvum tamen permanet jus, quod alteri parti quoad damnum resarciendum pro re nata competit.” Etenim ut docet *Gregorius IX.*: „Matrimonium non potest separari intuitu desponsationis de futuro, etiamsi juramentum intervenerit” ¹⁾. Quia matrimonium est vinculum quibuscumque sponsalibus fortius; verum qui hujusmodi matrimonium contraheret, gravissime contra justitiam peccaret, fidem in sponsalibus obligatam violando. Sed aliud esse debet iudicium de secundis sponsalibus, quae prima dissolvere non possunt; posteriora enim nulla sunt, et invalida, quia contra fidem alteri datam cum gravi illius injuria contrahuntur. Haec tamen de eo intelligenda sunt, qui ad secunda sponsalia transiit; alter enim sponsus innocens a fide data

¹⁾ Decretal. IV. 1. 31.

liber evadit. Nam perfidus, qui novis sese obstringit sponsalibus, palam testatur, se prioribus renunciare

g) Si sponsus absque consensu sponsae domicilium in aliam civitatem transferat vel in regionem dissitam commigraverit, potest sponsa fidem alii dare; Praeterea sponsus inconsultam dimittens sponsam et alio se conferens censetur illius amicitiam aspernari et suoque in eam juri renunciare.

Si tempus inter contrahentes praefixum fuerit, hoc elapso resiliere ei licitum est, per quem non stat, quominus celebretur conjugium, quia ex juris regula „contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur.” Quidam excipiunt casum, in quo mora sponsi esse plane extra culpam, quia ex jure non dissolvuntur sponsalia nisi ex parte illius, per quem non stetit, quin ad statutum tempus matrimonium consummaverit, i. e. contraxerit. Atqui ubi sponsus sine ulla culpa moram facit, per eum non stat, quominus contrahatur matrimonium. Alii vero sentiunt nonnulli Theologi: tunc saltem consulendus est iudex ecclesiasticus, qui si sapiat, dissolutioni non acquiescet, nisi si deprehendat, sponsos mentem a se invicem alienam et aversam gerere, et ideo datam resiliendi occasionem vel praetextum arripere.

5) Utrum ad matrimonium cogendus sit, qui datam in sponsalibus fidem exsolvere sine justa causa renuit? Dicimus, „in eo, qui promissionem sponsalibus datam implere recusant, admonitione potius quam coactione esse agendum.” Et quidem propter gravia quae ex conjugio non satis libere factis sequuntur incommoda. Ita statuit *Lucius III.*, qui consultus qua censura compelli debeat mulier, quae violata juramenti religione, huic nubere renuit, cui se nuptiarum interposito juramento promiserat, respondet, „quod, cum liberi esse debeant matrimonia, monenda est potius mulier, quam cogenda. Haec, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.” „Sponsalibus absque legitima causa resiliens, nec non qui legitimum resiliendi causam vel celaverit vel sua culpa adduxerit, tenetur ad resarciendum alteri pro personarum et rerum adiunctis damnum, quod resiliendo ipsi infertur.” „Obligatio statim promissis per contractum sponsalium datis tunc quoque cessat, quando omnibus perpensis circumstantiis supponendum merito sit, matrimonium contrahendum infaustum fore. Quodsi autem circumstantiae, quibus suppositio ista innititur, culpa unius partis exorta sint, haec alteri damnum, quod ipsi frustratis justis ejus expectationibus illatum est, pro viribus resarcire tenetur.”

6) *Auctoritas ad dissolvenda sponsalia.* Si causa sponsalia dissolvendi est certa, non requiritur iudicis auctoritas. Excipe, nisi necessaria sit ad vitandum scandalum: uti si sponsalia publica sint et causa solvendi occulta. Si vero causa non est certa, nemo pote-

1) Decretal. IV. 1. 5. — 2) Decretal. IV. 1. 17.

rit auctoritate propria dissolvere sponsalia, ne se periculo exponat privandi alterum jure suo: sed recurrendum ad judicem ecclesiasticum uti habet jus commune. ¹⁾)

Quodsi causa est vera et certa, sed nequeat probari coram judice, pars innocens poterit per se a sponsalibus resilire, modo caveat a scandalo, quia defectus externi iudicii suum ipsi jus non adimit. Hic notamus, quod, cum sponsorum alteruter (cognito suo ex quocunque capite resiliendi jure) alterum nihilominus carnaliter cognoscit, eo jure excidit. Quia sic vel ei renuntiasset vel sponsalia renovasse in foro externo merito censetur. ²⁾)

Matrimonium mixtum inituri.

§. 282. Quodsi sponsi, qui matrimonium mixtum, i. e. cum a catholico inire cupiunt, confessionali se sistant, tunc confessarius ante omnia eos edoceat fidei articulum, qui est de catholicae fidei et unitatis necessitate ad consequendam salutem. Et quidem catholicae unitatis tenendae necessitas ubi fuerit impressa in animis fidelium alteque defixa, haud facile deinceps irrita erunt monita atque adhortationes, quibus ipsos avertere conabitur a nuptiarum foedere cum acatholicis conjungendo. Si vero interdum gravis causa interveniat, quae mixtas hujusmodi nuptias suadere videatur, graviter monebit, ne illas aliter contrahant, nisi impetrata ecclesiae dispensatione et conditionibus servatis, videlicet de praemittendis matrimonio debitis cautionibus, non modo ut conjux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret, ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed etiam ut proles utriusque sexus in sanctitate religionis catholicae educaretur. Quare si res ita postulet, in illorum memoriam notissimum illud naturalis divinaeque legis praeceptum revocabit, quo non peccata solum, sed pericula etiam ad peccatum proxime inducentia vitare jubemur, uti et praeceptum aliud ejusdem legis, quo parentibus injungitur, filios educare in disciplina et correptione Domini ³⁾, ideoque et erudire ipsos ad verum Dei cultum, qui unice in catholica religione est. Hinc adhortabitur illos, ut serio perpendant, quantam supremo Numini injuriam faciant, et quam crudeliter erga se futurosque sibi liberos acturi sint, ubi nuptiis mixtis temere contrahendis se filiosque ipsos perversionis periculo committant. — At vero si contigerit, (quod Deus avertat) ut monita et adhortationes hujusmodi in irritum cadant, et catholicus aliquis vir mulierve recedere nolit a perverso suo consilio ineundi mixtas nuptias praetermissis supra memoratis cautionibus vel earum aliqua, tunc sane confessarii officium erit,

¹⁾ Cap. 7. de Sponsal. — ²⁾ Petri Scavini Theol. mor. Tom. III. — ³⁾ Eph. VI. 4.

praemonere confitentem, quod in perverso hujusmodi consilio perseverans, nec absolutione sacramentali dignus, nec benedictioni proinde matrimoniali consequendae idoneus existat. Vide Benedicti XIV. Declarationem, cum instructione super dubiis respicientibus matrimonia in Hollandia et Belgio contracta et contrahenda, d. d. 4. Novembr. 1741. — Benedicti XIV. Breve ad Primate[m], Archiepiscopos et Episcopos Poloniae, d. d. 29. Jun. 1748. — Pii VI. Rescript. ad Cardinal. de Frankenberg, Archiepiscopum Mechlincensium, d. d. 13. Julii 1782. — Pii VII. Breve ad Carol. Archiepiscopum Moguntinae, d. d. 8. Octobr. 1803. item Ejusdem Breve ad Vicar. Gener. in Ehrenbreitstein, d. d. 23. April 1817. Idem ad eundem, d. d. 31. Octobr. 1819. — Pii VIII. Breve ad Archiepiscopum Coloniae, et Episcopos Trevir. Paderborn. et Monasteriens. d. d. 25. Mart. 1830. — Gregorii XVI. Encycl. ad Archiepiscopos et Episcopos regni Bavariae, d. d. 27. Maji 1832. — Gregorii XVI. Instruct. ad Archiepiscopos et Episcopos regni Bavariae, d. d. 12. Sept. 1834. — Denique Instructio ad Archiepiscopos et Episcopos Austriae et in foederatis Germaniae partibus, d. d. 21. Maji 1841. ¹⁾

Conjuges.

§. 283. In confessionibus conjugum, quoad adhortationem ipsarum dandam, confessarius respiciat virtutes, quarum usu et exercitio sanctificare se possint. Sunt vero potissimum utrisque communes;

1) Timor et amor Dei. Hae in statu conjugii sunt virtutes tanto magis necessariae et observatu difficiliore, quo plura sunt pericula et occupationes, quae ex sententia S. Pauli dividunt hominem Deum inter et mundum.

2) Mutua inter conjuges charitas et auxilium, mutua defectuum tollerantia, patientia invincibilis ²⁾.

3) Preces, quas ad mutuam sanctificationem nunc in communem, nunc alter pro altero fundere debent.

4) Virtutum exempla, quibus ad bonum se mutuo excitent et inflamment, uti sunt preces, lectio librorum piorum, crebrior sacramentorum usus, frequentatio divinorum in Ecclesia, conjugalis continentia, modestia in verbis et actionibus; monendi sunt, ne recundiae fines pertranseant, verbo, opere, sed coram Deo et An-

¹⁾ Die gemischten Ehen von dem katholisch-kirchlichen Standpunkte aus betrachtet. Von Johann Bapt. Kutschker. Wien 1838. — Seelsorgerliche Belehrungen über gemischte Ehen, besonders beim Brautexamen. Augsburg 1839. August. de Roskovany de matrimoniis mixtis inter Catholicos et Protestant. Quinque Ecclesiis 1842. — ²⁾ Col. VI. Eph. V. 21. Eccl. XXV. 2. XI. 23.

gelis semper se stare meminerint. „Haec est enim, ait Apostolus, voluntas Dei, sanctificatio vestra; — — — ut sciat unusquisque vestram vas possidere in sanctificatione et honore; non in passione desiderii, sicut et gentes, quae ignorant Deum” ¹⁾.

5) Fides conjugalis, quam summopere commendare oportet, ut sit honorabile connubium et thorus immaculatus. „Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus” ²⁾. Contra adulterii crimen oggeres, a) quod adulteris saepe in sacris literis intentatur maledictio, b) quod Deus omnes privabit adulteros haereditate gloriae suae, quem non poterunt adipisci, nisi magno poenitentiae labore; c) quod virtum licet alioquin grande sit malum, longe majus describitur in sacra Scriptura adulterium, dicente Salomone: „Qui adulter est propter cordis inopiam, perdet animam suam, turpitudinem et ignominiam congregat sibi, et opprobrium illius non delebitur” ³⁾. d) Et si scelus istud semper fuit detestabile in antiqua Lege, longe est execrabilius in nova ob injuriam illatam matrimonio dignitate Sacramenti condecorato, unde majori jure conqueri potest Deus, se contemptum in adulterio ob peculiarem causam, atque cuivis adultero dicere, quod Davidi: Non recedet gladius etc. ⁴⁾.

In interrogandis et examinandis conjugibus de iis, quae sanctitati Matrimonii opponuntur, quod nonnisi tunc, ubi potissima subest causa, fieri licet, tenenda sunt ea; quae §. 97. de prudentia in interrogationibus circa VI. Decalogi praeceptum monuimus. Specialiter autem summa opus est cautione in confessione mulierum nuptiarum, ita quidem, ut sedulo caveas, ne debiti conjugalibus mentionem facias. Satis erit, si persona ejusmodi sit, quam de aliis etiam peccatis examinare soles, si quaeras (ubi causa quaerendi est), num debitam marito fidem et obedientiam in omnibus rebus licitis praestiterit.

Continuatio.

§. 284. Licet ad conjugum officia spectet, ut per legitimam copulam propagationi studeant, tamen exceptio datur, si quando conjuges ambo prorsus libere et mutuo consensu a matrimonii usu abstineant. In ipsa praxi confessarius apud juniores conjuges, ubi ejus consilium exquiritur, non facile annuat. Nam quamvis ejusmodi propositum laudem ob insignem animi fortitudinem mereatur, consensus tamen vere mutuus, et ex utraque parte prorsus liber, rarissime inter conjuges locum habet; et plerisque in tam arcto contubernio continentia diutius producta, periculosa redditur ⁵⁾. Praesertim res haec illis periculosa esse consuevit, qui solius paupertatis

¹⁾ I. Thess. IV. 3. 4. — ²⁾ Heb. XIII. 4. Cfr. I. Cor. VI. 9. 10. — ³⁾ Prov. VI. 32. 33. — ⁴⁾ II. Reg. XII. 10. — ⁵⁾ I. Cor. VII. 5.

tis causa ab usu conjugali cessant, ne scilicet proles multiplicentur. Talibus potius in Deum fiducia ingerenda est, qui, ut in Psalmo ¹⁾ dicitur: „dat jumentis escam ipsorum et pullis corvorum invocantibus eum.”

Si vero mulier a consuetudine viri ad enixius precibus divinis vacandum abstinere exoptet, neququam facile fidem ei habebis: praeterquam enim, quod hujusmodi fervor pietatis facile frigescat, nunquam fere suscipitur sine gravi aliqua viri offensione, quare marito, quando postulat, debitum conjugale praestare tenetur. Etiam in genere obligatio reddendi debitum sub gravi stringit ²⁾; et confessarius iis, qui de hac culpa denegati scilicet debiti se accusant, rei gravitatem omni modo proponere debet, quum usus conjugii ad ejusdem essentiam spectet, et ex denegato debito tristissimi eventus oriri soleant.

Suspenditur hoc officium, a) si sui impotens exigit; b) si molestiae extraordinariae occurrunt e. g. morbus contagiosus, extraordinarium periculum partus jam imminens; — c) si petens adulterium commisit, nisi altera pars ejusdem criminis se ream fecerit, vel condonaverit; d) si in loco et modo prorsus indecenti petatur; e) si legitimum divortium intercedat. Ceterum plerumque prudentia suadet et pietas, ut pars innocens cedat potius, quam ut malis, quae providentur, ostium pandatur.

Aliquando alteruter praestare, si petatur, debitum, non autem salva conscientia petere potest: a) si quis sive ante sive post matrimonium *voluntatem simplex* castitatis emisit, a quo hucusque dispensatus non fuit; b) si qua pars sciens et voluntarie cum consanguineo vel consanguinea alterius conjugis in primo et secundo gradu incestum commisit, et ab Episcopo dispensata non est. c) Quoties conscientia obnititur, quominus in his adjunctis debitum petat, v. g. dum sanitatem suam pessumdat ³⁾.

Observari hic meretur, juxta alios per incestum amitti jus petendi debitum, etiamsi persona peccans ignoraverit, hanc poenam incestui, qui impedimentum matrimonii subsequens involvit, esse annexam. Ast S. Ligorius sat probabile esse censet, conjugem, qui poenam incestui annexam ignoraverat, in usu matrimonii non impediri ⁴⁾.

Continuatio.

§. 285. In specie autem confessarius A) maritis commendat: a) Dilectionem sinceram uxoris; sic enim Apostolus monet: „Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.” b) Liberalem susten-

¹⁾ Psalm. CXLVI. 9. — ²⁾ I. Cor. VII. 3. seq. — ³⁾ Cfr. Stapf. Theol. mor.

⁴⁾ Cfr. Theolog. mor. lib. VI. n. 1074. 1075. — ⁵⁾ Eph. V. 25.

tationem; nam ut idem Apostolus ait: „Viri debent diligere uxores suas ut corpora sua, nemo enim carnem suam odio habebit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus.” c) Debitam honorationem; uti S. Petrus monuit dicens: „Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem, tanquam et cohaeredibus gratiae vitae” ¹⁾. Et ideo jam Adamus Evam uxorem suam sociam vocavit dicens: „Mulier, quam ledisti mihi sociam” ²⁾, ut indicaret, uxorem a marito non ut ancillam sed ut sociam in lecto, in mensa, et in honore tractari debere ³⁾.

B) Uxoribus autem inculcabit imprimis: a) Concordem dilectionem erga maritos, qua et vitia ipsorum patienter supportent, nam charitas omnia suffert, omnia sustinet; oneraque communia in educandis et sustentandis liberis, in rebus domesticis omnique oeconomiae studio participant; hinc enim adjutorium vocavit Deus Evam ⁴⁾. b) Justam reverentiam, quoniam vir caput est mulieris, teste S. Paulo, sicut Christus caput est Ecclesiae ⁵⁾, constat autem quantum reverentiam Ecclesia Christo exhibeat. c) Debitam subjectionem, sic enim iterum monet Apostolus: „Mulieres subditae sint viris” ⁶⁾ sicut domino, et sicut Ecclesia subjecta est Christo.

Non facile mulierum querelis adversus maritos confessarius credat, multo minus culpam in maritum conferat, quamvis haud dubie penes illum foret. Satius est re dissimulata maritis debitam observationem proponere uxoribus, ut demisse et patienter, si quid molestiae a viris accidat, ferant, usque dicto obedientes sint. Commendet ipsis praeprimis, si de viri ferocia conquerentur, opportunam taciturnitatem facilitatemque cedendi, vultus atque oris modestiam, amicas adhortationes et preces, denique talem in omnibus agendi modum, ut marito tenerum semper amorem, debitam subjectionem atque piam fiduciam exhibeant.

Monita neoconjugibus insinuanda vide in libro citato: Praecepta Pastoralis didacticae, p. 145—151.

Matrimonii impedimento impliciti.

§. 286. In eorum, qui matrimonio se junctos profitentur, confessionibus excipiendis praecipuam attentionem merentur, ac moderamen sapientissimum exigit casus, quo matrimonii eorum aliquod emergat impedimentum.

Ad sublevandum molestum hac in materia laborem pauca praenotare juvabit de impedimentis matrimonii. Per impedimentum matrimonii generatim intelliguntur ea, quae obstant, ne matrimonium

¹⁾ 1. Petr. III. 7. — ²⁾ Gen. V. — ³⁾ Prov. XXXI. 10. Eccli. XXVI. —

⁴⁾ Gen. II. Tob. II. 19. X. 13. — ⁵⁾ Eph. V. 32. 24. — ⁶⁾ I. Petr. III. 1.

rite ineatur. Quae si obstant, ne *valide* contrahatur, impedimenta dirimentia vocantur; si vero dumtaxat impediunt, ne licite ineatur, mere *prohibentia* seu *impedientia* nuncupantur.

Cum autem matrimonium non tantum novae Legis Sacramentum sit, sed etiam verus contractus, sequitur ad ejus legitimam existentiam plures quam in aliis sacramentis requiri conditiones; ac consequenter plura quoque ex earum defectu enasci posse obstacula, quae efficiunt, ut illud vel non valide vel saltem non absque crimine iniri possit.

Impedimenta, de quibus hic agitur, directe ac primario ipsum contractum matrimonialem afficiunt; indirecte autem ac secundo tantum Sacramentum, quatenus nimirum, sublato contractu deficit Sacramenti materia ¹⁾.

Impedimenta dirimentia, quae efficiunt, ut matrimonium nec licite nec valide iniri possit, nec non impedientia, vide ad calcem libri in Appendice I.: Instructio pro judiciis ecclesiasticis Imperii Austriaci quoad causas matrimoniales ²⁾.

Modus agendi occurrente impedimento dirimente.

§. 287. Quoad matrimonia invalida distinguendum, an poenitens ipse de matrimonio invalido, cujus nexibus implicetur, se adisset, itaque tam jus quam factum compertum habeat; vel confessarius ex facto in confessione allato, matrimonium invalidum esse colligat, quin poenitens ignorantia juris praepeditus, id perspiciat. Priori casu graviter ante omnia poenitentem commoneat, quod fornicationis se delicto sit polluturus, si debitum conjugale ante matrimonii convalidationem aut petere, aut praestare auderet. Convalidationem quod attinet, attendendum est: I. An impedimentum, de quo quaeritur, dispensationem secundum naturam suam admittat, atque an in eo saltem ad permanendum in contracto dispensari solet?

II. An poenitens, ut impedimentum auferatur, exoptet; an forsitan potius eo ad nullitatis declarationem usus sit?

¹⁾ De impedimentis matrimonii, Editio V. Mechliniae 1847.— ²⁾ Consultationes P. Anacleti Reiffenstuel Jus canonicum universum juxta titulos libellorum quinque decretalium.

Francisci Schmalzgrueber S. J. Jus ecclesiasticum. Romae 1845. Ex typographia Rev. Cam. Apostolicae.

Ubaldi Giraldi Expositio juris pontificii. Romae 1839.

Petri Scavini Theolog. moral. universa. Tom. III. De matrimonio. Neapoli 1853.

Dr. Nicolaus Knopp, vollständiges katholisches Eherecht. II. Auflage. Regensburg 1854.

Dr. Adam Joseph Uhrig, System des Eherechtes. Dillingen 1854.

Dr. J. Fr. Schulte, Handbuch des kath. Eherechtes. Giessen 1855.

Dr. Johann Kutschker, das Eherecht der kath. Kirche nach seiner Theorie und Praxis. Wien 1856.

III. An altera pars de impedimento obtinente sciat, nec ne; ac priori casu, an parata sit ad contribuenda, quae in ea sunt, ad impedimentum tollendum; posteriori, an prudens adsit spes, fore, ut ad impedimentum semovendum concurrat, vel minus?

IV. An ejusmodi forsitan sit matrimonium, in quo declaratio invaliditatis minus malum merito reputandum sit?

Impedimenta, quae ex *consensus defectu reali* (nec per praesumptionem tantum juris et de jure stabilito) enascuntur, dispensationem nullo admittunt casu; quippe Superioris auctoritas efficere requirit, ut societas per pactum ineunda, qualis matrimonium, adsit, ubi consensus deficit, aut ejus manifestatio repugnanti animo vi injusta exorta est. Igitur inter omnia, quae ad consensus defectum referuntur, impedimenta canonica, unum raptus impedimentum ita quandoque compositum, ut dispensationem secundum naturam suam idmitteret, eo scilicet casu, quo rapta, licet in raptoris adhuc potestate constituta, consensum tamen animo parato praestitit. Ne tamen Christiani veniae spe ad talia provocentur facinora, quodque insuper raptae consensus, antequam in loco tuto constituta fuerit, dumtaxat merito censeatur: dispensatio hoc impedimento laborantibus laud concedi solet. Igitur quaecumque impedimentum ex defectu consensus matrimonio obstet, rei cardo in eo versatur, ut consensus, quando impedimentum juris privati, ab ea parte, cui matrimonium impugnandi jus competit, quando autem juris publici, ab utraque parte, debita forma praestetur ¹⁾).

Unde confessarius, si poenitenti jus matrimonium impugnandi competat, prudentem adhibeat diligentemque operam, ut eum ad renuntiandum juri suo et consensum supplendum perducatur; nisi forsitan ex confessione clare appareat, eum esse mutuum vinculo invalido junctorum affectum, ut sperandum non sit, matrimonii convalidationem ad animarum salutem conjugibus expedituram fore. Quodsi jus istud penes alteram resideat partem, et illa impedimentum vel nesciat, vel a consensu supplendo abhorreat, poenitens admonendus est, vel ut necessaria pro personarum adjunctis prudentia in impedimento revelando utatur, vel ut recusantis animum precibus, munitis, obsequio suavi demulceat. Eadem valent, quando impedimentum ita compositum, ut utriusque partis consensus ad convaliditatem necessarius sit.

¹⁾ Haec tamen de matrimonii tantum qua societatis convalidatione dicta sunt: ut matrimonii sacramentum accedat, utriusque partis consensus nunquam non renovetur oportet.

Continuatio.

§. 288. Quando impedimentum *ex habilitatis defectu* obtineat, et juris publici et secundum naturam suam indispensabile, nihil confessario restat, quam ut monitis, precibus imo et intentato Dei iudicio poenitentem ad matrimonii iura, perperam usurpata, quantocius dimittenda compellat. Probe tamen quoad correctionis et admonitionis rationem distinguendum est, an matrimonium impediendi nescius, an ejusdem bene conscius inierit. Porro quando pro circumstantiarum ratione vitae consortium absque infamia, aliisque gravissimis malis dissolvere non posset, ut istud ad tempus retineat, indulgeri potest, quippe homines plerique non nisi successive eo perduci possunt, ut vitae hujus bonis quantumcunque fluxis vanisque ob regnum coelorum renuntient. Quum tamen timendum, ne continuato vitae consortio ad thori quoque consortium eidem assueti pelliciantur, caveat confessarius, ne indulgentiam istam absque causa sufficienti concedat.

Impotentia perpetua et antecedens, impedimentum quidem indispensabile ex habilitatis defectu ortum *), ast juris privati est; quum igitur tales salvis canonibus societatem matrimonio similem servare possint, poenitens, cui isto ex titulo nullitatis declarationem postulare competit, admonendus est, ut, si non conjugis, fratri tamen sororisve loco personam eidem junctam habeat; eo magis quod ad nullitatis declarationem hac ex causa obtinendam, multa quae pudorem laedunt, necessaria sunt. Discrete tamen in his procedat confessarius, ac monendo contentus a praecipiendo abstinere. Idem de impedimentis, in quibus dispensatio nunquam indulgeri solet, dicendum est, si unum excipias clandestinitatis. Nam in eo compellendus potius esset poenitens, ut matrimonium, quam e-

*) Non desunt tamen, qui ipsum ex consensus defectu explicent, ac errorem substantialem revocent. Istud tamen de eo tantum casu valere posset, quo impotentiam ignoraverit pars altera; et inde prona conclusione sequeretur, executos quoque matrimonium validum contrahere posse, modo corporis hanc conditionem sponsae significant, ista ad connubium ineundum paratam nihilominus se praestet.

De dispensatione super impedimentis.

§. 289. Quando *dispensationis* suppetit remedium, ea pro impedimenti ratione aut a Poenitentiaria Romana, aut ab Episcopo qua Sedis Apostolicae delegato tectis nominibus petenda est. Rationes, quas Poenitentiaria admittit, eadem sunt, ob quas Dataria forma communi dispensat. Scilicet: 1. Incompetentia dotis. 2. Angustia loci. 3. Inimicitiae componendae. 4. Evitatio litium seu pr-

cessuum. 5. Evitatio scandalorum. 6. Sponsae aetas superadulta. 7. Periculum haeresis. 8. Conservatio divitiarum in eadem familia, quae ad aliam transferri non solent sine magnis litibus et gravi familiae totius dispendio. 9. Excellentia meritorum. 10. Impraegnatio oratricis. 11. Periculum revelationis impeditenti cum infamia oratricis. 12. Periculum perseverantiae in peccato. 13. Periculum diffamationis oratricis. 14. Periculum perversionis vel transitus ad alienam Religionem. 15. Periculum damni spiritualis (Annotatione vix indiget, harum rationum nonnullas proxime dispensationes ad ineundum spectare; nihilominus etiam dispensationibus ad permanendum in contracto obtinendis paucis adplicari possunt). Quando igitur *dispensabile* occurrit *impedimentum*, poenitens vel paratum se praebet ad dispensationem petendam, vel ea potius occasione usus videtur ad matrimonii vinculum rescindendum. Posteriori casu, nisi gravia et aperta rationum momenta contrarium suadeant, ad dispensationem via legitima sibi parandam magno studio compellendus est. Attamen minime, quando poenitente consensum praebente dispensatio petita et obtenta est, omnis ideo semper difficultas cessat. Quippe dispensatione indulta matrimonii validi possibilitas quidem, ast minime realitas procurata est. Verum ad convalidationem vel secretam et absque sacerdote faciendam necessario requiritur, ut consensus pro circumstantiarum diversitate, aut ab utroque, aut ab ea saltem renovetur parte, quae nullitatis declarationem petere possit. Fieri autem potest, ut matrimonium invalidum sit ob delictum, — e. gr. ob conjugicidium, copulamve cum persona in primo vel secundo gradu conjugi consanguinea ante matrimonium contractum habitam, — altera parte scilicet inscia. Quando confessarius prudenter possit confidere, partem laesam animum suum, revelato crimine, haud immutaturam, sed et secretum servaturam, et ad matrimonium convalidandum consensuram fore, consensus pro re nata coram parochio, confessario, vel quando sacerdotis praesentiae graves obstant causae, a solis saltem conjugibus iterandus est. Ceterum res ipsa docet, majorem, quam in ceteris, in conjugicidii impedimento cautelam adhibendam esse. Verum partem delicti occulti ream tantam in conjuge fiduciam raro reposituram ipsa Sedes apostolica praesupponit, quippe quae tali casu dispensationis literis urgere solet, ut pars ignorans de nullitate prioris consensus certior reddatur, sed ita caute, ut delictum non detegatur. Quae tamen conditio impletu saepe difficillima. Canonistae nonnulli volunt, -ut, qui dispensationem impetravit, conjugem ad consensum renovandum invitet, sub praetextu, quod matrimonium contrahendo haud sufficientem impertitus fuerit consensum; aut quod contrahentium consensus non raro vitio laboret, unde securitatis gratia consensum renovare consultum sit. Attamen ejusmodi dicta pronissima sunt ad parandas suspiciones amori conjugali

exitiales; et quid, si delictum ignorans causae, cur talia proponantur, reaciendae acriter insistat, ac priusquam exposita fuerit, consensum renovare constanter recuset? Unde alii malunt, ut reus consensum indirectum eliciendo acquiescat, et dicat e. gr. uxori (vel marito): Tam constanti amore junctus sum, ut, quando isto mihi temporis momento uxor ducenda (nubendum tibi) esset, eodem consentirem animo. An eadem tibi quoque mens? Et si altera pars: Et ego ad matrimonium nunc adhuc contrahendum parata (tus) essem, similiave reponeret, matrimonium convalidatum esse censent. Ast fatendum, tale dictum, quaestionis objectum haud assequens, per ambages elicatum, ne pollicitationem quidem, eo minus promissionem, qualis ad pactum pangendum necessarium est, fundare. Unde dicendum potius, eam, quae impedimenti dispensationem obtinuit, partem, salva conscientia matrimonii jura exercere posse, quod post ipsum debitis solemnitatibus initum, ad convalidationem procurandam, quae in ea erant, contulerit, partem autem impedimenti nesciam ideo, quod bona fide matrimonium valide contractum esse putet, in matrimonio absque peccato perseverare. Verum in hisce casibus ad summum Poenitentiarium recurrendum esse dicimus, ut aut aliquid de severitate clausulae de certioranda comparte delicti inscia remittat aut facultates a Pontifice necessarias expostulet, qui in impedimenti quae a jure scripto decernuntur, non solum auferre potest de medio incommoda, quae jam secuta sunt, cum *in radice matrimonii* legitimam prolem declarat, sed etiam ob consensum naturalem initio praestitum, et adhuc durantem dispensare potest a renovando consensu.

Singularem prudentiam et cautionem confessarius adhibeat, quando *ex facto in confessione allato*, matrimonium invalidum esse intelligat, quin poenitens, ignorantia juris obstante, id percipiat. Etenim accidere posset, ut factum confessus matrimonii molesti jam jugum abjiciendi occasionem laetabundus amplecteretur, et convalidationis respueret media. Plerumque tamen is, cujus confessione talia patent, *a culpa immunis haud est*, nec inde matrimonium impugnandi jure potitur; nonnunquam factum pro natura sua *in foro externo probari nequit*. Hisce, quando suppeditant, scite utatur confessarius ad animi ex novo proni impetum refraenandum.

De Sanatione matrimonii in radice.

§. 290. Pro uberiori intelligentia *dispensationis in radice* matrimonii, cujus supra mentio facta est, sequentia subministrare juvabit.

Intelligitur per dispensationem in radice sanatio matrimonii ablato impedimento, non quidem juris divini vel naturalis, sed legis dumtaxat ecclesiasticae, ut matrimonium, ob id impedimentum nul-

liter quidem sed cum consensu naturali initum, ita reddatur validum in omnibus suis effectibus ac si contrahentes, qui ad matrimonium ineundum inhabiles fuerant et consensum illegitime praestiterant, ab initio habiles fuissent et consensum legitime praestitissent ¹⁾.

Effectus hujus dispensationis seu sanationis matrimonii sunt : a) per fictionem juris tollitur impedimentum juris ecclesiastici, quod in casu matrimonio obstat, ac si nunquam adfuisset; b) hinc sanatur primus consensus, qui ideo erat nullus, quia per impedimentum dirimens contrahentes erant inhabiles; sublato namque impedimento ac si nunquam adfuisset, consensus exerit vim suam naturalem; c) efficitur matrimonium validum ex nunc i. e. pro futuro. d) legitimum proles plene, quia matrimonium in suo effectu sic sanatur ac si semper fuisset validum.

Hinc patet, dispensationem in radice locum habere posse :

1) Quando una pars habeat quidem animum remanendi in matrimonio, sed recusat renovationem consensus in facie ecclesiae, quando videlicet nullitas matrimonii publica est sive ex impedimento clandestinitatis sive ex alio impedimento insimul. Quod ut plurimum accidere potest in matrimoniis mere civilibus.

2) Quando una tantum modo pars habeat notitiam impedimenti, quod alteri sine periculo revelari nequit.

3) Quando uterque conjux vivit in matrimonio nulliter contracto, quin tamen sine gravissimo damno desuper certiorari queant.

In executione hujus dispensationis attendendae sunt conditiones, sub quibus vim obtinere valeat. Requiritur autem: a) ut contrahentes communiter habeantur pro legitimis conjugibus neque cohabitatio eorum sit manifeste fornicaria; b) ut saltem una pars bona fide matrimonium contraxerit et altera pars pro casu consensum renovaverit; nam si uterque conjux matrimonium mala fide contraxisset, matrimonium in radice non est sanabile, quia nullumne quidem naturalem consensum in matrimonium habuerint; c) si vero ab initio bona fide contraxerunt, licet deinde detecto impedimento contra conscientiam in matrimonio perseveraverunt, poterit sanatio in radice habere locum; d) debent adesse gravissimae causae; e) debet constare, conjuges sibi ab initio dedisse consensum matrimoniale et in eo adhuc perseverare ²⁾.

Quoad modum vero executionis hujus dispensationis notandum venit, quod absque omni speciali applicatione obtentae dispensationis uterque conjux in bona fide relinquendus sit, quando uterque impe-

¹⁾ Bened. XIV. Quaest. canon. qu. 527. §. Et in eo. Idem de Syn. dioec. libr. XIII, c. 21. n. 7. — ²⁾ Cfr. Instruct. Cardin. de Cäprara pro Gallis d. d. 26. Maji 1803.

dimentum ignorat et confessarius impedimentum detectum neutri conjugum absque periculo gravissimo revelare potest. Quodsi vero alteruter tantum conjux impedimentum bene noverit, cum ipso in foro conscientiae dispensandum est, licet certioratio alterius partis remissa fuerit. Forma haec esse potest: Ego potestate Apostolica specialiter et expresse demandata matrimonium a te N. N. cum N. N. in consensu adhuc permanente nulliter contractum in radice ejus sano et consolidato, prolemque susceptam et suscipiendam legitimam declaro in Nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti ¹⁾).

De dubio circa matrimonii valorem.

§. 291. Licet praesumptio semper stet pro valore matrimonii, cum impedimentum plene probari debeat, nihilominus tamen dubii de matrimonii valore rationem habere oportet, quando quidem varii quantum ad consortium maritale exinde nascantur effectus, de quibus confessarius poenitentem commonere debet. Regulae adinstar universalis statuitur a *Sanchez*: „*Leve* dubium valoris matrimonii est deponendum; *grave* et *probabile* impedit solam debiti petitionem; *certitudo* nullitatis impedit prorsus usum.“ „Inito jam matrimonio et urgente dubio de ipsius valore manente dubio conjux dubitans non potest quidem debitum petere *ante* adhibitam diligentiam ad dubium vincendum sed tenetur reddere alteri petenti in bona fide, ut patet ex *capite Dominus, de secundis nuptis*. — — — Dicimus „*ante diligentiam*“ quia si dubitans contraxit in bona fide et post diligentiam non possit dubium vincere, probabilissimum et communissimum est, posse etiam petere ob possessionem petendi am acquisitam. Quapropter tradunt quod conjux ille post diligentiam licite potest petere semper ac certus non sit de impedimento, non obstante quacunque probabilitate in contrarium.“ — Idem valet si uterque conjux *bona* fide matrimonium contraxit et postea dubitat de valore matrimonii. „Constat, docet *Sanchez*, neutrum posse petere ante praemissum debitum examen, postea autem manente eodem dubio, posse.“ Et *Scavini*: „Neuter potest conjugio uti ante adhibitam debitam diligentiam ad dubium vincendum, quia esset se discrimini committere.“

Si matrimonium sit contractum cum dubia fide, alii negant tunc conjugem dubitantem posse post diligentiam adhibitam petere, adhuc dubio perseverante, quia non licet uti re, quae incoepta est possideri cum dubia fide; et haec sententia est quidem communior.

¹⁾ Formam literarum supplicum pro obtinenda dispensatione vide in libro Cl. Stapf, Pastoral-Unterricht über die Ehe, herausgegeben von Carl Egger, Domcapitular und Official. 6. Auflage. Frankfurt a. M. 1838. — Practische Anleitung zur christkath. Seelsorge v. Dr. Franz Hayker. 3. Auflage 1856. S. 407 — 418. — ²⁾ S. Liguori Homo Apostol. tr. 18. N. 36.

Attamen alii id probabiliter affirmant, quia tametsi dubitans nequeat exponere dubium ex titulo possessionis, potest tamen ex alio principio, nempe quod in dubio standum est pro valore actus, praesertim matrimonii, in cuius favorem in foro tam interno quam externo emper in dubio judicandum est. Excipitur tamen casus, quo dubium adsit de morte prioris conjugis ¹⁾. Dico: *dubium*; nam si habeatur firma probabilitas de valore matrimonii, tunc communiter docent, alii dubitanti licitum esse, post diligentiam non solum reddere sed et petere, cum textus praefatus in casu dubii, non autem probabilitatis loquatur, et cum probabiliter dubitatur de vita prioris conjugis, probabiliter dubitatur etiam de ipsius conjugis possessione ²⁾.

De matrimonio putativo.

§. 292. A matrimonio invalido caute distinguendum est *putativum*, i. e. societas eorum, qui matrimonio ne secundum externam quidem formam contracto conjugum usurpant jura, conjugisque passim habentur. Tales si nullum eis obstat impedimentum, ad matrimonium quam celerrime contrahendum commonendi sunt, quod quidem eo facilius praestabunt, quod Ecclesia tali casu dispensationem a trina proclamatione concedere prona sit. Quando impedimentum, dispensabile licet, adversetur, augetur jamjam difficultas, quippe Poenitentiaria dispensationem ad permanendum in contracto tantum concedit, et in libellis supplicibus ad Datariam directis oratorum nomina nunquam non exprimenda sunt. Nihilominus ut aut conjugii juribus renuntient, aut animarum salutem diffamationis periculo praeponant, confessarius gravitate paterna, et apostolico moneat, urgeat, jubeatque fervore.

Ast ardua saepenumero conditio est; quando impedimentum indispensabile, liberi forsan plures prognati, neque absque horum insigni damno et ipsorum diffamatione pseudo-conjuges vitae consortium solvere queant. Ne igitur nimio rigore ad legum divinarum humanarumque contemptum agantur, iis (praesertim si aetate jam proveciores), cedi potest, ut vitae protenus societatem colant; sanctissime tamen ambo promittant, fore, ut ab omni actu conjugali abstineant.

De impedimentis impedientibus.

§. 293. In *impedimentis impedientibus* aut Superioris prohibitio, vel defectus lege determinati (Ecclesiae vetitum), aut temporis ratio (tempus sacratum clausumve), aut obligatio sponte con-

¹⁾ Cap. Dominus de secund. nupt. — ²⁾ Homo Apost. tr. 18. n. 37. Dr. J. Kutschker Eherecht. §. 29.

tracta (sponsalia, et votum), ut matrimonium illicitum sit, efficiunt. Igitur poenitens, nisi ignorantia inculpabilis eum excuset de inobedientia, qua Ecclesiae praecepta in re gravi violavit, nunquam non arguendus, dispensatione tamen eatenus solummodo indiget, quatenus obligatio contracta cum matrimonio ex parte saltem compatibilis est; igitur in voto simplici castitatis tantum; quippe qui eo impediendo matrimonium iniit, debitum quidem conjugale, ne innocentis juribus derogetur, reddere permittitur, ast petere prohibetur. Dispensatio in voto castitatis perpetuae a Sede Apostolica petenda est, ac ea tantum sub conditione indulgeri solet, ut orator vel oratrix, si conjugii supervixerit, ejusdem voti vinculo obstricta maneat.

De prohibitionibus civilibus.

§. 294. Quoad prohibitiones civiles confessarius poenitentem admoneat, Christianum legibus civilibus, quatenus divinis non refragantur, ex ipsius numinis supremi praecepto sanctissimam debere obedientiam, et coram oculis ei ponat aerumnas, scandala, damna multifaria, quae ex matrimonio contra prohibitiones civiles contracto, et conjugibus et prolibus eorum enascuntur. Sic Inst. pro jud. eccl. Imp. austr. §. 69 statuit: „Sanctum est Christiano, potestati civili praestare obedientiam, ad quam Dominus ipse nos per Apostolum suum instituit. Eo districtius eas observet necesse est constitutiones civiles, quae ad ordinem moralem conservandum accurate concurrunt. Quamvis igitur potestas civilis, quin validum inter Christianos matrimonium contrahatur, sanctionibus suis impedire minime possit, civi tamen Austriaco haud licet, negligere praescriptiones, quas lex Austriaca de civilibus matrimonii effectibus statuit.” Et §. 70: Legis Austriacae praescriptiones quod attinet, magno agendum studio, ut a matrimonio contracturis exacte observentur. Quod si contingat, ut parochi monita nihil proficiant, res ad Episcopum deferenda.”

De Separatione a thoro et mensa.

§. 295. Quamvis matrimonium quoad vinculum sit indissolubile, dissolvi tamen potest quoad thorum et mensam, remanente vinculo conjugali.

Vocatur haec separatio a thoro et mensa sive habitatione etiam divortium, quia duo conjuges in diversas abeunt partes. Hanc ex certis causis licitum esse sic definit Conc. Trid. „Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum multas ob causas separationem inter conjuges quoad thorum seu quoad cohabitationem ad certum incertumque tempus fieri posse decernit: anathema sit¹⁾.” Absque conjugali vitae consortio obligationes per matrimonium contractae impleri ne-

¹⁾ Sess. XXIV. c. 8. I. Corinth. VII. 10.

queunt: ipsum igitur in casibus tantum a lege ecclesiastica statutis et respectiva in forma a lege ecclesiastica praescripta solvere licet. Cum enim saepe contingeret, ut conjuges levibus de causis, cum publico scandalo, a se invicem recederent, sapienter legibus cautum fuit, ne ante fieret divortium quam illius causae fuerint juridice probatae et praecesserit iudicum sententia. — Confessarii est, innocentes conjuges retinere ab instituenda lite, quando crimen alterius partis sufficienter probare non possunt.

Causae, ob quas separatio a thoro et mensa conceditur, sunt plures et diversi generis.

Specialiter vero recensentur:

1) *Adulterium conjugis.* „Quodsi conjugum alter adulterii crimen commiserit, alteri jus competit, perpetuam a thoro et mensa separationem petendi nisi forsitan approbaverit, permiserit, vel sua culpa adduxerit aut ipse quoque adulterii reum se reddiderit. Jure suo excidit, quodsi alteri parti culpam expresse vel tacite condonet.”

Ex dictis patet, partem innocentem habere jus, perpetuam a thoro et mensa separationem petendi, et cogi non posse ad recipiendam mulierem si notorium sit, eam adulterium commisisse. Excipiuntur tamen casus: a) Si conjux uterque ejusdem criminis reus fuerit; tunc enim valet juris regula: „Paria crimina mutua compensatione delentur¹⁾.” Ita definitum est ab Alexandro III. et ab Innocentio III. Idem longe antea docuerat S. Augustinus: „Nihil est iniquius, inquit; quam causa fornicationis dimittere uxorem, si et ipse maritus vincitur fornicari²⁾. b) Si vir occasionem et causam dederit uxoris adulterio, sive ipsi denegando quae ad vitam sunt necessaria; sive a domo eam repellendo aut alia quacunque ratione durius et injuste cum ea agendo. c) Si vir uxoris adulterio consenserit aut ad illud eam impulerit: tunc enim non minus viro imputari debet quam mulieri. d) Si res sine crimine sit, ut si mulier per vim oppressa fuerit. e) Si conjux conjugem adulterum, post cognitum ejus crimen ad thorum receperit: haec enim agendi ratio vim reconciliationis habet. f) Si uxor virum suum probabiliter mortuum ob longam ejus absentiam, bona fide existimans alteri nupserit.

Quid, si conjux adulterii reus certa aut vero similia emendationis signa praebeat? Tunc *interdum* ex lege charitatis adulterum retinere obligatur.” Cum dimissio uxoris fornicantis introducta sit ad corrigendum uxoris crimen per talem poenam; poena autem corrigens non requiratur ubi emendatio jam praecesserit, si mulier poeniteat sceleris, vir non tenetur eam dimittere³⁾. Praeterea Christus interrogatus an liceat uxorem ex quacunque causa dimittere respondet, eam non esse dimittendam nisi ob fornicationem; jam

¹⁾ Decretal. IV. 19. 4. — ²⁾ Libr. I. de Sermone Domini cap. 16. — ³⁾ S. Thom. in 4. dist. 35. art. 2.

vero et interrogatio et responsio rem licitam significant, non vero praeceptam.

Verum si illa dimissio imperata non fuerit, maxime ubi agitur de conjuge adultero quidem sed poenitente, aequum censendum est, ut eam retineat, quum maritus uxoris saluti, quantum potest, consulere debeat, quod saepe aliter fieri nequit, nisi mulierem non dimittat." Postquam enim Christus, inquit S. Augustinus, dixit adulterae: *Nec ego te condemnabo; vade, deinceps noli peccare*, quis non intelligat, debere ignoscere maritum, quod videt ignovisse Dominum, nec jam se debere adulteram dicere, cujus poenitentis crimen divina credit miseratione deletum ¹⁾.

Si separatio quoad thorum et mensam a judicio ecclesiastico pronunciata fuerit, pars innocens compelli non potest ad ream adulterii denuo recipiendam ²⁾. „Quodsi mulier dimissa egerit poenitentiam et voluerit ad virum suum reverti, *debet*, sed non saepe, recipere peccatricem, quae poenitentiam egit." Ubi Glossa explicat voculam: *debet* i. e. debito honestatis, non necessitatis, quia etiam post poenitentiam posset eam accusare de adulterio. *

Ex jure ecclesiastico adulterium unica causa est, ex qua separatio perpetua conceditur; in reliquis casibus separatio fit ad tempus subsecutae emendationis vel morbi malive sublatis.

*Et (Decretal. IV. 19. 4. „Unde quia nos consuluisti, utrum mulier ipsa debeat viro suo restitui et vir ad ejus receptionem compelli — consultationi tuae taliter respondemus, quod, si notorium est, mulierem ipsam ad adulterium commississe, ad eam recipiendam praefatus vir cogi non debet.“

2. Praeter adulterium plures *aliae* esse possunt *legitimae divortii causae*: „Conjuges ad vitae consortium eatenus tantum obligantur, quatenus id absque animae, vitae vel sanitatis periculo contrahere possunt. Quodsi conjux a fide christiana deficiat, quod si a alteram partem ad defectionem a fide catholica, ad vitia vel crimina sollicitet, quodsi injuriis realibus vel insidiis vitam ejus et sanitatem in periculum adducat, quodsi ei acerbiores animi afflictiones per longius tempus intentet, etiam, quando malo corporali diuturno contagiosoque laboret, alteri parti supplicatione proposita concedendum est, ut a thoro et mensa separetur, usquedum conjuga vitae consortium, quin periculum saluti suae aeternae vel temporali immineat, renovare possit. Conjux quem altera pars malitiose deseruit, separationem a thoro et mensa petere potest, usque dum desertionis reus animum ad officia conjugalium adimplenda paratum sufficienter probaverit.

Etiam propter tales officiorum transgressiones, quae juribus bona temporalia atinentibus vel honori civili alterius conjugis

¹⁾ Libr. 2. de adult. conjugii cap. 6. — ²⁾ Decretal. V. 16. c. 3. Si v. r. De adult.

grave afferunt detrimentum, aut urgens parant periculum, temporalis a thoro et mensa separatio pronunciari potest ¹⁾.

3) „Conjuges mutuo consensu vitae consortium eum in finem solvere possunt, ut Religionem a Sancta Sede approbatam ingredi-antur vel ambo vel una tantum pars, aut ut vir ordines sacros suscipiat. An et quibus sub conditionibus altera pars in saeculo permanere possit, juxta legum ecclesiasticarum praescripta decernendum est.”

Jure canonico requiritur, ut conjux alter Religioni sese devoteat, si adhuc sit juvenis. Ratio est, quod Matrimonii usum expertus ipsique assuetus variis periculis in saeculo foret obnoxius; quod si propter aetatem senilem nulli incontinentiae suspitioni et periculo subiaceat, poterit in saeculo remanere, modo simplex perpetuae castitatis votum emiserit. Ita statuunt Alexander III. et Bened. XIV. ²⁾.

Parentes.

§. 296. Patribus et matribus sunt prae ceteris injungenda:

a) Charitas erga proles, quam Deus praecordiis parentum indidit: „Num quid mulier oblivisci potest infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui” ³⁾? b) Liberalis sustentatio, ut dicere quodammodo possint suis domesticis, quod Christus discipulis suis dixit: „Vos estis, qui permansistis mecum, et ego dispono vobis, ut edatis et bibatis super mensam meam“ ⁴⁾. c) Christiana institutio, ut scilicet in *pietate*, bonis artibus et moribus decentibus instituantur, atque ideo ad haec omnia addiscenda occasio illis mediaque subministrantur. Huc spectant imprimis *virtutum exempla*, quibus liberis suis prae luceant parentes ⁵⁾, et *pietatis ac Religionis exercitia domestica*, quae non solum ad pietatem inducunt, sed etiam gratiam divinam pro hac obtinenda necessariam acquirunt. Rogandi sunt parentes, ut quotidie et maxime sub precibus matutinis et sub missae sacrificio offerant Deo proles suas; pius hic usus multas et uberes de coelo deducet benedictiones. Exemplum piaë matris laudatur S. Monica, quae piis lacrymis Augustinum filium suum deflevit, et a Deo conversionis gratiam obtinuit. Et quia illicia peccatorum undique circumstant, sedulo curandum est, ut praeter doctrinam et exercitia religiosa seductionis et perversionis pericula arceantur. Quanta sollicitudo juvenili pudori et innocentiae debe-

1) Decretal. IV. tit. 19. de divortiiis. — 2) Decretal. libr. III. tit. 32 c. 4. et 13. — Bened. XIV. de Synodo dioecesis. libr. XIII. cap. 12. n. 11—15—S. C. C. 2. Maji 1722. — 3) Isaiae XLIX. 15. — 4) Luc. XXII. — 5) Cfr. Tit. II. 6. Rom. XI. 16. II. Tim. I. 5. Tob. XIV. 15. 17.

tur! * d) Paterna correctio juxta monitum Salomonis; „Filiis tibi sunt? erudi illos et curva illos a pueritia illorum” ¹⁾. Recte tamen paterna exigitur correctio, quae suavitatem vel lenitatem cum rigore permixtam habet, sicut S. Gregorius M. monet: „regat disciplinae vigor mansuetudinem, et mansuetudo ornet vigorem, et sic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.” „Debent parentes in disciplina et correctione Domini filios educare adhibita lenitate et clementia, nec, quantum in ipsis sit, ullam omnino ipsis causam dare, quamobrem aut irasci debeant aut dolere” ²⁾. Tunc enim locum habebit apud subditos ea S. Bernardi exclamatio: „O beata Mater charitas! quae sive foveat infirmos, sive exerceat proectos, sive arguat inquietos, diversis diversa exhibens sicut filios diligit universos. Cum te arguit, mitis est, cum blanditur, simplex est, pie solet saevire patienter novit irasci, humiliter indignari” ³⁾.

*Crescente aetate prolium parentes nolint expectare, donec certa signa discretionis edant, sed mature eas assuescant modestiae, removeant e cubiculo, in quo parentes dormiunt; nec proles, maxime diversi sexus, in latebris diu una ludere sinant, quin illis intendant. Maxime singularem curam et custodiam agere debent, si pueris lavacra concedant in rivis, locisque publicis! Si plurimi pueri seducuntur in plateis, angulis, stabulis, hortis, campis, quid fiet in lavacris, ubi cum vestimentis omnis abicitur verecundia? ubi socil se lavantes plerumque sunt filii parentum reproborum. Crede, ea flagitia patrantur a pueris simul lavantibus, quae flammis expianda essent. O Parentes, parcite vitae puerorum, parcite animae, parcite transeuntium oculis! Arcete eos potius, nisi servata omni, qua fieri potest, honestate, modestia et verecundia id fieri possit.

De culpa parentum in peccatis filiorum.

§. 297. Salus Ecclesiae et Reipublicae plurimum dependet a salute familiae domesticae, quae tuto stare nequit, nisi parentes omni sollicitudine et cura in proles suas ducantur, ut pie saneteque educantur. Quod quum primarium parentum officium constituitur, omnem operam navabit confessarius, ut patres matresque familias sanctum hoc officium edoceat, ne fors participes fiant peccatorum prolium suarum. Quapropter pauca de culpa parentum in peccatis prolium suarum monere juvat, quae confessario in admonitione et instructione ejusmodi parentibus danda usui esse possint.

Si novi conjuges ex praecipiti juvenilis aetatis levitate, forte etiam ex praeviis peccatis carnalibus ad nuptias inducti fuerint, raro piam vivendi rationem induent, et hinc prolium suis pacificam et amabilem christianam indolem communicare non poterunt. Itaque

1) Eccl. VII. 25. XXX. 9. — 12. — 2) S. Bas. Reg. 76. c. 2. — 3) Epist. 1. — Cf. Familie Traugott, oder wahre Grundsätze und Früchte christlicher Erziehung von Rädlinger, Hofcaplan. München 1833.

jam ex vita praeterita peccatorum a prolibus suis committendorum participes quodammodo fiunt. Desperanda utique non esset ejusmodi parentum emendatio, quia Deus gratiam suam non nisi raris peccatoribus semetipsos obdurantibus subtrahit, sed plerumque societas haec sancta conjugalis, unionis Christi cum Ecclesia symbolum, sine consilio Spiritus sancti inita, a sanctitate symboli per omnem vitam degenerat.

Ex praesenti vivendi ratione participatio parentum de peccatis prolium fit partim *negative*, partim *positivo*. Negative, si omitunt proles suas ad christianam vivendi rationem exercere, aut *eorum erratis indulgent*. Ad christianam vivendi rationem necessariae sunt preces vespertinae, et matutinae singulis diebus, auditio SS. Missae et praedicationis verbi divini diebus Dominicis et festivis. Si parentes proles suas adultiores ad hanc obligationem implendam monere, adigere et cogere neglexerint, vitae eorum perversae participes evadent. Pulchre in hanc rem scribit S. Chrysostomus ¹⁾: „Omnis improbitas liberorum ex negligentia nostra oritur, et quod non a principio, neque a primaeva aetate ad pietatem ipsos informaverimus — Ut imbuantur profanis disciplinis, operam damus; ad spectacula quidem frequenter ascendere sinimus, ad Ecclesiam autem nunquam venire compellimus, sed si semel, aut iterum parvulus huc adveniat, temere, frustra atque animi causa huc advenit. At non ita fieri oportuit, sed quemadmodum, cum ad scholas mittis, disciplinarum ab ipsis rationem exigis, ita cum ad Ecclesiam mittis vel potius ducis; non enim aliis illos committere, sed illos tenentes huc oportet intrare, et eorum, quae hic audiverint et didicerint, memoria reposita est. Sic enim fieret, ut a nobis facile ad meliorem frugem liberi revocarentur.“ Porro si liberis indulgent, ut societatibus promiscuis, sive lusoriis, sive potatoriis, sive chorealibus, misceantur, unde de sociorum levitate, et ferocia, et libidine participant, multo magis improbitatis prolium suarum omniumque peccatorum ex effraena juvenili licentia oriundorum rei fiunt. Idem ad juvenilis aetatis tentationes partim praecavendas, partim vincendas Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae frequentior usus necessarius est, quia juvenilis aetas saepe in malam partem deflectit, quin a via recta aberrare se nescat, saepe etiam de sua sibi cum mundo assimilatione gratulatur. Confessarius pericula societatis, et malitiam nascentium affectuum dignoscet, et mature, antequam in peccata gravia externa labantur, periclitantes docebit, et remedia illis adhibebit. Necessitatem Communionis Eucharisticae contra ingruentes tentationes Christus asseruit ²⁾.

¹⁾ Serm. 29. in illud: Vidua eligatur. — ²⁾ Joan. VI. 51.

Positive parentes peccatorum a prolibus suis committendorum reos se faciunt, si *immoderatum sermonem in ore suo habuerint*¹⁾. Omnis immoderatio in lingua se prodit, et mala parentum indoles per solam immoderatam loquelam prolibus communicatur. Unde et sermo parentum in peccatis gravibus viventium, etiamsi indifferentia narraverint, scandalizat proles, et mentis eorum tranquillitatem tollit. Verum si *animus parentum vitiosus* fuerit, sermones vitiosi non deerunt in altercationibus, detractionibus, turpibus narrationibus et calumniis. Accedent insuper *colloquia contra Evangelii doctrinam* et contra *innocentiam et modestiam prolium* a probis parentibus educatarum. Non raro etiam *petulantia et superbus ornatu* in vestibus prolium ab hujus generis parentibus promovetur. Sic praesente vivendi ratione parentum proles scandalizantur.

Intuitu temporis futuri parentes scandalo fiunt prolibus suis, a) si proles suas laboribus et paupertati non assuefaciunt, ut paucis et necessariis sint contenti. In puerili et juvenili aetate parco victui, hyemali frigori et aestivo calori assuefieri homines debent, secus ad labores et fata adversa inepti fiunt. b) Si proles suas timori Dei, et recogitandis divinis in praevaricatores judiciis non educant. Nam levitas juvenilis aetatis contra seductiones ubique obvias et saepe artificiosas ex motivis mere temporalibus aut philosophicis nullam habebit constantiam. Solus Dei timor celerem e periculis fugam in animum juvenilem inducet. Unde proles precibus assuefaciendae sunt, in precibus enim juvenilis animus Deum cogitare discit: et parentes saepe de Deo et rebus divinis sermonem instituere debent, ut proles de Deo cogitare et loqui discant. c) Si parentes proles suas ad lubricas et vanas vitae conditiones destinant.

Igitur confessarius parentes sibi necdum satis cognitos praeter propriam ipsorum vivendi rationem probe etiam examinet de prolium suarum indole, obedientia, precibus et occupatione domestica.

Parentes illegitimarum prolium.

§. 298. Res sane tristis non minus ac laboriosa est, cum S. tribunali se sistunt parentes prolium illegitimarum. Cum multa diffidentia confessiones illorum excipiat confessarius, poenitentiamque eorum cauto examine probet; nam praeterquam, quod saepe vero omni dolore ob peccatum suum destituantur, periculum in peccata carnalia relabendi apud has personas olim peccatis mutuis assuetas, et nunc vinculo parentali conjunctas magnum est. Verum si quis ex his fornicariis juvenibus seriam poenitentiae agendaе voluntatem exhibuerit, ad exemplum filii prodigi²⁾ confessarius illum toto cor-

¹⁾ Jac. III. 6. — ²⁾ Luc. XI.

dis affectu complectatur, et ex sociorum sorditie suscipiat, moerentem consoletur, ad confessionem saepenumero generalem deponendam invitet et adjuvet. Postea si toto corde ad Deum conversus fuerit, duriora illi proponat sequentia: a) *vitam laboriosam* cum quotidianis pietatis exercitiis; incipere autem debet a consociationibus mundanis se *separando*, ludibria, quibus forsam impetetur, *patienter sufferendo*. Dura sunt haec juvenili aetati; sed quia conversio horum hominum ex animi sui depravatione, et ex sociorum consuetudine res valde difficilis est, magna et insolita Dei gratia eam operatura non deerit. b) *Uni alicui confessario probo*, et cum piis ad Deum precibus *eligendo dirigendum se praebeat*, et quia cum confessario saepius conversandi occasio deest, singulis diebus dominicis et festivis praedicationi Verbi divini adesse et pium aliquem librum legere debet. c) *Pro christiana prolis suae illegitimae educatione omnem curam habere debet*. Si matrem illegitimam pariter conversam, et serio poenitentem esse viderit, ni aliae circumstantiae dissuadeant, — de ea in uxorem ducenda cogitare poterit. Quodsi mater non seriam et probatam conversionem praesferat, forte prolem suam maternae educationi subtrahere et in meliores manus tradere debet. d) Propter magnum in pristinam consuetudinem relabendi periculum, confessarius ejus generis opera satisfactoria imponat, quae illud minuunt, aut impedimento sunt, quominus denuo peccent. Quandoque Deus ex infinita sua misericordia hujusmodi poenitentibus quasdam internas externasque miseras immittit, quibus fortissime e mundo secernantur, et cum Deo congiungantur.

Nobiles.

§. 299. Confessarius, qui Nobilibus illustri stemmate natis Dominisque potentia et auctoritate insignibus a sacris esse solet, opus aggreditur uti saluberrimum, ita et difficillimum, tum ob vitae illorum conditionem externam, cujus nunquam non rationem habere oportet, tum ob peculiaria tentationum, quibus obnoxii esse solent, illicia. Licet enim christiana perfectio, ad quam omnes eniti tenemur, una sit, consistens in firmo constantique studio ad charitatem pertingendi, diversimode tamen est exercenda, a nobili videlicet et a plebejo, a famulo et a Principe; imo ne hoc quidem satis est, sed et ipsa devotionis *praxis* viribus vitaeque conditioni cujusque in particulari est accommodanda. Atque sic alii in rei suae familiaris et domesticae cura, alii inter arma et gladios, alii suis in solis regalibus adepti sunt perfectionem, et medios inter mundi strepitus, inter quos perfectio, si qua sit, destruenda et minime provehenda videtur, eam conservarunt. Studeat igitur confessarius precibus Deum exorare, ut sibi in tanto munere spiritum sapientiae et con-

silli, spiritum scientiae et fortitudinis, spiritum pietatis et timoris Sui elargiri dignetur. Praeprimis autem caveat, ne iis aduletur, peccatisque eorum conniveat ex imbecilli hominum timore, veritatem reticendo aut dissimulando! „Non facies, quod iniquum est, nec injuste judicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Non est acceptatio personarum apud Deum¹⁾. Poenitentibus utut nobilissima stirpe conspiciis, ubi status eorum moralis id poposcerit, pariter turpitude vitae corruptae est ob oculos ponenda, *apta* statui ipsorum conveniens satisfactio injungenda, aut etiam, si fors opus fuerit, absolutio proroganda. Quod attinet exortationum formam quaestionum, admonitionum, instructionum et dehortationum, quas eis impertire oportet, ea non quidem sit plane ita concinnata, uti hominibus inferioris sortis convenit, attamen etiam hoc respectu cavendae sunt immodicae urbanitatis formulae. Coram Deo omnes peccatores sumus, et indecens foret, in sacro Poenitentiae tribunali variis titulis v. g. *Ew. Gnaden, Ew. Durchlaucht, Ew. Excellenz* etc. alloqui poenitentes. Si confessarius recuset Germanorum *Sie*, eo quod fors minoris reverentiae esse existimet, uti poterit terminis: *Wir. Uns. Ein Christ. Ein Familienvater, Mutter* etc.

Qui amplissimis in Ecclesia et Civitate muneribus funguntur, bene monentur, α) ut sapientiam a Deo efflagitent, quae, cum omnibus, potissimum iis, qui auctoritate et potentia insignes sunt, necessaria est juxta illud Salomonis: „Da mihi sedium tuarum assuetudinem sapientiam, et noli me reprobare a pueris tuis: quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillae tuae; homo infirmus et exigui temporis, et minor ad intellectum iudicii et legum²⁾. β) Ut intelligant, et animo saepe revolvant, non esse potestatem, nisi a Deo; ut discant Eum timere, qui aufert spiritum principum³⁾, totisque viribus contendere, ut divinam ipsius legem et ipsi perfecte observent, et ad eam observandam subditos verbo et exemplo adhortentur. „In omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate“⁴⁾. „Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam, quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur“⁵⁾. „Pusillum et magnum Ipse fecit, et aequaliter cura illi est de omnibus“⁶⁾.

Quantum vero ad confessarium, profecto opus non esse arduum monere, ne unquam limites sui muneris excedat, gubernationi rerum temporalium se immiscendo, quandoquidem bono spirituali poenitentis sui unice intentus non nisi ea dicat et agat, cum *intelligentia* et *prudencia*, cum *comitate* et *lenitate*, quae salutem animae spectant. Quantopere alias aberraret ab exemplo Sanctissimi Salvatoris!

¹⁾ Lev. XIX. — ²⁾ Sap. IX. 4. 5. — ³⁾ Psalm. LXXV. 13. — ⁴⁾ Tit. II. 7. —

⁵⁾ Eccli. III. 20. — ⁶⁾ Prov. XX. 28.

Nec sibi blandiatur, eo quod Nobilium confessionibus excipiendis occupetur. Pusillum et magnum Ipse fecit, et aequaliter cura illi est de omnibus! Meminerit e contra verborum S. Gregorii P.: „Quid est, quod regulus Dominum rogat, ut ad ejus filium veniat, et tamen ire corporaliter recusat; ad servum vero Centurionis non invitatur, et tamen se corporaliter ire pollicetur? Reguli illo per corporalem praesentiam non dignatur adesse. Centurionis servo non dedignatur occurrere. Quid est hoc, nisi quod superbia nostra retunditur, *qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores et divitias veneramus?* — — — Increpata est ergo superbia nostra, quae nescit pensare homines propter homines. Sola, ut diximus, quae circumstant hominibus, pensat, naturam non aspicit, honorem Dei in hominibus non agnoscit. Ecce, ire non vult Filius Dei ad filium Reguli, et tamen venire paratus est ad salutem servi. Certe si nos cujuscumque servus rogaret, ut ad eum ire deberemus, protinus nostra superbia in cogitatione tacita responderet dicens: Non eas, quia temetipsum degeneras, honor tuus despicitur, locus vilescit. Ecce de coelo venit, qui servo in terra occurrere non despicit, et tamen humiliari contemnimus, qui de terra sumus”¹⁾.

Magistratus et judices.

§. 300. His inprimis tria inculcanda veniunt. a) Ut bene ponderent, quale officium sibi sit commissum: ideoque illa Josaphati verba sibi approprient: „Videte, quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini, quodcumque judicaveritis, in vos redundabit”²⁾. b) Ut, quemadmodum idem Rex monuit, si timor Domini cum ipsis, et cum diligentia cuncta faciant. c) Ut sedulo caveant pericula, quibus officium ipsorum subjectum est, videlicet injustitiam, respectum personarum, et acceptionem munerum; „non enim, ut idem Rex subdit, est apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum”³⁾. Quae ut eo sanctius observentur, proderit in memoriam revocare terribilem exhortationem Salomonis, ubi ait: „Praebete aures vos, qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est a Domino potestas vobis et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur, quoniam, cum essetis Ministri Regni illius, non recte iudicastis nec custodistis legem justitiae, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende, et cito apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum in his, qui praesunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem

¹⁾ Hom. 28. — ²⁾ II. Paral. XIX. 6. — ³⁾ Exod. XXIII. 6. 8. Deuter. I. 17. X. 17.

potenter tormenta patientur, non enim subtrahit personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam; quoniam pusillum et magnum Ipse fecit, et aequaliter cura est illi de omnibus¹⁾).

Milites.

§. 301. In confessionibus militum excipiendis confessarius sedulam adhibeat curam: utens omni gravitate, pari tamen cum suavitate, utpote cum milites non minus ac ceteri fideles, amorem inducantur et impellantur ad virtutem et christianam pietatem. Moneatur autem prae reliquis (quae etiam objecta quaestionum constituunt, quandoquidem eos examinare saepe necesse fuerit): a) Ut fidem Principi jurejurando datam conservent inviolatam ad exemplum Ethaei, qui licet ceteri commilitones Davidi fidem negassent, at remque cum Absolone habuissent, fidelis nunquam non exstitit: „Vivit Dominus Deus, inquit, ubi Rex meus est, ibi et servus ipsius erit.“ b) Ut obedientiam promptam et exactam ex amore Christi obedientiam usque ad mortem libere praestent. c) Ut memores praecepti S. Joannis contenti sint stipendiis suis²⁾; neminem concutiant aut alumniam afficiant, aliave injuria lacessant. d) Ut a blasphemis, malis inprecationibus, gravibus iris et rixis, a lusibus et furtis, et imprimis a luxuria abstineant, persuasi, quod *Lex divina* cunctis, nulla hominum classe excepta, pariter obliget, aequaliterque stringat. e) Ut in bello non audeant ecclesias profanare, aut sacra vasa infringere, vel quidquam rerum sacrarum sibi vindicare; ut clericis et monialibus, et civibus innoxiiis, senibus et pueris parcant. f) Ut quoad Religionis exercitia, divino cultui diebus festis non solum devote intersint, sed etiam, prout rerum occasio fert, una altera vice per annum sacramentaliter confiteri sacraque Synaxi se referre studeant. Juvat eos monere, praecipue tempore belli, ut considerent, quam in periculoso statu animae et corporis haereant, ut proin semper studeant esse in statu gratiae, per contritionem in casu necessitatis elicitam. Doceat quoque eos in militia spiritali se perpetuo exercere; id est, in moderandis animi perturbationibus, et reliquis observandis, quae ad christianam disciplinam spectant, ut sic vere Christi milites, et hostibus fortiores sint. „Melior est sapiens viro forti, et qui dominatur animae suae, expugnator urbium³⁾“. Exempla SS. Militum plurimum valent in exhortatione danda e. g. Cornelii, S. Georgii, S. Floriani M., S. Mauritii aliorumque⁴⁾. Exempla humanitatis sensus erga captivos exhibent aerae literae⁵⁾).

1) Sap. VI. 3. seq. — 2) Luc. III. 4. — 3) Prov. XVI. 32. — 4) Act. X. — 5) IV. Reg. XXV. 27. — II. Paral. XXVIII. 15. — Act. XXVII. 1. 3. 41 — 44.

In satisfactionibus injungendis primaria ratio status militaris habenda est; hic nec jejunii, nec eleemosynae impositionem fert, adeo, ut poenitentiae vel maxime consistant in precibus persolvendis, et in sufferendis cum patientia et in voluntatem divinam resignatione vitae miseris ac molestis, quibus vita militaris subjecta est.

Si contingat, ut miles confitens de peccato se accuset, quod reservatum est, distinguere oportet, utrum poenitens sit miles *transiens*, an *stationarius*; priori casu Episcopi plerumque concedere solent facultatem a casibus sibi reservatis absolvendi, casu vero altero poenitens tractandus est ac alius quisque, qui apud confessarium pro reservatis non deputatum confitetur.

Quid de duello, quod inter milites nonnunquam fieri assolet? Duellum si ineatur *ex conducto* cum assignatione praevia *loci et temporis*, casus est Summo Pontifici reservatus¹⁾, intra Italiam etiam respectu privilegiorum regularium. Si autem fiat tantum ex calore iracundiae, subita ira vel rixa, vel si quis occurrens inimico dicat: *Distringe ensem et pugnemus*, hanc excommunicationem et reservationem non incurrit; nec enim tunc est proprie duellum, sed injusta aggressio.

Opices et mercatores.

§. 302. Commenda his: a) Bonam intentionem ante opus; ut hac ratione solari se possint illis S. Pauli verbis: „Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini, semper scientes, quod labor vester non est inanis coram Domino”²⁾. b) Assiduitatem in ipso opere, juxta Ecclesiastici monitum: „In omnibus operibus tuis praecellens esto”³⁾. c) Justitiam post opus, ut scilicet neminem defraudent, majus pretium aut salarium exigendo, quam justitia permittit, sed semper in corde habeant verissimam Salomonis sententiam: „Si quis justitiam diligit, labores hujus magnas habent virtutes”⁴⁾.

Heri seu Domini.

§. 303. Si circumstantiae id ferant, heri monendi sunt, ut obligationi suae satisfaciant. Videlicet, a) ut in mandatis suis justitiam, quin imo aequitatem ac humanitatem servare contendant, et in exigendis laboribus virium ac infirmitatis humanae rationem habeant, idque in timore Dei et exemplo Domini⁵⁾. Ipsorum enim Deus et Pater, omnium etiam dominorum Dominus, Deus et Pater est⁶⁾. b) Ut, quod justum et aequum est, famulantibus praestent,

¹⁾ Conc. Trid. Sess. XXV. de reform. c. 19. Bened. XIV. „Detestabilem“ die 4. Idus Nov. 1752. — ²⁾ I. Cor. XV. 58. — ³⁾ Eccli. XXXIII. 23. — ⁴⁾ Sap. VIII. 7. — ⁵⁾ Eccli. XXXIII. 30. 31. — ⁶⁾ Eph. VI. 9. Job. XXXI. 15.

secundum illud Apostoli: „Scientes, quod et ipsi Deum habeant in coelis” ¹⁾. Justitia exigit persolutionem mercedis conductae, quam ultro retinere nefas est ²⁾. Aequitas autem piam liberalitatem intendit, atque ea, quae citra moralem famulorum causam pereunt, ipsi haud imputat; famulis longo servitio praestito dulcem et quietam senectam concedit ³⁾. c) Ut sedulam salutis animae curam gerant, honestati et religioni famulitii sollicitè invigilando, ne verbo et exemplo pravo ad impietatem seducantur, quo saepe fit, ut proh dolor! aliorum, imo filiorum familias seductores existant; otium eliminant, tollant pravas consuetudines bonasque substituant. Preces communes, et si fieri poterit, lectio libri spiritualis plurimum commendantur. Absolutum vero dominis incumbit officium, ut eos culti divino diebus dominicis ac festivis interesse jubeant, et bonae vitae exemplo praeluceant. „Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior” ⁴⁾. „Qui vere patres familias sunt, omnibus in familia sua tanquam filii ad colendum et promerendum Deum consulere debent” ⁵⁾. Regulus, cujus filius sanabatur a Christo Domino, ipse credit, et tota domus ejus ⁶⁾.

Graviter multumque peccant, qui, dummodo labores rite praestentur, domesticis, quidquid lubet, indulgent; eosque a praescripto cultu aliisque pietatis exercitiis retrahunt, perversis principiis imbuiunt, famulas ad turpia sollicitant, ipsorum conscientiae irident etc. Hi sane horrendum sibi iudicium parant.

Famulantes.

§. 304. Ea fere commendare oportet, quae S. Paulus illis commendaverat: a) Obedientiam perfectam, quam his verbis indicavit: „Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore” ⁷⁾. b) Fidelitatem sinceram, quam idem Apostolus insinuaverat, dum ex simplicitate cordis eos obedire voluit. Contra hanc virtutem peccant, si curam rei domesticae non gerant, rem domesticam negligentia culpabili perdant scienterque subducant, aliisque condonant; si emendo vel vendendo sibi partem retineant, si clandestinas aliorum defraudationes non detegant. Nec valet apud famulos sic dicta compensatio *occulta* ⁸⁾. c) Alacritatem indefessam; hanc enim indicavit verba: „non oculum servientes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes.” Ut autem hoc tanto facilius praestent, efficacissimum illis medium confessio-

1) Col. IV. 1. — 2) Jac. V. 4. — 3) Jac. II. 13. Matth. VIII. 5. — 14. — 4) I. Tim. V. 8. — 5) S. Aug. de Civit. Dei libr. 19. c. 16. — 6) Joan. IV. 53. Act. X. 1. 2. XVI. 32. 33. — 7) Eph. VI. 5—9. Cfr. I. Pet. II. 18. 19. Cfr. Tit. II. 10. — 8) Col. III. 25. Luc. XVI. 10. Eccl. XXIX. 28.

rius offert, dum suadet, ut certo sibi persuadeant, ea obsequia, quae dominis suis praestant, Christo se exhibere, et ab ipso se mercedem recepturos.

Monendi sunt quoque famuli famulaeque, ut non solum sint veris suis obedientes fidelesque propter Deum, cujus auctoritate Domini mandant, verum etiam, ut res dictae vel errata herorum non divulgent, apud alios eis non detrahant, vel calumnientur, quoniam, nisi altioris ordinis officium postulet, aliorum errata disseminare vetitum est lege christiana.

Ceterum per se patet, famulantium esse, denegare obedientiam in rebus peccati; neque patiantur sese qua instrumenta ad haec illave peccata haberi. Famulatum utut utilissimum desere, si animae tuae detrimentum instet.

Divites.

§. 305. Divitibus maxime commendare debet confessarius ea, quae S. Paulus olim Timotheo scripsit, his verbis: a) „Divitibus praecipe, non sublime sapere“¹⁾, quia non propter divitias, sed propter earum bonum usum quisque commendandus est. b) Neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui praestat nobis omnia abunde ad faciendum, siquidem ipse dixit: „Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis“²⁾. c) Bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam veram. „Hae enim solae verae divitiae sunt, quas nec aerugo consumit, nec tinea demolitur, nec fures effodiunt et furantur“³⁾. „Non minoris est criminis habenti tollere, quam cum possis et habes, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines, nudorum indumentum, quod tu includis, miserorum redemptio et absolutio pecunia, quam tu in terram fodis“⁴⁾.

Pauperes.

§. 306. Pauperes monendi sunt: a) ut bene contenti sint suo statu, atque adeo paupertatem suam, quam necessario patiuntur, etiam voluntate sua libera amplectantur. Quod ut tanto alacrius praestent, jubeat illos considerare tum exemplum Christi, qui, cum esset dives, propter nos egenus factus est, teste S. Paulo ad Corinthios⁵⁾; tum exempla sapientissimorum et sanctissimorum virorum, qui sponte amplexi sunt paupertatem, ut essent similiores Filio Dei, et tamen frequenter vix per longas preces hanc gratiam

1) I. Tim. VI. — 2) Matth. VI. 33. — 3) Lud. Gran. p. 626. — 4) S. Ambrosius. — 5) II. Cor. VIII. 9.

obtinuerunt; tum curas et pericula, in quae conjiciunt divitiae, et a quibus liberat paupertas; tum denique praemia, quae voluntarie seu spiritu pauperibus promisit Deus, scilicet centuplum, regnum coelorum et vitam aeternam, ut adeo merito sibi applicare possint verissimam illam S. Augustini sententiam: „Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potes diutius invenire. Vis nosse, quam locuples sit? coelum emit. Quibus thesauris conferri possit, quod pauperibus videmus indultum? ut ad regnum coelorum veniret, dives possessione sua obtinere non potuit, nunc obtinet, ut contemptu perveniat”¹⁾. „Affatim dives est, qui cum Christo pauper est”²⁾. b) Fiduciam ponant in Deo, cujus oculi respiciunt super pauperem teste Davide, et cui direlictus est pauper; quidni ergo illam ejusdem Psalmistae sententiam a S. Francisco suis religiosis pro viatico dari solitam, sibi quoque applicent: „Jacta super Deum curam tuam, et ipse enutriet te”³⁾. c) Bonorum operum et virtutum, praecipue humilitatis et patientiae studium colant; nam ideo Deus carere eos divitiis temporalibus voluit, ut spirituales et veras divitias bonorum operum, quas solum secum ex hac vita auferre, iisque aeternum frui possunt, tanta majori sollicitudine sibi comparent. Ex quibus etiam illud commodi haurient, ut merito sperare possint, sibi dum tali modo regnum Dei et justitiam ejus quaerunt, Deum etiam ea, quae ad corporis necessariam sustentationem requiruntur, juxta promissionem suam adjecturum⁴⁾. Certe „divites eguerunt, et esurierunt, teste Davide, inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono”⁵⁾.

Ceterum pauperes benigno mansuetoque animo tractari debent, ne vel afflictio addatur afflicto, et licet confessario paupere saepe multum negotii facessant, tamen non desistat, iis opitulanti gratanter, quoniam „beatus, qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus. Deus opem ferat illi super lectum doloris ejus: universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus”⁶⁾.

Surdastrī, muti, surdo-muti.

§. 307. Surdaster confessario ignotus, qui audire non potest, nisi confessarius clamet, aut ita loquatur, ut circumstantes audiant, remitti debet ad locum separatum. Si autem confessario nota sit illius innocentia, eo quod non soleat, nisi venialia afferre, audiri potest et absolvi, opus enim non erit talem de aliquo interrogare.

¹⁾ Serm. 28. de Verb. Domini. — ²⁾ S. Hieron. Epist. ad Heliod. 14. —

³⁾ Psalm. IX. 10. X. 14. — ⁴⁾ Matth. VI. 33. — ⁵⁾ Psalm. XXXIII. 11. —

⁶⁾ Psalm. XL. 1—5.

Haec vero valent, nisi ob adhortationem dandam et poenitentiam imponendam consultum fuerit, seorsim ipsius confessionem excipere.

Si poenitens sit mutus, et non surdus, nisi scripto confiteri possit, monendus est, ut ad quaestiones propositas nutu et renutu capitis respondeat. Si tantum surdus sit, in locum separatam remittendus, et signum dandum est, ut flectat genua et peccata sua enarrare incipiat, quorum si aliqua quocunque modo narraverit, poterit illi signum dare confessarius percutiendo pectus, et oculos in coelum levando, quo inquirat, num doleat de peccatis propter Deum offensum, et tunc si simile signum vicissim et ipse dederit, absolutionem impertiri. Quodsi legere sciat, quaestiones necessariae scripto a confessario praeponantur, et poenitentia eodem modo praescribatur. Si poenitens simul mutus et surdus sit, eum signis et nutibus examinet, in quantum fieri potest, per naturalem, ut ita dicam, signorum linguam, et si unum alterumve peccatum intellexerit, ac doloris signum acceperit, sine scrupulo absolvat. Quoad poenitentiae impositionem, haec, si poenitens legere novit, poterit scripto imponi secundum conditionem ipsius internam et externam; si autem nesciat, aut ob caecitatem legere non valeat, tunc per rosarii grana aut digitorum numerum quantitas poenitentiae, puta orationis dominicae et salutationis angelicae, praescribi potest.

Quodsi poenitens a nativitate sit surdus et mutus, dispiciendum est, utrum per artificiosam signorum linguam veritates religiosas didicerit, nec ne; si primum, quando confessarius ipse artificiosa signa callet, confessio facile procedit, si vero poenitens edoctus non fuerit, prudentiae confessarii relinquitur, num poenitentem agnitionis Dei et peccati capacem censeat etc. (quae per signa naturalia illi declarari poterunt), quo facto simul absolutionis capax censi debet; et tunc confessarius signum crucis formando, pectus percutiendo illum ad dolorem excitare, eique haec ipsa opera pro poenitentia imponere potest, postquam ope signorum naturalium eum, prout fieri potuit, edocuerit.

I n f i r m i .

Momentum et gravitas confessionis infirmorum.

§. 308. Omni tempore animarum pastor gregi suo invigilare debet: sed cum primum aliquis ejus curae commissus in morbum incidit, tunc maxime omnem pastoralis charitatis diligentiam ipse in eo ponat, ut aegrotantem in via salutis recte dirigat. Vocatus igitur ad aegrotum, ne cunctetur venire, etiamsi ille ignobilis sit et pauper: memor Salvatoris, qui cognita infirmitate servi lubens perrexit ad domum ipsius.

Dum vero sacerdos confessarius infirmis et moribundis assistit, opus aggreditur, quod multam requirit charitatem, patientiam, prudentiam, animique fortitudinem, ut non dicat, nisi quod oportet, quo et quomodo oportet, ut infirmi animum sibi devinciat, illum soletur, moveat, convertat ad Deum, verbo, ut pauculis horis id apud eum efficiat, cui is omnem vitam suam impendere debuisset. Peccatori graviter infirmo nihil tam necessarium, tam utile et consolatorium esse potest, ac confessio sacramentalis bene facta.

Dicimus nihil ita *necessarium*; quia, si aut omnino non confitetur, aut confitetur non bene, quae futura est ejus sors? Funesta sane et omnium, quae cogitari possint, infelicissima. Nihil ita *utile*; veram enim obtinere peccatorum suorum, tanquam multorum et gravium, remissionem, satisfacere justitiae divinae, dolores et quasvis afflictiones meritorias reddere, mori in gratia et amicitia Dei, haec sunt commoda et totidem omni aestimatione majores bonae confessionis fructus. Nihil ita *consolatorium*; confessio enim recte facta reddit peccatori pacem animae, tranquillitatem spiritus, solatium bonae et pacatae conscientiae. Ipse Spiritus sanctus certum esse jubet, ipsum de numero filiorum Dei esse et haeredem regni coelestis. Quantae hae consolationes! Et quam consolatorium illud, quod mox coram supremo iudice, coram iudice vivorum omnium et mortuorum apparere possit, plenus spe firma aeternae et tantae felicitatis, quae omnem excedit intellectum et sensum.

Praeclare de hac re scribit Pollancus in libro de juvandis infirmis, ubi ait: »Intelligat imprimis, qui dat operam eis adjuvandis, qui ex hac vita decedunt, quanti sit momenti, et quam verae charitatis opus, proximis in tali statu constitutis, ubi de summa rerum agitur, subvenire. Nullibi enim gravius erratur, et cum mors semel tantum accidat, si quis error hic admittitur, nullo ingenio corrigi potest. Adde, quod saepe accidit, ut hujusmodi ministerio divinae providentia ad portum aeternae salutis eos adducat, qui sine ipso in aeternum erant perituri, vel certe in purgatorio graviores ac diuturniores poenas passuri, aut si neutrum horum evenit, illud quidem certe haec functio, quod ad alia spectat, boni adfert, ut morientes in majori decedant charitate, ac proinde majori etiam post hanc vitam beatitudine apud Deum et gloria fruantur.» — Hunc finem praecipuas quasdam regulas practicas usui confessarii infirmorum futuras tradimus. Verum minime nobis persuadere possumus, *solis* hisce vel quam plurimis aliorum et eruditissimorum nominum ac peritissimorum authorum regulis fore, ut proficiat, nisi sibi diffidens, totam spem bene se gerendi, et quod intendit, consequendi, in divino auxilio constituat, ac purissimam habeat intentionem, ferventique oratione petat auxilium, tanto operi necessarium, et insuper praemeditetur res ipsas, quae dicendae sunt et agenda, ac modum et ordinem earum pro varietate personarum.

Antequam igitur opus illud aggrediatur, hoc ipsum et aegrotos invi-
sendos Deo *totius consolationis* commendet. Meminerit se ipsiusmet
Domini Jesu infirmos visitantis personam gerere; eoque spiritu re-
pleri se postulet, quo solebat Christus lugentes consolari, et malis
aegrotantium condolere.

Modus disponendi infirmos ad confessionem.

§. 309. Confessarius vel vocatur ab infirmo, ut confessionem
ipsius excipiat, vel rogatur ab aliis, ut infirmum, qui confiteri re-
nuit, ad confessionem ineundam disponat; quo casu res non raro
ardua contingit, ita, ut operae pretium sit, pauca, quae agere de-
beat confessarius, si aeger confiteri nolit, delineare.

Nisi periculum mortis immineat, confessarius aegro non sta-
tim ingerat mentionem confessionis, sed eum amice salutet, quaerat
de morbo, doloribus, quiete etc. suadeat resignationem in manus
Dei, qui vitae et mortis dominus est. Captata occasione insinuet,
expedire confessionem, antequam invalescat vis morbi, qui diffici-
liorem illam reddit, nec id posse obesse, sed profuturum pro quiete
animae, et etiam pro salute corporis. Si se resolvat jam confiteri,
praëeat in actus necessarios sublevando illum et alleviando onus
confessionis, quantum potest. Si pro confessione dilationem petat,
concedat, sed conetur efficere, ut determinet tempus, quo redeat,
ne pergat differre. — Quodsi autem continuo differt vel renuit, in-
quirenda est causa, cur nolit confiteri. Est autem haec: a) vel quia
implexam nimium et criminibus oneratam habet conscientiam, ac
propterea de perfecta et sufficienti confessione, tanquam de re, quae
ejus vires superet, desperat; b) vel quia corde indurato est, ita ut
nulla salutis suae tangatur cura, vel ita desperat de salute sua, ut
nullam amplius de sui conversione hujusque mediis cogitationem
admittat. Si primum obtinet, operam tuam liberaliter offeres pro-
mittesque, te ipsi ita futurum auxilio, ut tu ipse tibi, si in eodem
esses statu, alios auxilio esse velles. Ante omnia certum illum se-
curumque esse jube de misericordiis Domini, dummodo vere et in
animo factorum illum poeniteat, et in sacro tribunali modo, quo
potest, optimo, se incuset; repraesenta illi, quanta animi pace,
quanta tranquillitate mox fruiturus sit, ut primum suam confes-
sionem terminaverit. Ad excitandam spem et fiduciam revoca illi in
memoriam, Filium Dei non modo orasse Patrem suum coelestem
pro omnibus omnino peccatoribus, sed morte etiam ignominiosissima
mortuum esse. Regem Davidem et adulterum et homicidam fuisse,
Petrum juramento Dominum negasse, utrique tamen illico et mo-
mento, quo illos facti poenitere coeperit, remissa fuisse peccata.
Latronem peccatis adhuc coopertum, affixum cruce, sed tactum in

cruce poenitudine, mox ex ore Salvatoris audiisse: „Hodie mecum eris in paradiso.”

Altero vero casu, nihil prope est aequae arduum et difficile, ac movere cor obduratum; opus est sane hoc magnae at singularis gratiae Dei, quam instanter non minus, ac ferventer petes a Patre misericordiarum. Infirmo hujusmodi propones, per intervalla omnium cum pietate, animi demissione et unctione spiritus, quidquid sanctae religionis nostrae terrificum et consolatorium habet. Depinge illi nunc infelicitatem peccatoris, qui gratis Dei, quas moriens accipit, abutitur, et moritur impenitens; — nunc rigorem et severitatem iudiciorum Dei, ad quae revocandus est, et aeternitatem poenarum, ad quae paulo post citra spem omnem commutandae aliquando sententiae condemnabitur. Repraesenta illi ex parte opposita felicitatem peccatoris, qui Deo suo reconciliabitur, pacem animi, qua fruuntur, gaudia aeterna illa et infinita, quae ipsum in coelis praestolantur. Si vides, illum his non moveri, invita amice, et roga, ut, quae dixisti, recogitare apud se velit, hincque illum ad pauca momenta solum sibi relinquant, Deum interea ferventer orans. Redux denuo illum hortaberis, rogabis, urgebis, prout Spiritus sanctus dabit eloqui. Etenim forte hoc postremo zeli tui conatu abutetur, ut abusus et gratis Dei, forte morietur, uti vixit. Si enim non resipuerit, merito timendum est, ne impleat Deus, quod dixit: „Non tardes converti ad Deum, et ne differas de die in diem; subito enim veniet irae illius, et in tempore vindictae disperdet te“ ¹⁾. — Sed enim fieri quoque potest, ut moveri incipiat, ut sentiat remorsus conscientiae, ut terreatur iudicii Dei. Tunc breves considerationes suggeres illi, quibus erigatur et convertatur ad Deum, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

Modus agendi in ipsa confessione excipienda.

§. 310. Non sufficit effecisse, ut confiteri velit infirmus, oportet, ut illum etiam adjuves, quo bene et cum fructu confiteatur, quae in re sequentia observabis:

a) Quod spectat integritatem confessionis, prudentia confessarii plus quam alias requiritur, ut in exigenda juvandaque integritate confessionis nec deficiat, nec modum excedendo statum infirmi pejorem reddat. Non inutile *nonnunquam* erit, si graviter aegrotans ante absolutionem interrogetur: an fors habeat peccatum grave, olim commissum, nec unquam hucusque confessione expositum; an actu teneat rem alieni juris; an damnum olim alteri illatum, non bonam famam illi subtractam necdum reparaverit; an gerat odium contra aliquem; an olim consuetudine graviter peccaminosa fuerit

¹⁾ Eccli. V. 8.

arretitus; et an lapsus illos, quando emerit e pravo habitu, generali confessione expiaverit; an voti ipsius sit, omnem justitiam implere, et tanquam filius Ecclesiae Catholicae vivere et mori? Ex responsione aegroti intelliget sacerdos, quid agendum ultra sit. Ceterum non exiges ab eo multum examinis, si natura morbi non fert; praestat, ut ipse tu illum examines eo modo, qui non postulat longas discussiones et disquisitiones, monebisque, ut in interrogationem respondeat particula affirmativa, vel negativa. — Ut aeger loquatur multum, non modo non coges illum, sed ipse tu esto in loquendo parcus et brevis, plenus tamen unctione Spiritus, ut moveas; loquere per interstitia et tono vocis, qui illi minime gravis aut molestus sit. — Ubi aliqua peccata confessus fuerit, excita illum ad contritionem et propositum firmum, ad resignationem voluntatis suae in divinam, et ad amorem Dei. Universe plus adlaborabis in inspiranda illi cordis contritione et compunctione, quam ut confessio ejus vestita sit quibusvis peccatorum suorum adjunctis.

b) Si *vox* deficiat infirmum, sufficit, si signis vel annutu capitis, manus apprehensione aliisque modis, quorum adhuc capax est, confiteatur. Si deficiat illum *auditus*, loqui tamen possit, utere signis, quibus eum ad confessionem invites, et ad contritionem excites.

c) Infirmus, qui aliqua contritionis signa non solum praesente, sed vel etiam absente sacerdote dederit, sacramentali ritu ab omnibus peccatis absolvendus est. Sacerdos itaque accersitus ad infirmum, qui vel nullo amplius indicio prodere potest desiderium et voluntatem peccata confitendi, aut suum de illis commissis dolorem testari, si adsint tamen, qui testentur, haec illum sufficienter ante adventum suum manifestasse, absolvere illum potest, ut Patres Conc. Carth. IV. anno 398. Concil. Araus. I. anno 441. Can. XII., Innocentius I. ad Exup., S. Leo M. aliique docuerunt. Quid autem, si non adsint, qui testentur? Etsi de hoc nihil adhuc statuerit Ecclesia, videris in re dubia amplecti posse sententiam infirmo faventioem, et illum sacramentaliter absolvere, modo pie christianeque vixerit, nec impenitens appareat, vel in flagranti delicto fuerit deprehensus. Si enim moribundus in ipso criminis actu usum rationis amisit, minime illum absolves, cum ob defectum rationis poenitere illum peccati non possit, adeoque ejus indispositio non sit dubia, sed certa. Nihilominus non recedes ab illo (si fieri potest), ut, si contingat, illum ad usum rationis redire, possis illum excitare ad poenitentiam, et dein absolvere ¹⁾. Si quis vero *subito* incidat in apoplexiam, aliove morbo corripiatur, quo totum corpus et mens stupeat, vel de tecto aedificii delapsus semivivus decumbat, et nulla poenitentiae

¹⁾ Cfr. S. Aug. de Adulterin. conjug. c. ult. n. 33. n. 35. Roman. Sacerdotale Venet. editum anno 1560.

signa dederit, nec adstantes testimonium de eo ferre valeant, tunc casus obtinet, quo dubium facti, de ipsius voluntate ac desiderio confitendi, adest, hinc *etiam sub conditione* absolutionem sacramentalem eidem impertiri licebit. — Sacramentum autem extremae Unctionis *sine haesitatione* conferri solet.

d) Si infirmus non potest confiteri solus, cum debeat adjuvari a circumstantibus, ut sunt recenter vulnerati vel mulieres parturientes, ubi periculum est in mora, tunc confessarius quaerat, an doleat propter Deum offensum ex corde de omnibus vitae anteactae peccatis, — et modo, quo potest, optimo fiat a poenitente confessio. Ad quaestionem si annuat, absolutio ei impertienda est, ita tamen, ut, si postea occasio aut facultas ob discessum adstantium et poenitentia vires detur, ex instituto illius confessio audiatur.

e) Quodsi moribundus obfirmet animum in affectione peccati, ut si nollet dimittere concubinam (quum tamen possit), inimico reconciliari, etc. — frustrata omni, qua polles, opera adhibita ad contritionem et emendationis propositum eum perducendi, — negabit illi absolutionem, quia non adest vera cordis contritio firmumque animi propositum.

f) Si infirmus graviorum quoque se incusavit peccatorum impones illi leviolem quampiam poenitentiam, quam mox et adhuc in sua aegritudine persolvat. Ceterum plurimum juvat, ut eliciat actum contritionis, ut dolores suos et molestias morbi offerat Deo in satisfactionem pro peccatis suis, — ut sese in voluntatem divinam plene et sincere resignet, — ut pio cum affectu oculos concipiat in Jesum Christum crucifixum, — ut afflictiones suas unius passionibus SS. Salvatoris. Verum dum infirmum invisit (quando quidem id in officio confessarii est), ubi Deus eum e periculo mortis ereptum prioribus valetudinis viribus reddiderit, peccatis suis gravioribus convenientem suadebis poenitentiam.

De restitutione ab infirmis praestanda.

§. 311. Nonnunquam negotium facessunt confessario infirmo, qui ad restitutionem faciendam obligantur. Multa hic opus est prudentia et animi fortitudine, ut justitiae sive illico per infirmum, sive posterius per haeredes fiat satis. Si restitutio illico fieri possit, non consenties, ut ejus faciendae obligatio transferatur in haeredes, sed infirmo persuadere conaberis, ut per seipsum, dum vivit, restitutionem faciat. Quodsi illico, dum infirmus in vivis est, fieri nequeat restitutio, saltem posterius per haeredes vel alium fidum amicum post mortem fiat. Apponat nempe aegrotus, qui ad restitutionem tenetur, capitulum in testamento suo, jubeat, ut haeredes dent tantam pecuniae summam, vel alicui amico, qui hac de re certior redditus sit, vel etiam confessario, ut eam expendat secundum voluntatem te.

statoris, ni fors velit conjugem, vel si quem praeterea scripsit haeredem, cui se committere non veretur, accersere, eisque declarare, cui et ad quid obligentur; et simul ab his promissionem exigat, restitutionem hanc, quam citissime fieri possit, faciendi. Cetera de restitutione notanda vide infra.

De tentationibus, quibus impeti solent infirmi.

§. 312. Quamvis remedia contra tentationes tradita sufficere queant ad juvandos quoque infirmos, expedit tamen hic adducere nonnulla, quae singillatim infirmorum tentationes concernunt. Si videlicet aegrotus impetitur a tentatione adversus fidem, sacerdos hortetur infirmum, ut animo constanti dicat: Ego credo, quod **S. Mater Ecclesia** credit; — ut Deo gratias agat, quod ipsum in Ecclesiae sinu ab incunabulis recipere dignatus sit; adeoque in ipsa fide usque ad extremum vitae perseverare se velle profiteatur. Praecipuus modus et utilior ad hujusmodi tentationes repellendas erit mentem alio divertere, aliosque dicere actus Contritionis, Spei, Charitatis etc. — Si vexatur aegrotus, tentatione desperationis, illi de divina justitia, damnatorum poenis loqui ejusque patrata scelera exaggerare, sacerdos caveat, sed potius ipsi fiducia in Misericordia Dei, Salvatoris Passione, divinis promissis et Dei Matris intercessione argumenta insinuentur. — Si tentatio consistit in eo, quod acerbos dolores patiantur, et forte sine merito ob suam, ut ajunt, impatientiam, explicandum illis erit, quod moderate tristari, aut etiam flere ob aliquod malum occurrens liceat; verum aequo animo sustinendi sunt dolores tanquam ex pretioso calice dominicae passionis a Christo propinati; nec obfuturum, si tristemur cum Salvatore nostro dicentes: „Pater, si possibile est, transeat calix iste,“ modo addamus: „Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut Tu“¹⁾. — Si nimis desiderio vel sanitatis vel vitae teneantur, tunc inquirendum in causam, quae, posteaquam fuerit cognita, opportunis remediis erit tollenda. Ejusmodi remedia inveniuntur apud Ludovicum de Ponte: et primum est: considerare, quod Dominus Deus, cui resistere nefas est, ita velit, et quidem in bonum nostrum, dum tanquam Pater amantissimus nos tali modo ad se trahit. Alterum, quod sit magna prudentia facere ex necessitate virtutem, et quod violenter est ferendum, id sponte tolerare, ut fiat minus grave, et majorem adferat utilitatem. Tertium, quod merces justis promissa sit magna nimis, et aeternum duratura. Particularia sunt, si angantur propter liberos, quibus nequeunt prospicere: attendant, divinam providentiam id habere perspectum, velleque desertis prospicere melius, quam ullus mortalium possit. — Si desiderent sanitatem et vitam

¹⁾ Matth. XXVII.

sibi prolongari ad mores emendandos, meminerint incertum esse, an non mutata bona voluntate, quam de facto habent, in antiquorum silvam redirent, si valetudini integrae restituerentur. Dein optima morum emendatio est, ad unguem implere divinum beneplacitum, cum ergo Deus velit eos aegrotare, vel mori, ut acquiescant, monendi sunt. — Si nimis terreantur ob poenas alterius vitae, cogitent, quantum ad eas imminuendas conducat amore Dei perferre omnia adversa, quae nobis immittit. Plura dabunt circumstantiae ¹⁾.

De virtutibus, quibus exercendi sunt infirmi.

§. 313. Debet confessarius omnem suam industriam impendere, ut infirmi se potissimum exerceant circa eas virtutes, quarum exercitio magis afficiuntur magisque juvandi sperantur in illo rerum articulo. Conveniunt autem authores utilissimas maximeque meritorias esse *aspirationes* circa virtutes theologicas; hae enim si paucis verbis tractem, articulate et interrupte suggeruntur infirmis, hos mirum in modum erigunt, corroborant, et ad suum officium ritè obeundum exstimulant. Hinc inprimis disponendi sunt ad actus Fidei, Spei et Charitatis, item contritionis, resignationis in voluntatem divinam, adductis motivis cuivis virtuti propriis. Sic *actus fidei* potest elici vel eam profitendo, si nempe infirmus recitet Symbolum Apostolicum, vel praesenti ac praeenti ad singulos articulos dicat Credo, — vel orando, si nimirum oculos conjiciendo in piam imaginem, aut crucifixum osculando in similes affectus erumpat: Adorate Christe! et benedico tibi, qui per sanctam crucem redemisti mundum. Qui natus es pro me, miserere mei. Qui mortuus es pro me, salva me etc. — vel gratias agendo, v. g. quod nos fecerit Christianos, et ad catholicam vocaverit Ecclesiam, — vel protestando, nos credere, quidquid Ecclesia catholica proponit credendum, quia Deus dixit, et in particulari firmiter assentiendo articulis in Symbolo contentis. —

Spes autem de venia peccatorum, gratia Dei, et corona gloriae exerceri potest, eliciendo actus illi proprios, infinitae scilicet Dei bonitatis, misericordiae, fidelitatis ac potentiae, dum firmissime confidimus nos beatitudinem consecuturos, quoniam Deus promisit, se nobis, si faciamus, quod in nobis est, eam daturum intuitu meritum Jesu Christi. Sunt porro alii adhuc modi, quibus spem exercere possumus, excitando nos v. g. ad spiritualem laetitiam, quod appropinquet tempus, quo cum Deo et tota curia coelesti licebit esse in aeternum felices; vel admirando ea, quae Christus Dominus pro nobis egit, et passus est, ac praeparavit diligentibus se; vel

¹⁾ Cfr. Prax. Conf. S. Lig. n. 237. — 253. Polanc. in Methodo juvandi moribundos.

breves orationes fundendo, quibus deprecemur errores admissos, ut si quis dicat: „Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam — — — quoniam iniquitatem meam agnosco, etc.“

Charitas exerceri potest, quatenus meretur Deus, amari ob infinitas perfectiones, et ingentia beneficia in nos; vel per modum considerationis eorum, quae amore nostri fecit, et etiam nunc facit Deus, in nos nunquam non beneficus; vel per modum gaudii, quod Deus sit infinite amabilis in omnibus; vel per modum resignationis, et obedientiae dicendo: „Domine fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra;“ vel per modum oblationis dicendo: „In manus tuas, amabilissime Pater, commendo spiritum meum.“

Atque haec sufficiant pro brevi instructione, quomodo dirigi possint infirmi in exercitio tam necessario ad superandas morborum molestias, quam utili omnibus, qui in immensum sua merita cupiunt accumulare.

Piae suspirationes circa actum a) Fidei: Joan. XI. 27. Lucae XVII. 5. Marc. IX. 23. b) *Spei*: Psalm. XXX. 2. CXLI. 6. XL. 5. Is. XII. 2. c) *Charitatis in Deum*: Psalm. XVII. 2. 3. Psalm. LXXII. 1. 26. Rom. VIII. 35. Joan. XXI. 17. d) *Charitatis in proximum*: Matth. VI. 12. I. Joan. III. 14. e) *Contritionis*: Luc. XV. 21. XVIII. 13. Psalm. XXXIV. 3. f) *Resignationis in voluntatem divinam*: Matth. VI. 10. Psalm. CXLII. 10. Psalm. CVII. 2. Rom. XIV. 8. g) *Desiderii*: Psalm. XVI. 15. Exod. XXXIII. 13. Phil. I. 21. 23. Cant. V. 8. Veni et noli tardare Domine. h) *Gratiarum actionis*: Psalm. LXXXVIII. 2. Psalm. XXXIII. 2. Thren. III. 22. I. Cor. XV. 10. Cfr. Schmid's Krankenbuch. Wien.

Moneat aegrotum confessarius, ut ad beatam Virginem Mariam cum omni fiducia recurrat dicens: „Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae.“ Maria, mater gratiae, mater misericordiae, tu nos ab hoste protege, et hora mortis suscipe! Maria, monstra te esse matrem! Et Jesum nobis post hoc exilium ostende, o pia, o dulcis Virgo Maria!

Angeli item Custodis aliorumque Sanctorum, quos specialiter veneratur aegrotus, auxilium et patrocinium eum docebit impetrare.

Nomen vero SS. Jesu, quod est super omne nomen, invocare ipsi praecipue commendabit. „Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri“¹⁾.

De Eucharistia et Unctione infirmorum.

§. 314. Ss. Communio, dum infirmo moribundo instar Viatici datur, citra omne dubium non jejuno administrari potest; item illis, qui eodem die, quo sacram Synaxin sumserunt, non per modum viatici, incurrerunt mortis periculum, modo absit periculum irreverentiae, vomitus statim post secuturi; cui periculo si possit occurri,

1) Marc. X. 47. Apoc. XXII. 20. Act. VII. 58.

dando aegro minimam particulam ss. hostiae consecratae in jusculeo vel aqua, id ut fiat consultum est. — Quid si morbus sit dñturnus, et infirmus ex devotione saepius communicare velit, ast communicatio sumi non possit, nisi ante sumta medicina, vel alia re per modum medicinae? Non una est omnium sententia: aliis negantibus, affirmantibus aliis. Posteriores ceu rationem suae sententiae obtendunt indigentiam spiritualem infirmi, et decretum Concilii Constantiensis, quod sess. 13. ait: „Nec sumatur Eucharistia a non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis, a jure vel Ecclesia permisso.“ Benedictus XIV. de hac re ita habet: „Parochi ne renuant sanctissimam Eucharistiam *iterato* deferre ad aegrotos, qui etiam perseverante eodem morbi periculo illam *saepe* per modum Viatici cum *naturale jejuntum* servare nequeant, percipere capiunt“ ¹⁾. „Ratio, ait S. Liguorius, quia Sacrum Viaticum est praesidium contra tentationes, quae tempore mortis magis urgent; hinc iteretur communicatio non solum si novum recurrat periculum, sed etiam si idem perduret.“ Quare, si aeger, sumto Viatico, dies aliquot supervixerit, et perseverante eodem fore periculo mortis communicare voluerit, ejus pio desiderio Sacerdos non desit praebeatque S. Eucharistiam licet non jejuno, dicens: „Accipe Viaticum etc.“ Ceteris autem infirmis, qui ob devotionem in aegritudine communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum et potum, non aliter ac ceteris fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinae aliquid ante sumere licet.

Quod attinet Extremam Unctionem, non refero modum, quo administratur, cum illum satis noverint, aut certe ex Rituali cognoscere possint, quibus ea incumbit cura; hoc unum addo pro instructione confessarii, ne ob vanas stultasque reprehensiones aegrotantium eisque conjunctorum in id differatur tempus, quo vel non legitime sensibus, vel hsdem plane destituti Sacramentum suscipiunt, quod opportuno tempore cum fructu uberrimo suscepturi fuissent. Pariter curabit confessarius, ut infirmi bene percipiant utilitatem hujus Sacramenti, quod est institutum non solum in bonum animae, sed et corporis, siquidem Deo visum fuerit expedire, ut salus corporis restituatur ²⁾. Si in omnibus Sacramentis magna praeparatio et diligentia adhibenda est, in hoc sane, quod in extremo peregrinationis humanae curriculo administratur, eo magis necesse est a Parochis omnia pietatis officia exerceri, ut fideles ex hac vita mortali migrantes, in illo momento, unde pendet aeternitas, contra diabolum tunc praesertim quaerentis, quem devoret, insidias roborentur. Quod enim magis languescit humanae infirmitatis virtus, et unusquisque moriens ad ingrediendas ignotas sibi futuri saeculi vias, ob peccatorum suorum conscientiam et abyssum judiciorum Dei magis timet,

¹⁾ De Syn. dioec. libr. VII. c. 12. — ²⁾ Conc. Trid. Sess. XIV. cap. 2.

magisque horret, eo magis sollicita esse debet pastoris animarum charitas, ut Christianus quisque in extremo illo agone contra omnes satanae insultus bene armatus sit, et in spem divinae misericordiae fidenter erectus. Quare ubi ad aegrotum sacerdos venerit, praemissa suavi ac pia salutatione, res et effectus hujus Sacramenti breviter, et ejus infirmitati et dispositioni accommodata oratione exponat, eumque consoletur, et a curis et amore hujus seculi, ad spem et desiderium vitae aeternae erigat. Nequaquam vero *vana longioris vitae pollicitatione* illum fallat, oraque animi ejus robur solvat: sed contra potius ad contemnendam hanc miseram vitam mortemque paratam ac magno animo excipiendam ita componat, ut nihil praeter Deum sapiat, nihil praeter Deum esuriat et sitiatur, ille solus in corde, solus in ore versetur, dissolvi propter illum cupiat, ab illius beatifica visione diutius abesse summam miseriam ducat: sic vivere, Christianum esse; sic mori, Christiano maxime necessarium esse persuadeat.

De testamento ab infirmis condendo.

§. 315. Omnino consultum videtur, ut, si moribundus fortunae bona possideat, variaque officia, de quibus Superiori rationes sunt reddendae, habuerit, tum de rationibus hisce mature, si potest, ordinandis (ut suae consulat conscientiae et alienae incolumitati), tum de testamento justo et pio faciendo moneatur, ne in horum neglectu sibi quidem grave impedimentum ad felicitatem aeternam citius consequendam, aliis vero in familia vel inter haeredes gravium litium et animarum dissensionum occasionem praebet. Sed in dispositione testamenti non facile se ingerat confessarius, neque immisceat ullo titulo, nisi sit, quod infirmi conscientiam gravare possit. Nihil suggerat, quod suspicionem avaritiae, cupiditatis, commodi proprii moveat, quare nisi gravis causa, aut necessitas urgeat, tali testamento non assistat, tantum hortetur infirmum, ut de rebus suis bona cum intentione aperte et prudenter disponat, et si opibus valet, ut meminerit pauperum, et matris suae Ecclesiae institutorum, ad gloriam Dei et salutem fidellum, et refrigerium animae suae.

Infirmi et moribundi parvuli.

§. 316. Dum invisit confessarius parvulos infirmos, peccati jam capaces, provocabit illos blande et suaviter ad confessionem sacramentalem. Dicit illis, quod si defectus suos sincere manifestaverint, veniam illis daturus sit Deus, illos deinceps ut filios charissimos amaturus, suscepturus tandem ad se in coelum. De peccatis suis, quae per aetatem suam committere poterant, examinabit prudenter et comiter, ita, ut ad contritionem et peccatorum detestatio-

nem incitet. Juvabit eos in eliciendis actibus fidei, spei et charitatis, contritionis, propositi, desiderii Deo deinceps fidelius serviendi, ac tandem absolvet. Si periculum mortis sit praesens, extremum quoque unget, postquam paucis eos de hoc Sacramento monuit. Quantum ad sacram Communionem, observamus: si nonnihil jam instructi sunt de praesentia reali Domini nostri Jesu Christi in Ss. Eucharistia, si aliquo modo norunt effectus, quos producit Ss. Sacramentum in iis, qui illud digne suscipiunt, si quacunq[ue] ratione manifestent velle se illius participes fieri, sintque in periculo mortis, negare illis permodum Viatici non potest, licet *valentibus* negaretur ex spe uberius instructionis, et aetatis, rationisque maturioris, adeoque melioris majorisque ad Illud suscipiendum animi dispositionis. Itaque breviter his parvulis in memoriam revocabis, quae eos scire de hoc Sacramento oportet, eosque ad amorem et adorationem Dei in Eucharistia praesentis dispones, et tandem, si mortis periculum adsit, Communionem sacram reficies ¹⁾.

De Benedictione Apostolica, vulgo sic dicta General-Absolution

§. 317. Catholica Ecclesia de aeterna filiorum suorum salute imprimis sollicita, quum hanc intelligat ab extremo ipsorum mortis articulo potissimum pendere, numquam praetermisit omnibus eorum subsidiis pro hujus temporis necessitate opportunis juvare atque instruere tam iis nimirum, quibus opus esset ad aeterna praecavenda supplicia, quam quae apta et salubria forent ad evitandas poenas temporibus definitas, quas in altera vita humanis plerumque spiritibus etiam dimisso mortalis culpae aeternaeque poenae reatu in purgatorio igne luendas manere non ignorat. — Quamobrem Ecclesia Dei pia mater adveniente cuique fidelium supremo migrationis die, non solum omnes cujuscunq[ue] absolutionum reservationes cessare, et cuilibet sacerdotum liberam et plenam facultatem esse vult, quemcunq[ue] poenitentem a quibuscunq[ue] peccatis et criminibus nec non ecclesiasticis censuris absolvendi: verum etiam moribundis fidelibus Indulgentiam plenariam, Benedictionem Apostolicam impertiendam, concedit. Facultas impertiendi Benedictionem Apostolicam indulgentia plenaria fultam, olim solis Episcopis petentibus ad triennium concessa fuit, ex Bulla vero Bened. XIV. data Nonis Aprilis 1747. extenditur ad sacerdotes etiam ab Episcopis delegatos die noctuque tali facultate utentes.

Benedictio Apostolica, vulgo dicta General-Absolution, non est absolutio sacramentalis ab omnibus peccatis, sed elargitio Indulgentiae plenariae moribundis impertiendae nomine et auctoritate summi

¹⁾ Cfr. Benedict. XIV. de Syn. dioec. libr. 7. c. 21.; Cfr. Quart. P. 2. tit. 10. sect. 3. dub. 3.

Pontificis. Benedictio haec in articulo mortis cum soleat impertiri post Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae Unctionis illis infirmis, qui vel illam petierint, dum sana mente et integris sensibus erant, seu verosimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis et nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus, corde invocaverint; impertienda iisdem est, etiamsi postea linguae ceterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium vel amentiam inciderint. Excommunicatis vero, impenitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda. Quodsi aegrotus voluerit confiteri, (ubi ab ultima confessione tempus aliquod intercessit) audiat illum et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de hujus Benedictionis efficacia et virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat atque hortetur, ut morbi incommoda et dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum, quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit, atque piis ipsum verbis consoletur in spem erigens, fore, ut ex divinae munificentiae largitate eam poenarum remissionem et vitam sit consecuturus aeternam. His peractis sacerdos progrediatur, ut det Benedictionem. Formula ex praescripto summi Pontificis Benedicti XIV. pro impertienda Benedictione Apostolica assignata in Rituali Romano exhibetur.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis. neque praescriptarum precum recitandarum tempus suppetat: statim sacerdos ei Benedictionem impertiatur: *Dominus noster Jesus Christus, Filius Dei vivi* etc. etc.; et mox commendationem animae dicat.

Modus agendi, dum infirmus ad ultimam luctam accedit. et postquam obiit.

§. 318. Cum animadvertit, ultimum agonem appropinquare, confessarius infirmum de novo ad absolutionem disponat, eamque illi impertiatur. Dein ipsi praebeat, dicendo brevia, sed affectu plena suspiria, qualia sunt: *O Jesu, miserere mei! o bone Jesu, doleo, quod offenderim te. O piissime Jesu, credo, spero, amo te! Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere mei! O Maria, Mater misericordiae, ora pro me! Omnes Sancti succurrite mihi! O Jesu, o Maria! O Jesu, morior pro te, qui mortuus es pro me! etc. etc. 1).* Curandum porro, ut adsit imago Crucifixi, quae illi porrigatur ad osculum. Ceteri adstantes interim submissa voce recitent commen-

1) Cfr. Schmid's Krankenbuch. Wien.

dationem animae. Litanias vel alias preces pro exoranda luctantibus felici morte, qualem nempe sibi ipsi desiderant.

Postquam autem obivit diem supremum, confessarius in genua procidat, consuetis Ecclesiae precibus animam defuncti Deo commendaturus. His peractis mortuum aqua benedicta aspergat, circumstantes moneat, ut idem faciant, et cogitent, plus defuncto profuturas preces, quam lacrymas. Tum addat ea, quae videbuntur temporari, moerori, aliisque circumstantiis magis opportuna, in memoriam revocando vitae brevitatem, mundi vanitatem, felicitatem bene morientium.

Caput III.

De principiis specialibus, ratione habita specialium relationum poenitentium et peccatorum.

Poenitentes confessario ignotam linguam loquentes.

§. 319. Si contingat, quemdam, qui linguam confessario ignotam loquitur, absolutione sacramentali indigere, dispiciendum est, num interpretis haberi possit, nec ne. Si primum obtinet, tum licet quidem, ut poenitens, si libere velit, interpretis internuntio utatur plenam et articulatam peccatorum suorum subeat confessionem. Verum si poenitens interpretis usum recusat, vel per interpretem unum alterumve peccatum, quod ipse velit, confiteatur, reclusis ceteris, firmo tamen proposito, si occasio fuerit, in posterum confitendi integre, ubi doloris et contritionis signa et promissa dederit, absolvi potest et debet. Quod si interpretis haberi nequit, pastor animarum cum ejusmodi hominibus in mortis articulo constitutis, per signa visibilia communicet de necessariis; et si doloris et absolutionis obtinendae desiderii indubitata signa ediderint, absolvat.

Ad fidem catholicam conversi.

§. 320. Non est hic loci docere, quomodo animarum pastor catholico cum iis, qui jam concepto proposito, catholicam fidem amplectendi, ultro ad ipsum veniunt, et ab eo instrui petunt, agendum sit sive in instructione danda, sive in fidei professione excipienda, aut quae cautelae in genere in hocce munere explendo adhibendae sint: sed tantum notare, quae in poenitentium ad fidem catholicam conversorum confessionibus excipiendis observare oporteat. Moneamus autem sequentia:

1. Examen non debet rigide institui cum converso, neque dandi sunt longi peccatorum catalogi; haec enim ipsum terrent

Itaque propter omnem diligentiam et conatum adhibebit confessarius, ut illi eximat talem horrorem. Etsi suadendum sit, ut examen super peccata sua ipse poenitens instituat, nihilominus tamen suaviter simul monendus est, ne nimium se in tali examine cruciet, sed potius confessario, examen tale per quaestiones suppleturo, respondeat; sic enim et onus confessionis relevabitur, et ipse modum fructuose confitendi eadem opera addiscet.

2. Quamvis conversus gravia afferat peccata, non arguat illum confessarius rigida nimis reprehensione, sed potius ad spem veniae excitet, dicens: mirum non esse, quod destitutus Sacramentis ita lapsus sit, simulque collaudans generosam sui victoriam in iisdem enarrandis, suaviter eundem adhortetur, ut, sicut de novo christianam fidem profitetur, ita vitam quoque fide dignam per constantem vitiorum fugam et operum bonorum exercitationem instituere conetur.

3. Adhortationem suam superstruat imprimis dogmatibus, de quibus prius aliter sentiebat, ut in fide corroboretur, ne ad vomitum redeat.

4) Poenitentiam ab initio non gravem imponat, ne gravitate tali absterritus, importabile confessionis onus existimet, et tandem omnino excutiat.

5) Ad absolutionem ab haeresi formali impertiendam, quae in prima confessione sacramentali ante absolutionem a peccatis, datur, requiritur in Sacerdote ceteroquin jurisdictione ad confessiones audiendas donato specialis Episcopi facultas. Cetera vide in Rituali dioecetano.

Quaestio moveri potest, sintne peccata ante Baptismum commissa; v. g. dum Judaei conversi baptizantur, necessario confessioni sacramentali subiicienda? Dicimus: Non, quia si necessarium esset, peccata ante Baptismum commissa voce sacerdoti confitente, tunc essent sacerdoti patefacienda vel ante Baptismi susceptionem, vel post. Non prius, quia ante Baptismum non habet locum sacramentalis confessio, de qua loquimur, cum Baptismus sit janua Sacramentorum, et Poenitentia sit secunda post naufragium tabula. Nec id tenet Ecclesiae consuetudo, sed catechumeni Baptismum expetentes baptizantur, etiamsi confessio sacramentalis non praecedat.

Nec secundum, quia, cum virtute Baptismi omnis culpae totiusque poenae reatus condonetur, perfecto nihil est remorae aut obstaculi, quin ad eum modum ex hac vita decedens continuo ad aeternam felicitatem immortalemque vitam transferatur. Quare non est necessarium illi postmodum illa peccata confiteri ¹⁾. Igitur confessio peccatorum ante Baptismum commissorum non est de necessitate salutis. Per hoc tamen non negamus, in adulto requiri dolorem peccatorum, ut gratiam in Baptismo consequatur, et confessionem anteactae vitae peccatorum illi esse salutarem.

¹⁾ Cfr. Ambros. super. cap. XI. S. Pauli ad Rom. — Petr. Lombard. Mag. Sent. in. 4.

Homines facinorosi carceribus mancipati.

§. 321. Facinorosi homines, qui a potestate Politica comprehensi et carceribus mancipati fuerunt, eo minus sint extorres charitatis pastoralis, quo major est ipsorum calamitas. Sacerdos igitur ne dedignetur eos adire, imo iterato visitare, memor Illius, qui de regalibus coeli sedibus descendit, ut opem ferret iis, qui in tenebris et umbra mortis sedebant, vincti mendicitate et ferro ¹⁾.

Pro praxi regulae hae sunt:

a) Absque praescitu potestatis Politicae nec adeundus est captivus, nec ullum munusculum ad refocillationem corporalem pertinens eidem est largiendum sine praevia facultate.

b) Antequam sacerdos captivum adit, preces mittat ad Deum, qui solus potest aperire cor hominis, illudque salutaribus doctrinis intentum reddere.

c) Omni modo conetur captare benevolentiam rei, amicitiam vultus et sermonis, prudenti commiseratione, consolatione etc.

d) Protestetur, se non ob aliam causam venisse, nisi ad opem spiritualem ipsi ferendam: proin licere reo, omni fiducia illum uti, tanquam ad patrem bono filii sui, et miserandi insuper, unice intentum. Attamen munus intercessoris apud potestatem Politicam nolit facile assumere.

e) Si captivus queritur, injuste secum actum fuisse, aut delatoribus et accusatoribus irascitur, nolit sacerdos ipsi statim initio contentiose contradicere, sed magis illum hortetur ad patientiam, ad frequentem orationem, discussionem anteaetae vitae, contritionem etc., sperans fore, ut a Patre luminum illustratus sensim agnoscat reatum suum, illoque dignos sensus poenitentiae concipiat.

f) Nolit captivum lactare incerta spe securitatis mox, aut post certum tempus, liberationis: imo sermones tales, utpote extra sphaeram officii positos, prudenter declinet; conetur vero instillare reo plenam resignationem in omne Dei beneplacitum.

g) Quia istiusmodi homines in negotio Religionis ut plurimum rudes sunt, utpote solide nunquam instructi, aut institutionem primaevam per vitae licentiam habentes oblitteratam, necessarium fere erit, prima fidei et morum rudimenta cum iisdem repetere, modo tamen suavi et per historias; nec instructio talis prolongetur nimis ad taedium usque captivi. Si vero is sciat legere, poterit opem libri idipsum exactius praestari.

¹⁾ Psalm. CVI. 10.

h) Ante finem inquisitionis judicialis vix est excipienda confessio captivi ob justum timorem, ne desit ipsi sinceritas, et multo magis propositum, adimplendi omnem justitiam, proin non mentiendi, nec pejerandi etc. juste interroganti judici.

i) Antequam confessionem sacramentalem captivi excipit, sacerdos impetrare procuret facultatem generalem absolvendi a casibus reservatis, si quo horum teneretur hic ipse reus; ne fors postea necessarium sit eandem petere, non sine aliqua suspitione delinquentis.

k) Hortetur confessarius reum, ut absque ullo metu peccata sua, utut multa et gravia, insuper etiam necdum detecta, candide aperiat, certus, quod scientiam ex confessione haustam nullo modo liceat adhibere ad molestiam poenitentis vel minimam; sicut e contra, si in confessione se exhiberet insontem instar Angeli, juvari a sacerdote minime posset, eo nempe in ordine, ut etiam a potestate Politica innocens haberetur.

l) Attendat sacerdos, an non obligetur reus ad deponendam confessionem generalem vitae anteactae: et si hoc necesse fuerit, adjuvet eum, quantum necesse est, ita tamen, ut intentus sit praepriis ad obtinendum legitimum dolorem et firmum propositum de observanda deinceps omni justitia.

m) Instet (si opus est), ut reus ignoscat omnibus accusatoribus suis et omnibus ministris justitiae; ut patienter et humiliter se submittat iis, quae a potestate per Deum ordinata de ipso decreta fuerunt, aut decernentur: ut damna aliis illata, etsi adhuc occulta pro viribus compenset, aut saltem seriam voluntatem restitutionis faciendae Deo offerat; ut (si ob furta comprehensus fuit) indicet, an alicubi res furtivas depositas habeat, quo possint clam restitui vero domino. Interroget, an durante inquisitione ad amolendum aut minuendum delictum suum alteri mendacem calumniam intulerit; an socios delictorum, et in iisdem adhuc probabiliter perseverantes, interrogatus occultaverit mendaciter?

n) Captivo rite confesso et absoluto non est neganda s. Communio. Etiam intra annum pie induendus est, ut semel iterumque petat corroborari per gratiam Sacramenti Poenitentiae ¹⁾.

Rei capite damnati.

§. 322. Non ultima pastoralis officii pars est reos ad mortem damnatos ad felicem ex hac vita exitum comparare. Labor plenus

¹⁾ Christ. Bibel für Gefangene und ihre Tröster, von Dr. J. N. Müller Freiburg. 1839. Christliche Besuche im Gefängnisse. Vorträge und Ansprachen zum Heile der Gefangenen. Von Dr. J. N. Müller Karlsruhe 1842.

quidem molestiis, quique ferream patientiam exigit, verum etiam ferax coelestis meriti, quod animarum curator sibi proponat, ne ipse respondeat animum. Ubi primo reum convenire datur, insudandum est omni conatu, ut rei animum sibi devinciat; ad quod non parum conducet, si modo reum ante captivum in carcere visitaverit, spirituali alloquio recreaverit, et ad patientiam animaverit ¹⁾, Ordinarie non expedit, ut ad confessionem excitetur, qui cum vitae discrimine in carcere detinetur, antequam capitalis sententia illi indicetur, quia periculum est, ne confessionem sinceram et integram non faciat, reticendo illa crimina, propter quorum suspicionem detinetur in carcere, unde talis potius ad contritionem animetur, ut recuperato statu gratiae fructuosam sibi miseriarum, quas in carcere patitur, tolerantiam faciat. Quodsi tamen ipse peteret confessionem facere, aut propter delictum certum, et ab ipso jam coram iudice non negatum in carcerem coniectus esset, facilius poterit ipsius confessio excipi, variaque monita ad hanc suam captivitatem forti animo tolerandam illi suggeri debent.

Modus agendi confessarii cum reis capite damnatis sequens statuitur:

a) Maxime cohortari oportet reum, ut si fieri possit, animum suum generali quadam omnium, quae recordatur, peccatorum confessione detegat; hac enim scelerum suorum recordatione magis ad dolerem et contritionem inflammatur, dum aperte cognoscit se toties et tam graviter peccasse. Conveniens autem est, ut praemittatur brevis instructio de confessione, nam hujus generis homines in doctrina christiana plerumque rudes inveniuntur.

b) Instruat eum confessarius, illa, quae secum in conscientia agit, cum iudicibus communicari non posse, ideoque sive nocens sive innocens sit, id nec ei profuturum nec obfuturum; caveat pariter sacerdos, ne temere evulget, quae *extra* confessionem accepit.

c) Si dicat se innocentem, reponatur: Christus vere innocens fuit; haec tua poena a Deo immissa est, coram quo quis se dicet innocentem? Cupit Deus, ut poenam hanc temporalem admittas, ut parcat animae tuae in aeternum. Si replicet *infamiam* mortis, dicas: At Christi, qui peccatum non fecit, mors, quot hominum ignominia fuit onerata! Quas infamias coram mundo Martyres non sustinuerunt! haec infamia brevis est coram mundo.

d) Quae maxime omnium urgere in reo debet sacerdos, sunt: contritio et generalis et specialis, — bona affectio mentis erga omnes, qui occasio, aut causa mortis ipsius existunt, — petitio veniae (saltem coram Deo) ab omnibus, qui quomodocunque

1) Mt. Wien. auctoritate et jussu Eminent. et Reverendiss. Card. et Archiepiscopi Viennensis Christophori e Comitibus Migazzi, editum 1774.

laesi ab ipso fuerunt, — voluntas mentis eisdem, si posset, satisfaciendi, — resignatio in mortem tanquam per Deum infligendam, et jure debitam, optimum insuper remedium, quo prohibeatur ulteriora peccata prioribus addere, — fiducia in misericordiam divinam, in merita Christi, intercessionem beatæ Virginis Mariæ etc. Haec eadem fere sunt, quæ per breves orationes aut suspiria ingerere debet reo, vel potius per preces ex persona rei fusas suggerere, dum eundem ad locum supplicii comitatur.

e) Investiget confessarius, an forte odium conceperit in iudicem vel partem adversam, curetque, ut in amore Christi id totum deponat.

f) Nec unquam desistat a cohortatione ad patientiam, ad magnam spem divini auxilii, passionis Christi ac vitæ æternæ.

g) Ut majori cum alacritate reus accedat ad mortem, pollicetur illi confessarius, se pro illo post mortem ejus diu oraturum Dominum ac diligenter, et ut multi idem faciant, curaturum (quod vere postea exsequetur), moneatque, ut pendentis Christi in cruce imaginem ac simul sanctorum Martyrum cruci affixorum memoriam seria repetat mente.

h) Poenitentiam plerumque levem, quam post confessionem vel cum ipso sacerdote implere possit, imponat confessarius; non oberit tamen, si actus resignationis in mortem ei injungatur, ut mortem vel ex hoc capite studeat resignato fortique animo sustinere, ut tanto copiosius per eam pro delictis suis satisfaciat.

i) Audita confessione reum absolvat ab omnibus censuris et peccatis, utut alias reservatis, si quibus teneretur; S. Viatico reficiat et muniat etiam non jejunum, si fors corpore ob internam angustiam debilitato expectare sine potu aquæ aut esu jusculi non posset usque ad tempus, quo SS. Eucharistia deferri ad ipsum decenter potest.

k) Reo per confessionem expiato et Sacramento Eucharistiæ refecto, reliquis remotis, agat confessarius de iis, quæ ad animam pertinent, nunc pios discursus ducendo, nunc cum eo orando; ista tamen non nimium protrahat, sed quietem intermediam indulgeat.

l) Nocte mortem proxime antecedente persuadeatur, ut dormiat, ne altero die sit indispositus; expedit tamen, ut quis illi adsit nocte, qui evigilantem animet contra tentationes tunc maxime ingruentas.

m) Die mortis illucescente animandus est, ut hunc diem maximi meriti Deo consecret uniatque patienda passionibus Christi, cavendumque, ne, qui jentaculum offerunt, eum inebrient volentesque timorem minuere, ineptum reddant ad mortem consequendam felicem.

n) In itinere sacerdos oret cum eo, sine clamore, tamen oculos eum jubeat custodire, et demissos tenere, animam salvare,

nisi Salvatorem, cujus effigiem ipse, si possit, vel confessarius ferat. In conspectu loci fatalis iterum eum animet: „Domine non mea, sed tua fiat voluntas:“ „Hic ure, hic seca, modo in aeternum parcas.“

o) In ipso supplicii loco quaerat, num adhuc quid sit, quod angat et conscientiam gravet, et ejus responso se accommodet; liceat cum eo actus fidei, spei, charitatis, contritionis et oblationis etc.

Continuatio.

§. 323. Quid facere debet confessarius, si poenitens ex pertinacia vel desperatione confiteri nolit?

a) Confessarius ad preces se conferat, et maxime ad Missae Sacrificium, ubi dum sacram hostiam in manu habet, illis ecclesiasticis verbis Salvatorem suum alloqui potuerit: „Si invenio Domine! gratiam in oculis tuis et si placet Tibi, dona mihi animam, pro qua rogo.“ Eundem in finem etiam aliorum hominum preces implorare oportet.

b) Dissimulet nonnihil sermones de confessione, et potius de aliis rebus indifferentibus, aut solatiis ad mortem fortiter obendam conducentibus loquatur.

c) Maximam, quam potest, charitatem, tum per blanda colloquia, tum per opera misericordiae exhibeat.

d) Narret interdum historias quasdam de hominibus poenitentibus, et in articulo mortis resipiscentibus, et cum magno spectatorum gaudio et commendatione morientibus ¹⁾.

e) Si diei fatalis tempus advenerit, suaviter interroget, an non meliora jam consilia conceperit, adesse jam momentum, a quo pendeat felix aut infelix aeternitas; apertam modo stare januam ad coelum vel infernum; in ipsius nunc arbitrio esse, quam eligere velit.

f) Roget per merita Jesu Christi, ne salutem suam negligat, animamque pretioso sanguine Christi redemptam perdat.

g) Si neque nunc acquiescat, cesset nonnihil ab admonitionibus; nullo unquam acerbiori verbo vel gestu pertinaciam ejus castigans.

h) Si lictores veniunt ad eum abducendum, repetat iterum, et indicet nunc, eum vere iter aeternitatis ingredi; videat proin, quo tendat.

i) In egressu ad locum supplicii, si nolit orare reus, nec ipsum audire, non urgeat invitum, sed potius cum aliis vernacula lin-

¹⁾ Cfr. Müller's Gebethbuch für Gefangene.

gua preces pro ipso fundat, et nonnunquam suaviter quaerat, an non refocillatione indigeat.

k) Ubi ad locum supplicii perventum fuerit, jubeat adstantes flectere, pro anima illius preces fundere quem in finem ipse conceptis verbis praecire poterit.

l) Quodsi nihil his omnibus effecerit, orare Deum non desistat, animamque El commendet, qui dirigit corda, prout vult.

Post mortem rei confessarius non solum adstantium precibus eum commendare debet, sed etiam brevem adhortationem habere ad populum, ostendendo, quantum malum sit peccatum, quam facilis sit progressus a minoribus ad majora, nihil magis nocere, quam pravam societatem, bonam educationem prae omnibus divitiis prodesse, judicia Dei magis formidanda esse, quam hominum. Caveat autem omnino, mortuum, etsi juste poenitens obierit, indebitis laudibus extollere.

Continuatio.

§. 324. Cautelae a confessario rei ad mortem damnati observandae, universim notari merentur praecipuae:

a) Non spondeat se fore patronum pro ejus vita, tum enim non tam serio se disponit, et si saepe cadat, facile alienabitur a confessario; hinc potius disponat ad expectandam cum resignatione velut de manu Dei quamcunque sententiam; interim profuturum, si de peccatis serio doleat, et in satisfactionem offerat ignominiam et molestias carceris. Nihil aequivoce loquatur cum illo, ne postea conqueri possit, se deceptum, quod potest esse causa gravis perturbationis in fine vitae. Pariter caveat, ne in hoc officio pietatis quidquam aut loquatur, aut agat, minus concordans cum modestia et lenitate sacerdotali.

b) Si reus est, et teneatur crimen etiam capitale fateri judici hic et nunc legitime interroganti, suadere potest, ut fateatur. Si vero poenitens confiteatur, se aliquot crimina etiam semiplene probata negasse, non importune urgeat ad illa adhuc coram iudice confitenda.

c) Ut neque fugam suadeat, nec ad eam ullo modo coope-retur.

d) Ut, si forte reus in foro externo jam convictus, ideoque ad mortem damnatus, in ipsa tamen confessione innocentem se esse dicat, eidem quidem absolutionem impertiatur (cum in foro interno magis reo, quam omnibus aliis credendum sit), interea tamen moneat de obligatione, illud fatendi, siquidem revera commiserit, et saluti suae prospectum velit. Ut tamen in tali casu iudici innocentiam aperiat, aut pro ipso reo intercedat, neutiquam licet, cum ex una parte iudex minime id crediturus sit, utpote secundum allegata

et probata procedens, ex altera vero parte, si rei advertant, hoc onus confessarium in se suscipere, occasionem arrepturi sint, sua crimina audacius tenaciusque celandi, praeterquam quod confessarius hoc modo indirecte violati sigilli suspitionem incurrit.

e) Confessarius nullo modo ipsemet reo sententiam mortis indicet, sed hoc officium justitiae ministris relinquat, et suo officio incumbat, ut ad mortem pie et fortiter obeundam disponat, non tristitia, sed consolatoria, et excitantia ad spem vitae aeternae proprensens.

Peccata, quae nova officia pariunt, confitentes.

§. 325. Dantur peccata, quae novis officiis implicent poenitentes, qui ea commiserunt. In hunc censum referuntur officium reconciliationis cum inimico, officium restitutionis iuridicae et ethicae, et abstinentiae ab usu conjugali ob impedimentum supervenientis affinitatis. Ejusmodi poenitentibus officia, quae ex peccatis contraxerunt, una cum motivis, quo magis eis adimplendis operantur, sedulo inculcanda, quin imo in partem satisfactionis imponenda erunt. Et prout ipsi his officiis exsequendis vel jamjam satisfecerunt, vel satisfacere studuerunt, vel saltem parati sunt, absolvantur, et nonnisi tunc, si admoniti promissis non steterint, vel plane malitiose renuerint, absolutio iis vel differenda, vel deneganda erit.

Quam autem agendi ratio confessarii cum iis, qui reconciliationis officio detinentur speciales minime deponat regulas, quae vero praedictum abstinentiae officium concernunt, ex dictis §. 281 jam pateant, hinc ea tantum, quae restitutionis officium attinent, pro praxi confessarii uberibus exponere restat.

Ad restitutionem obligati.

§. 326. Inter peccata, quae nova officia pariunt a peccatore adimplenda, prae ceteris officium restitutionis eminent. Est autem restitutio generatim actus justitiae, vi cujus injusta laesio reparatur, aut jus resve aliena domino suo redditur. Sensu strictiori restitutio vocatur, siquidem res vel ipsa vel prorsus aequivalens redditur. Differt a compensatione, dum quis damnum alteri illatum per alia obsequia, quantum fieri potest, reparat, et a satisfactione, quae pro ipsa injuria alteri illata debetur, etiamsi damnum nullum secutum fuerit. — Jam si ejusmodi peccatis detentos poenitentes confessarius nactus fuerit, non sufficit solum perquirere casum objectivum, ut justitiae fiat satis, sed oportet poenitentes ad peccati agnitionem perducere, de ejusdem turpitudine et malitia secundum legem Jesu Christi instruere, nec non spiritu, ut ita dicam, ante

tribunale Illius sistere, qui venturus est, judicare vivos et mortuos. His peractis obligationem restitutionis faciendae eos docebit; et quum praetextibus vanis poenitentes saepenumero hoc restitutionis officium non tam defectu potentiae, quam voluntatis, denegent, aut procrastinent, in ferendo iudicio de poenitentium dignitate ad absolutionem consequendam, hujusmodi animi indolis rationem habebit.

Hinc si poenitens restitutionis officio jam ipse, priusquam sacrum confessionis tribunal adierat, pro modulo suo satisfecerit, vel hujus officii ignarus, nunc demum monitus pronum se ad illud exhibeat, absolutione donandus est; pariter si huic officio, utut ejusdem conscius quidem, etiam defuerit, ast modo serio promittat, se statim restitutum, absolvi poterit, etsi actu restitutionem nondum praestiterit; nisi ex circumstantiis haec ipsius promissa suspecta videantur. Qui etenim, dum restituere potuisset, iterato tamen fidem fefellit, absolutionis expertus esto, donec restitutionem actu ipso perfecerit. Qui vero restitutionem renuit, aut malitiose cunctatur, hoc ipso animum legi adversantem cum foveat, imo injurias praecedentes continuet, nullatenus absolutione sacramentali dignus existit. Sic statuit Concilium Mediolanense I. sub S. Carolo: „Caveant confessores, ne ante debitam satisfactionem illos absolvant, qui, cum facultas adsit aliena restituendi, — quibusque, ut id facerent, superiori confessione praeceptum sit, praestare tamen neglexerent.“ Verissimum enim illud est S. Augustini: „Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; scilicet, ut S. Doctor addit: „quando restitui potest“ ¹⁾. Praeterquam enim, quod ipsa ratio, sensus intimus et communis, severe officium restitutionis urgeat, et quam primum strictum faciendae restitutionis officium laxetur, eos, qui toti quanti terrenis inhiant, vix alia quaepiam ratio cohibere possit; sacrae divinaeque literae diserte jubent: „Reddite omnibus debita“ ²⁾. De Zachaeo tanquam certum emendationis specimen exhibetur, quod ad reparandas laesiones tam paratus exstiterit ³⁾.

Verum neminem, qui materiam restitutionis vel obiter perlustraverit, latebit, quam arduum et delicatum sit hoc negotium pro confessionarii. Non tantum multa scientia et circumspectio, sed interdum singularis quoque animi constantia requiritur, ut sacerdos et hujusmodi casus dijudicare queat, et iisdem decidendis neque imprudenti erga poenitentes commiseratione, neque vana hominum potentiorum formidine flectatur. Praesertim cura infirmorum ex hoc capite difficilis redditur, ubi, quia in mora periculum est, ad eosdem statim, et quasi momento responderi debet. Unde patet,

¹⁾ Epist. 25. ad Macedonium. — ²⁾ Rom. XIII. 7. — ³⁾ Luc. XIX. 8. — Cfr. ad Philem. et Tob. II. 21.

quam necessarium sit, ut confessarius prae manibus habeat regulas, quas in re adeo late patenti et difficili consulere possit. Quamobrem in usum juniorum confessariorum *praecipuas* ex theologia morali brevi compendio transscribere operae pretium esse iudicamus ¹⁾. Ceterum monemus confessarios, quos experientia non sat docuit, ut nihil in hac materia praecipiti festinatione statuant, neque erubescant facere in casibus difficilioribus et intricatioribus, quod doctissimi etiam consueverunt, qui nonnunquam sibi tempus dari petunt ad veritatem investigandam. Si poenitens fide dignus sit, suaderi etiam ei poterit, ut ipse pius et doctus consulat, ejusque iudicio se accommodet; quod ubi promittit, absolvi poterit.

Fundamentum restitutionis.

§. 327. Fundamentum hujus officii constituunt: a) res ac cepta, et b) injusta damnificatio. Ex primo fundamento restituere tenetur, quisquis rem alienam nullo suffragio juris possidet detinetque. Ratione habita possessionis rei alienae diversa est restitutio, prout est bonae vel malae fidei possessor. — Possessor bonae fidei, qui rem alienam possidet, quam sine dolo et fraude suam esse putat — ubi primum novit rem esse alienam, tenetur eam ejusque fructus, si adhuc extant, restituere, quodsi autem consumpti fuerint, id omne, quo factus est ditior, nisi forte illos per praescriptionem jam fecerit suos: quia ex regula in utroque jure admissa res clamat aliena ad dominum, et res quaevis domino suo fructificat. Expensae autem *necessarias* et *utiles* a domino repetere potest, quantum vero ad *voluptarias*, dominus illi plus refundere non tenetur, quam quatenus res ex communi aestimatione melior est facta; simul tamen possessori bonae fidei, in quantum sine laesione rei fieri potest, easdem auferre licet. — Restitutio fructuum bonae fidei perceptorum vi legis austriacae non exigitur ²⁾.

Possessor malae fidei, — qui sibi rem detinet, quam non esse suam aut cognoscit aut cognoscere potest, debitam adhibendam diligentiam, — domino una cum re vel ejus pretio non solum omnia emolumenta, quae ipsemet inde percepit, sed etiam, quae dominus percepturus fuisset, atque *omne damnum emergens* restituere tenetur ³⁾.

Si vero bona fidei possidenti dubium supervenit, utrum res non aliena sit, diligenter curare debet, ut rei veritatem experietur

¹⁾ Cfr. Theolog. moral. Cl. D. D. Tobenz et Stapf. circa hanc materiam — Die Lehre vom Schadenersatze oder von der Restitution, von Dr. Johann Kutschker k. k. Hofkaplan und ord. Professor der Moraltheologie. Olmütz 1851. — Petri Scavini Theol. mor. Tom. II. p. 418. —

²⁾ Cfr. Codic. civil. §§. 330. 331, 332. — ³⁾ Cfr. Codic. civil. §§. 335-336. 338.

si vero post accuratam inquisitionem rationes ex utraque parte semet elidunt, et veri nominis dubium occurrit, tunc restitutioni obnoxius non est, nam in hoc casu illud juris effatum locum habet: melior est conditio possidentis. E contra quando facta inquisitione praeponderantes obtinent rationes, consultum erit, ut secundum illud agatur, quod ejusmodi rationibus fulcitur.

Ex altero capite injusta damnificatio ceu fundamentum restitutionis tunc adesse praecipitur, si quis *voluntarie, efficaciter et injuste* alteri damnum aliquod intulerit.

Hinc a) qui casu sine culpa sua alii damnum intulit, reparare non tenetur. Casus nocet domino seu illi, cujus vel bona vel personam concernit, nisi quispiam tali casui culpabiliter ansam praebuerit.

b) Qui actu aliquo involuntario damnum intulit, generatim non tenetur illud compensare, nisi per propriam culpam semet in ejusmodi mentis conditionem conjecerit.

c) Qui per culpabilem ignorantiam, inadvertentiam aut negligentiam, quae evitari debebat et poterat, et

Qui d) dolo aut aliis modis, qui culpa non vacant, alium laesit, resarcire tenetur damnum.

e) Qui injuste laeserat, tenetur totum damnum emergens lucrumque cessans resarcire.

f) Qui alium a consecutione boni alicujus injuste impedit, ad quod consequendum jure perfecto gaudet, ad restitutionem obligatur.

g) Qui a boni alicujus consecutione, a bona aliorum voluntate sperandi, vi, dolo, fraude alium praepedit, vel totum vel adaequatam spei partem restituere debet.

Demum in obligatione oriunda ex damnis proximo illatis caute videndum est, an plena imputatio locum habeat? et utrum actio poenitentis vera *causa* damni fuerit, nec tantum occasio? Stante *dubio*, an alium laeserit, pro rata dubii debet indemnem servare, nec hic valet axioma: melior est conditio possidentis; nam non de rei possessae dominio, sed de damno illato dubitatur. Ceterum in ejusmodi causis dubiis non semper strictum jus, sed aequitatem et humanitatis sensum, quin imo consilium de bono meliori consulere juvat. Sic ubi plures cum foemina turpiter rem egerunt, in dubio, cujus eorum proles sit, potior ratio aequitatis, quam stricti juris habenda est.

Cooperantes ad injustam laesionem.

§. 328. Restitutionis officium stringit praeter illum, qui rem citra jus possidet, aut alium voluntarie, efficaciter et injuste lassit, etiam eum, qui injustae laesioni cooperatus est. Datur autem cooperatio *positiva et negativa*; prior *moralis* vel *physica* est. Inter eos, qui A) *positive et moraliter* i. e. per efficaciam internam ad injustam laesionem concurrunt, eminent *mandans* seu *imparans*. Hic ad restitutionem tenetur, nisi forsán mandatum suum revocaverit, et revocatio ante executionem damni innotuerit mandatario, qui tunc jam non ex mandato, sed ex propria malitia: damnus inferens censendus foret. Mandans etiam *ipsi mandatario*, siquidem *fraude* vel *metu* ad exsequendam improbam jussionem inductus fuit, damna illa compensare tenetur, quae illi exinde evenerunt, quaeque saltem subobscurè praevitit. Quodsi mandatarius sua sponte se obtulit, vel mercede hunc in finem conductus fuit, hoc ipso omne quoque periculum in se suscepit. Mandanti aequiparatur *consentiens*, scilicet, qui cum mandante ita consentit, ut ejus jussioni vim adhuc majorem addat et isthaec ipsius quoque nomine et auctoritate executioni detur; pariter qui in societate suffragium fert. Suffragium iniquum ferens tenetur resarcire damnus tertio illatum: a) si suffragium dedit, antequam sufficientia h. e. majora adessent. b) Si det suffragium iniquum, postquam jam adsunt suffragia majora, si suffragia adhuc erant revocabilia, ut fit, dum publice in consilio feruntur suffragia, quia tunc ante ultimum suffragium damnus nondum efficaciter est illatum. Quia saepius contingit, ut repraesentatione rationum unius tantum viri docti et rei periti (qui utique ultimus suffragium dantium esse potest), praecedentes suam sententiam mutant. — *Consulens* restitutioni obnoxius est, qui damnus alicui inferendum suadet, vel ad aliud hortatus, muneribus, blanditiis inducit etc., si ille *consilio* dato moveatur ad damnus faciendum, alias non facturus. Eadem fere de perversa *instituzione* obtinent, qua quis alterum *docet*, qua ratione, quibus modis etc. scelus aliquod patrari queat; e. g. quomodo abortus procurari vel furtum secure committi possit. Improbis auctor talis consilii in defectu ipsius, qui consilium executioni dedit, ex stricto jure restituere obligatur, iis vero, qui consilium vel doctrinam pravam exsecuti sunt, damna, quibus fors involvuntur, ex sola charitate reparanda erunt, nisi fraus et inductio dolosa intercesserit, ubi deceptus ex *stricto* jure indemnitatem petit. Sic ex. g. Cajus, qui Tito consilium dedit centum florenos furandi, patrato furto, restituere tenetur centum florenos. Quid, si Cajus Tito locum indicavit, quo magna pecuniae summa abscondita est, eo sub consilio, ut centum florenos furto auferret, hic vero totam pecuniae massam surripuerit, ad quid obligatur Cajus? Resp. Ad centum florenos reddendos, non vero ad to-

tam summam, quia, illorum furto ablatorum causa moralis existit, furti autem amplioris occasio tantum. Quid vero, si improbus consilii author suum consilium revocaverit, num adhuc tunc restitutionis officio subjacet? Distinguendum inter *consilium simplex*, quo injustam laesionem suasit, vel consilium rationibus superstructum, quibus ad pravam actionem rationum momentis permovetur. Primo casu *negative* respondemus, altero res difficulter cadit, et dispiciendum est, utrum motiva prius allata praeponderanti argumentorum vi destructa fuerint, nec ne.

B) *Positive et physice simul* injuste cooperantes sunt *socii actionis*, qui unito consilio junctisque viribus damnum aliquod simul inferunt. Hi quum conjunctim auctores fuerint, aequis partibus damnum resarcire obligantur, sique ceteri officio huic desunt, reliqui, imo si unicus supersit, hic tenetur *in solidum*, seu ipse solus totum damnum reparare. Si vero nulla inter eos conspiratio existit, et unusquisque privatim tantum, et pro suo lubitu nocuit, tum quisque eam restituere tenetur, quae ipsemet ad ejusmodi laesionem contulit, ut e. g. si milites spolient aliquam domum, quin mutuo condixerint, quivis ad illud tantum damnum resarciendum obligatur, quod ipse intulit, non quod alii intulere. Praeter socios adnumerantur cooperantibus *participantes*, tum de re accepta, tum de injusta damnificatione. Priores sunt, qui res per nefas ablatas scienter emunt, vendunt, retinent, etc.; posteriores, qui *opera sua* ad aliorum laesionem efficaciter et injuste concurrunt, v. g. ad furtum patrandum scalas apponendo, vigillas agendo etc. etc. Hic ubi res ipsas adhuc detinent, primo loco ad restitutionem tenentur, si minus, illas tum reparare debent, ubi fur ipse non restituit. Quoad reliqua, laesiones saltem pro ratione participationis suae satisfacere obligantur.

II. *Negative simulque injuste* cooperantes, ut *mutus* (ante damnificationem), *non obstans* (in damnificatione), *non manifestans* (post damnificationem), tunc solum tenentur restituere, quando *ex officio, contractu* vel quasi contractu, vi stipendii tenebantur damnum impedire, vel laesum de illatis laesionibus certiore reddere, et illud ex gravi culpa non praestiterunt; quia hi soli contra justitiam peccant; reliqui vero, qui licet impedire poterant, nec tamen impediunt, cum solum contra charitatem peccent, ad restitutionem non obstringuntur.

Confessarius, qui partium studio ductus, vel ex vana timiditate, ne forte displiceat, vel ex quocumque reprobo affectu illos, quos ad restitutionem obligatos deprehendit, ab hoc munere immunos pronunciat, vel culpabiliter hanc restituendi obligationem retinet, restituere ipse debet, nisi in subsequa confessione errorem suum revocet, et poenitenti restituendi obligationem inculcet. Ceterum confessarium, licet ex iniquo affectu tacentem, in iis circumstantiis,

in quibus ejus silentium a poenitente non potest explicari pro positiva de obligatione: a restituendo exemptione, non auderem condemnare ad compensanda damna, ad quae scilicet se habet, ut causa mere negativa ¹⁾).

Ordo restitutionis inter plures ad injustam laesionem cooperantes.

§. 329. Inter cooperantes tenetur primo loco restituere, apud quem res aliena exstat, sive in se sive in aequivalente, h. e. quantum ex ea factus est ditior aut suis rebus pepercit. Notum est enim illud: „Res aliena clamat ad dominum.“ Sed quid si damnificatio nemini fuerit lucrativa v. g. si res aliena in incendio fuerit consumpta? Primo loco tenetur restituere ante exsequentem *mandans*, quia causam exsequentem induxit ad nocendum; consequenter magis principalis illo causa est. Item dicendum de eo, qui alterum vi, fraude, metu ad nocendum induxit. Secundo loco venit *exsecutor*, ubi revera non sua sponte et proprio motu (quo in casu primo loco restituere tenetur), sed ab aliis deceptus et impulsus damnum intulit, quia sequentibus magis principalis causa ipse est. Tertio loco succedunt reliquae causae positivae: consulens in alterius gratiam, consentiens, laudans etc. habita ratione cooperationis. Ultimo loco veniunt causae negativae sed in aliarum defectum et quidem prout eorum cooperatio propior vel magis remota fuit.

Atque haec valent de cooperantibus sic dictis subordinatis. Quantum ad coordinatos, qui conjunctim aliquod damnum intulerunt, quivis ex cooperantibus, in defectu aliorum, *in solidum* restituere debet.

Facta restitutione a causa principali, vel prioribus, liberantur ab ea posteriores, non vero vicissim, cum priores posterioribus, si hi restituerunt, compensare teneantur. Negative cooperantes tunc solum ad restitutionem obligantur, quando positive cooperantes non restituerunt.

Reliqua restitutionis adjuncta.

§. 330. *Cui* restitutio facienda? a) Ei, qui legitimum titulum aut jus rem *possidendi* habet, etiamsi dominus non sit, vel cui ex omissa restitutione aliquid detrimenti imminet. Sic e. g., si rem ipsi domino restituas, non vero iis, quibus commodata vel locata est, et qui proinde jus habent illa re utendi, peccas contra justitiam his debitam. Itaque si vestis apud sartorem, farinae apud molitorem etc.

¹⁾ Lucii Ferraris prompta bibliotheca. Vocabulum: Restitutio.

surreptae fuerint, et vero domino restituantur, iisdem grave damnum infertur. b) Si res immediate *domino* ablata fuerit, huic quoque restituenda venit, vel ipso aut legitimo possessore defuncto, restitutio haeredibus fiat. c) Si dominus simpliciter plane pleneque nescitur, res ex delicto restituenda, pauperibus eroganda est, vel pios in usus conferenda. Si vero nonnisi in particulari detegi nequit, scitur vero ipsius communitas, elapso tempore, quo spes erat dominum compariturum, restitutio communitati, vel in ejusdem commodum fiat, eo quod ignotus dominus id praecipue velle supponatur. E. g. Qui homines certae communitatis ad suam tabernam adventantes defraudavit, v. g. quoad pondus, mensuram etc., pari modo largiori mensura faciat eos indemnes, si vero mercaturam non amplius exercet, pars defraudationi congrua pauperibus danda est ¹⁾.

Quid de rebus inventis? In quaestione, cui restituenda sint bona inventa, si post diligentem inquisitionem dominus eorum inveniri nequeat, triplicem sententiam theologi tenent. Prima illorum est, qui bona inventa inventori adjudicant, altera eorum, qui pauperibus bona inventa distribuenda esse volunt, vel in alios usus pios impendenda, ita tamen, ut, si inventor sit pauper, ea sibi applicare queat, cum onere pro domino orandi. Tertia dicit: Quando adhuc post diligentiam possibile est, dominum invenire, tunc *res vel pretium servari* debet; quodsi utrumque servari nequeat, res vel pretium omnino est erogandum in usus pios juxta praesumptam voluntatem domini, qui adhuc illius rei dominium retinet, semper ac res potest in manus suas redire. E converso *quando* spectatis circumstantiis temporis vel distantiae loci, vel eo quod res non possit amplius a domino pro sua recognosci, ut accidit in nummis ordinariis, *non videtur possibile, ut res ad dominum redeat*, tunc illa fit nullius, et ideo acquiritur a primo occupante, qui illam non tenetur dare juxta voluntatem prioris domini, *cum ille*, per impossibilitatem eam recuperandi *ejus dominium prorsus amisit*. Verum ubi leges civiles desuper exstant, hae servandae sunt ²⁾. Lex civilis Austriaca statuit, ut res inventa, si valorem unius floreni excedat, intra octiduum modo ibidem usitato promulgetur, si vero valorem duodecim florenorum superat, in civitate Viennensi ad supremam Politiae Directionem vel ad circuli Directionem, ruri vero ad dominium loci, quo res inventa est, deferatur. Ceterum favores legis civilis nostrae etiam in conscientia valent pro inventore, qui omnem diligentiam a lege praescriptam adhibuit: qui vero hanc inculpabiliter neglexit, dijudicandus erit secundum principia juris naturalis.

¹⁾ S. Lig. theolog. mor. libr. III. tract. V. cap. II. dub. 5. — ²⁾ Cfr. Note der k. k. Polizei-Ober-Direction vom 22. Februar 1828, Z. 1018. — Cfr. Cod. civ. austr. §§. 388 et seq.

Ordinem restitutionis pluribus faciendae, ubi facultates ad singula et omnia debita persolvenda non sufficiunt, *desinere* res est arduis difficultatibus circumsepta, nec facile theoreticis regulis absolvitur. Generatim tamen notamus. a) Quando res aliena adhuc apud debitorem exstat, vero domino restituenda est, nec potest aliis in solutionem dari, quia semper pro domino suo clamat, et debitor ex bonis suis solvere tenetur, non ex alienis, quorum dominium in alios transferre nequit, cum illud ipse non habeat. Hinc e. g. depositum, pignus etc. domino restitui debet, non autem aliis creditoribus dividi. b) Debita *realia personalibus* sunt praeferenda, quia illa majori debentur jure, cum eorum solutioni non solum ipse debitor, sed etiam illius bona sint obligata et obstricta, propter hypothecam, quam in ea creditor habet. c) Inter creditores hypothecarios praeferendi sunt ii, quorum hypotheca est antiquior. Obligatio enim posterior non potest jus alteri jam acquisitum tollere; excipe tamen, nisi posterior hypotheca privilegium habeat jure, vi cuius anteferenda sit. d) Debita, quae ex illato damno vel ex contractu oneroso debentur, potiora sunt, quam quae ex titulo gratuito proveniunt. Sic debita ex titulo oneroso v. g. ex contractu venditionis prius solvenda sunt debitis ex titulo gratuito v. g. ex donatione, etiam si haec facta sit ab eo qui, quando eam fecit, impar non erat ad solvenda debita. Aliter esset si donatio jam sit consummata et res donatario tradita sit; tunc contractus firmus est ac stabilis atque in absolutum dominium donatarii res transit. e) Debita certa ante dubia, certo domino prius quam incerto restituenda, quia lege naturae debentur certa creditoribus, incerta vero non nisi ex lege positiva debentur pauperibus. Verum sunt, qui doceant restitutionem et certorum et incertorum faciendam esse pro rata, cum valde probabile sit, quod restitutio pauperibus debeatur etiam de lege naturali nam talis praesumitur esse creditorum ignotorum voluntas, ut cum ad ipsos pervenire restitutio saltem fiat pauperibus pro suis animabus ¹⁾. f) Denique debita ejusdem ordinis ita expungenda, ut, si totum solvi non potest, inter creditores pro debiti quantitate propositio justa servetur. — Num inter creditores simplices ejusdem ordinis praeferendus, qui prior est tempore? qui pauper est? Resp. Ex lege positiva id colligi nequit; nihilominus quoad primum, plures sententiam affirmativam probabilem censent: quoad alterum, suaderi tantum potest creditoribus divitibus, ut ipsis pauperes anteferri permittant: cogi autem non possunt, nec ipsis insciis, liberum est debitori, ut pauperes anteponat. Excipiunt, si pauper versetur in gravi vel extrema necessitate, ubi creditor jam teneatur ex charitate cedere solutionem illam, habens superflua statui, ut pauperi subveniatur ²⁾. In specie jus civile attendendum est;

¹⁾ S. Lig. Homo Ap. Tract. X. n. 111. — ²⁾ S. Lig. Op. Mor. l. III. n. 691.

quod apud nos sequentem facit dispositionem: Ex bonis debitoris ante omnia solvi debent funeralia, medicamenta, et alimenta sibi, uxori, liberis impensa; item merces operariorum et famulorum ad necessarios usus conductorum; creditores hypothecarii et quidem tempore priores praeferendi sunt reliquis, post quos succedunt personales seu chirographum vel testes habentes. Peccaret itaque debitor, si clam creditoribus, quibus magis favet, quamvia de jure posterioribus, solveret totum debitum, ob quod priores vel toto vel ex parte ob insufficientiam massae privarentur.

Continuatio.

§. 331. *Quando restitutio facienda?* a) Si vi contractus aliquid reddendum sit, dicimus: tempore per leges vel pacta determinato. b) Si restitutio ex delicto debetur: quam primum moraliter fieri potest, nisi extrema vel gravis necessitas corporalis vel spiritualis propria vel aliena, aut periculum famae a restitutione statim facienda excuset. Hinc possessor bonae fidei, quamprimum rem alienam esse compererit; pariter primo quoque tempore, quo fieri moraliter potest, restituere debet possessor malae fidei, et qui injuste aliquem laesit; praesertim ubi lucrum cessans, et damnum emergens, aut periculum perdendae sortis imminet. Si nulla dilationis causa adsit, restitutionem differens per notabile tempus peccat, et damnum ob dilationem domino obveniens compensare tenetur; ex quo sequitur, poenitentem de restitutione una binisque vicibus admonitum absolvi non debere, si, dum commode restituere potuit, non restituit, imo nec illum absolvendum esse, qui, quamvis per se ipsum et statim restituere possit, primo per haeredes restituere promittit.

Quo loco? quorum expensis et periculo? a) Si vi contractus reddendum sit, refert, qualiter conventum fuerit. b) Si restitutio fiat ex re aliena, et quidem a possessore bonae fidei, sufficit, ut rem restituat in loco, ubi eam possidet, et si domino alibi existenti mittat, nec ad periculum, nec ad expensas obligatur; unde si absque culpa restituentis pereat, domino perit. E contra si restitutio fiat ex injusta laesione vel possessore malae fidei, eam propriis sumptibus et periculo in eo loco restituere tenetur, ubi eam dominus haberet, si illi ablata non fuisset, quia debet servare dominum omnino indemnem; unde si res domino missa sub via casu pereat, non domino, sed nocenti debitori perit, qui eam domino compensare tenetur, cum sit causa damni. Quodsi ad deferendam rem domino expensae valorem rei superarent, restitutio differri potest, donec commode et sine tantis expensis praestari valeat; res autem interea in tuto collocari debet, ne intercedat periculum omittendae restitutionis.

Quomodo? Primo eodem in individuo res restitui debet, vel si haec non amplius existit, ad aequalitatem pro ratione culpae; secundo restitui debet vel per se vel alium. Res occulte ablata restituantur occulte, ne fama laedatur ejus, qui injuriam intulit. Qui defraudarunt utendo minori mensura aut pondere in vendendo, tenentur in eodem loco majori mensura aut pondere uti, vel pretium rei imminuere, ut laedentes communitatem communitati damnum compensent; pro extraneis vero ad eos non amplius redeuntibus, partem aliquam inter pauperes distribuunt. — Si poenitens per confessarium restituere velit, is non facile quidem hoc onus acceptet, ne forte vel res apud confessarium pereat, vel dum alteri per restitutionem consulit, poenitenti per sigilli violationem noceat, famamque auferat: verum ne tamen nimium difficilis sit in assumenda executione restitutionis. Ceterum furunculi ista eadem astutia, qua rem clepserunt, possunt eandem antiquo loco et securo abaque infamiae periculo reponere.

Causae a restitutione excusantes.

§. 332. Causae a restitutione excusantes sunt vel tales, quae ad *tempus* tantum, vel quae *perpetuo* excusant. Ad primam classem referuntur a) impotentia restituendi temporanea physica vel moralis, quando nempe restitutio *hic* et *nunc* vel plane non, vel non sine dispendio boni altioris fieri possit. V. g. Si quis ad reparanda bona fortunae jacturam famae suae, vel ad reparandam famam alienam dispendium vitae subire cogere, vel si de status sui dignitate, vel de bona sorte *legitime* acquisita actum foret, vel si quis ex restitutione in extremam, vel valde gravem calamitatem conjiceretur, nisi et ipse, cui restitutio facienda, in pari necessitate esset: quo obtinente casu melior esse debet conditio innocentis, quam nocentis. b) *Cessio* bonorum, quae est actus, quo debitor omnibus debitis solvendis impar cedit *juridice* bonis suis, ut secundum leges satisfaciatur creditoribus. Quae cessio non plene liberat a restitutione, sed debitor ad plenam solutionem manet in conscientia obligatus, si ad pinguiorem fortunam perveniat.

Ad alteram classem spectant a) impotentia physica perpetua, quia nemo ad impossibilia tenetur; b) praescriptio legitima, quae in possessorem bonae fidei dominium transfert; c) *compensatio justa*, dum pars altera, cui aliquid debebas, quodcumque modo jam sese ex rebus tuis indemnem fecit; d) condonatio exactoris sive expressa sive rationabiliter praesumpta, modo sit libera et non vi, aut fraude extorta, facta ab eo, qui habet dominium et administrationem rerum suarum a jure non prohibitam; unde remissio a pupillo vel filiofamilias sine consensu tutoris aut parentis facta nulla, vel saltem infirma est. Remedium istud saepissime adhiberi debet,

ut per humilem deprecationem benigna debiti condonatio per confessarium tecto poenitentis nomine, aliisque tacitis circumstantiis efflagitetur.

De compensatione occulta.

§. 333. Compensatione occulta utitur ille, qui, cum rem suam recuperare non valet, aliam aequalem debitori suo clam aufert. Hanc positis nonnullis conditionibus etiam licitam esse, Theologiae moralis doctores volunt.

Prima est, ut certum et liquidum sit debitum atque ex stricto jure, non vero ex lege charitatis, vel grati animi sensu postulatum; nam in dubio melior est conditio possidentis.

Secunda, ut rem tibi certo debitam non possis per auctoritatem publicam obtinere: alioquin ad eam recurrendum esset, quia non licet ordinem juste constitutum praetermittere. „Qui furtim accipit rem suam apud alium injuste detentam, inquit, S. Thomas, peccat quidem, non quia gravat eum, qui detinet (et ideo non tenetur ad restitutionem, sed peccat contra communem justitiam, dum ipse sibi usurpat suae rei iudicium, juris ordine praetermisso”¹⁾.

Tertia, ut debitor aut illius haeredes iterum solvendi periculo non exponantur.

Quarta, ut absit damnum debitoris, vel tertii, item omne scandali periculum; saepe enim contigit, eum, qui tollit etiam quod suum est, vel sibi vel alteri furis notam et labem accersere.

Quinta, ut res, quam occulte accipis, sit tui debitoris, quare non licet surripere rem alienam apud eum existentem v. g. vel commodatam, vel fidei suae commissam.

Positis his conditionibus licita censetur a pluribus compensatio occulta; per eam quippe non violatur justitia commutativa, qui enim compensatione utitur, id solum accipit, quod stricte suum est; nec etiam laeditur justitia legalis, nam supponimus ad iudicis auctoritatem recurri non posse²⁾.

Cum autem rarissime coeant in compensationem praefatae conditiones, sine quibus junctis illicita est, eam nunquam suadebit confessarius, vix enim unquam abest periculum scandali vel infamiae; ad restitutionem tamen non coget poenitentes, qui compensationem adhibuerint, si requisitis conditionibus munita fuerit, sed eos admonebit periculi, cui sese temere objecerint. Minime autem operariis vel famulis aliquid licet tollere, sub eo praetextu, quod stipendium justo minus recipiant, tum quia debitum, cujus compensationem ejusmodi homines quaerunt, non est certum (cur enim

¹⁾ Summ. theolog. 2. II. q. 66. a. 5. ad 3. — ²⁾ Cfr. Köhler Anleitung für Seelsorger im Beichtstuhle. 6. Auflage.

ipsis potius, quam dominis suis fides adhibeatur?), tum quia de stipendio sibi dando cum heris suis conventum fuit, ideoque pacto stare debent¹⁾, tum quia opposita sententia innumeris furtis aditum aperit; vix enim unquam famuli mercede sibi constituta contenti sunt.

Casus practici.

§. 334. 1. Mathias furatur vicino suo quinque modios tritici eo tempore, quo modius valebat decem florenos. Post annum peragens confessionem a confessario ad restitutionem obligatur, quod onus etiam in se suscipit; sed quaerit num obligationi suae satisfaciat, si restituat tantum, quanti valebant anno elapso hi quinque modii, videlicet quinquaginta, an vero teneatur vel ipsum frumentum in natura reddere, vel quod idem est, quanti valet nunc modius frumenti, id est, pro quolibet quatuordecim florenos, adeoque in summa septuaginta florenos?

Resp. Mathiam teneri dare quatuordecim florenos, quia tenetur dare modium, dominus enim frumenti subtracti non tenetur acceptare pecuniam, sed potest modium in natura exigere; is autem nunc valet quatuordecim florenos. Quod autem frumentum in pretio creverit, non est fructus industrialis, sed naturalis, consequenter domino crevit.

2. Ambrosius subtraxit proximo suo quinque modios frumenti eo tempore, quo modius valebat quatuordecim florenos. Nunc autem jam non valet tanti, sed decem florenos tantummodo. Peraeta confessione restitutionem parans interrogat, an satisfaciat, si reddat quinque modios in natura, vel pecuniae valorem, quo nunc aestimantur; num vero teneatur valorem restituere, quem tunc modius habebat, quando furtum commisit? Resp. Tenetur iterum dare quatuordecim florenos, quia tanti valebat modius, quando illos abstulit, et dominus frumenti illud potuisset vendere, aut consumere: consequenter pecuniae suae pro alio comparando parcere. Sed quid juris, si frumentum suum nec vendidisset nec consumsisset, sed otiosum domi retinuisset? Resp. Tenetur tantum solvere, quanti tum valuit, quando illud furatus est, quia semper verum est, quod modium quatuordecim florenis valentem, adeoque quatuordecim florenos furatus est.

3. Ancilla serviens cauponi cuidam, et scopans diversorii cubile, in quo pridie hospites degebant, invenit papyrum complicatum, quo aurei quatuor involuti erant. Proxima vice sacrum Poenitentiae tribunal accedens quaerit e confessario, quid cum illis faciendum sit?

¹⁾ Matth. XX. 13.

Resp. Omnium primo in illum inquirendum est, qui perdidit, si forte detegi queat, et quidem hospites interrogando rodentes, num quid perdidissent, pecuniam non tamen, nec summae quantitatem, nec qualitatem annuncians, et si quid amisisse adfirment, tunc demum de monetae summa et qualitate interrogando; si nullus se dominum ejus pecuniae indicet, in cathedra ecclesiae illius loci, prout fieri assolet, promulgari aliquoties curando inventionem alicujus pecuniae, iterum nihil determinando amplius (Juxta statutum civile ad directionem Politiae, vel ad magistratus domini loci illius deferenda sunt bona inventa). Quodsi denuo nemo compareat, ancilla saltem triennio expectare debet, quo elapso (nisi casus extraordinarii temporis pro usucapione occurrat) rem sibi retinere potest. Quaeri possit, utrum ancilla pecuniam cum domino hospitii partiri non teneatur, prout cum thesauro invento res se habet? *Resp.* Negative. Alia enim ratio thesauri, alia hujus pecuniae. Thesaurus in fundo alieno detegitur, adeoque ad fundum tanquam pars pertinet, nummi isti non in fundo, sed in superficie pavimenti reperti sunt.

4. Vinearum custos tacet, nec dominum monet, dum vicinus illius ex vinea hujus domini vineae identidem uvas decerpit. Quod saepe repetendo magnum illi damnum infert. Num ad restitutionem in defectu furis vinearum custos tenetur? *Resp.* Affirmative, quia ex officio illi haec cura incumbit, consequenter ex justitia ad domini vineam indemnem conservandam adstringitur.

5. Mathias dat in commissis Thomae, ut certam in auctione vestem emat, sed non pluris quam triginta florenis ad summum, ille pro viginti florenis accipit. Num decem florenos Thomas sibi vindicare potest? Alter suum pallium, quo amplius uti non vult, alteri tradit vendendum, hac expressione: Pro hoc pallio viginti florenos mihi referre debes. Vendit vero pro triginta florenis. An decem hos florenos sacco suo imponere potest? *Resp.* ad primum negative, quia committens non renuntiavit minori pretio. Id quod adhuc magis verum, si proprius famulus mittatur, quia hic omni meliori modo negotium domini sui gerere debet. Ad secundum affirmative; nam hac expressione residuum vendenti donare censetur, idque etiamsi domesticus sit.

6. Nobilius id consilii Cajo dedit, ut quingentos florenos Joanni patruo suo furaretur, quos in commercium conferret, ei persuadens, illud aliter sustineri non posse. Cajus ejusmodi consilium secutus est, eo tamen animo, ut, si quando potuisset, restitueret. Nobilius eo exhibito consilio dolens, Cajum dehortari conatus est, at voti compos fieri non potuit, et furtum executioni mandatum est. Nobilius teneturne Caji defectu restituere?

Resp. Cum Nobilius consilium primum occasionem furto praeberit, quamvis ille deinde contrarium suadere studuerit? ipsae

proinde Caji defectu non videtur a restitutione eximi posse, juxta S. Thomam ¹⁾. Secundum S. Antoninum et S. Liguorium Nobilius excusatur; quod tum saltem certum videtur, si prius ad pervertendum falsis rationibus assertionibusve usus fuerat, quarum falsitatem modo pandit.

7. Salomon et Andreas Bartholomaeo clam declararunt, se ad Stephanum spoliandum pergere; ille vero illis plausit, consilium probavit, industriam commendavit, atque adeo cohortatus est, ut conceptum facinus exsequerentur. Peracto furto teneturne ipse ac ceteri restituere?

Resp. Docente S. Thoma I. c. non omnis consensus semper ad restitutionem obligat, sed is tantum, sine quo injustitia patrata non esset. Si Salomon et Andreas secum ipsi statuissent, independenter a Bartholomaei consensu, consilio, assentatione, Stephanum spoliare, Bartholomaeus sane nulli restitutioni subesset; at ipse eorum defectu restitutioni subest, si furtum absque ejus consensu seu consilio patratum non fuisset.

8. Attalus mille fl. Germano furatus est, et duo millia fl. Theodoro debet. Ei nihil praeter duo millia fl. in bonis est. Debetne Theodorum Germano praeferre?

Resp. Magis est justitiae consonum ablata restitui, quam debita solvi; quamobrem Attalus primo quidem mille fl. Germano tribuere debet, deinde vero debiti dimidium Theodoro solve; propria enim debita ex alienis bonis solvi non possunt; is verè, cui bonorum satis non est, ut propria debita solvat, si culpa vacat coram Deo, liber est tutusque.

9. Gabinius et Titius, quibus Nicolaus ducentos fl. abstulit, singuli vel aequè pauperes vel aequè divites sunt. Nicolaus nonnisi dimidium summae restituere potest. Quid agere debet?

Resp. Ex S. Thoma ²⁾, si neuter restitutionem petit, ei facienda restitutio, qui furtum prior passus est: naturalis id ordo postulat; ast si posterior apud judicem restitutionem petiisset, anteponendus esset, etenim vigilantibus jura subveniunt. Si ambo in extrema necessitate versarentur, restitutio inter eos aequè dividenda esset. Verum nummi, qui supersunt, nonne potius ejus esse videntur, cui ultimo ablati fuere?

10. Petrus Diomedii famulo suo mandavit, ut Joanni florenorum mille crumenam eriperet, et Aphronius id consilii Diomedii dedit, ut domini jussa faceret. Diomedes crumenam sumsit, at veritus, ne cum furto comprehenderetur, illud Maeviae tradidit, Jacobo ejus marito consentiente, qui ambo de furto noverant. Denique Julianus furtum, cum posset, non impedivit. Quis e singulis primus restitutioni subest, et quo deinde ordine ceteri, eo deficiente.

¹⁾ Summ. theolog. 2. II. q. 62. a 7. — ²⁾ Opusc. 73. c. 18.

Resp. Si Maevia florenos istos adhuc retinet, ipsa prae ceteris eos restituere debet, quippe cui furti possessio est. Ejus defectu Petrus ante alios, utpote praecipua causa, restitutioni subest; tum Diomedes, qui furtum commisit, eorumque trium defectu Aphronius, qui consuluit. Quamvis Maevia non amplius furtum prae manibus habeat, vir Jacobus et ipsa restituere tenentur aliorum defectu, utpote causae positivae (recursus); e contra Julianus qua causa mere negativa ad restitutionem obligatur ultimus, si vi muneris et officii impedire damnum tenebatur. Si furti possessor restituit, ceteri liberati sunt, exempti quoque sunt, si restitutio ab eo facta est, qui consuluit, si ii, qui minus praecipuae causae sunt, restituerunt; qui magis praecipuae causae sunt, eos indemnes reddere debent. Denique si eorum unus, qui causa minus praecipua sunt, ab eo, ad quem restitutio pertinet, summae, quam singillatim restituere tenetur, remissionem obtinuit, ceteri non amplius restituere tenentur, nisi quod eorum quisque ad integram damni compensationem conferre debet.

11. Sempronius quinquaginta aureos debet Livio: Hic audiens illum adeo aere alieno obrutum obiisse, ut merito dubitet, an bona, quae reliquit, omnibus creditoribus satis futura sint, nonnulla ejus mobilia bona, quae apud ipsum existunt, et fere ei debitum exaequant, compensationis titulo retinet. Licitene?

Resp. Quamvis haec mobilia nemini peculiariter obligata sint, stricto tamen jure Livius ea sibi propria facere nequit, quoad certus sit, bona a defuncto relicta creditoribus omnibus satis esse. Ratio est, quia, cum ea tanquam crediti pignus ei tradita non fuerint, eadem proinde debitoris titulo possidet. Praeterea si debitoris bona ad integram solutionem non sufficiunt, ex naturali jure pro rata inter creditores singulos tribuenda sunt.

12. Lambertus putans, evidens esse, sibi dari salarium justo minus, auferendo progressu temporis sensim parva compensat defectum. Quid agendum?

Resp. Non permittenda occulta compensatio famulis; hi enim saepe amore lucri excaecati persuadent sibi, se minus justo accipere, dum interim essent alii, qui eadem mercede servirent; sed jubeantur dominis rem exponere et cum illis convenire, ut aut plus accipiant, aut permittantur alium quaerere dominum. Innocentius XI. damnavit hanc sententiam ordine 37: „Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis eripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.” Haec propositio si vera foret, aperiret ostium furtis plurimis.

Compensatio injustae laesionis.

§. 335. Summa injuria infertur proximo, dum quis illum vi fraude, vel gravi metu, etiam reverentiali, ad patrandum peccatum mortale inducit, vel qui alios circa fidem bonosque mores perversis principis imbuit. Hic non tantum ab impio suo consilio desistere, sed etiam pro viribus adlaborare debet, ut aliter seducti fascinatique denuo resipiscant, et convertantur. Quod etiam de illis obtinet, qui per directum indirectumve scandalum spiritualem ruinam aliorum promoverunt; hi ex lege charitatis, vitae prioris rationem per opposita et conspicua animi vere poenitentis indicia corrigere, et damna, quorum auctores morales exstiterunt, pro eo ac possunt, resarcire tenentur. Vae illi, per quem scandalum venit! Quam difficile damna spiritualia reparantur! Wer Aergerniss gegeben, der hebe sein schwerbelastetes Herz, in Reue und Schmerz, aufwärts zu dem empor, welcher ist der Regent seiner Gemeinde, der Allvermögende und Ewigherrschende; und bitte mit unaufhörlichen Bitten diesen seinen Sachwalter, dass derselbe in Seiner Macht und Barmherzigkeit das Uebel, so er gestiftet, übernehme, und theils noch bei seinem Leben, theils auch später nach seinem Hintritte austilge. Ach, von welchem Werthe ist für so manche belastete Seele der Glaube an Jesum Christum, — *den Wiederhersteller der Menschheit* — ihren Wiederhersteller nicht bloss im Grossen, sondern auch im Kleinen und im Kleinsten!

Quid vero de *seductore*, qui aliam ad turpia contra VI. Decalogi praeceptum blanditiis pellexit? Et quidem licet ex stricto jure ad restitutionem non tenetur, quum tamen impius seductor revera omnium malorum, quae vel intendit, vel aliquatenus saltem praevidit, auctor moralis existat, ex lege charitatis omnia pro viribus reparare debet. — Et ubi proles nascitur, ad ea obstringitur, quae patri illegitimo incumbunt. Verum enim vero minime sibi blandiatur, hiscemodis ob crimen a se patratum sat superque se satisfecisse; etenim cum pudicitia nullo pecuniarum pretio aestimari queat, non tantum ipsum vere poeniteat, sed vel maxime in id enitatur, ut vigor innocentiae et castimoniae in ipso et in seducta denuo refloreat. Quodsi puellam induxit, ut consentiret in copulam sub vera vel ficta promissione matrimonii, obligatur et damna inde enata resarcire, et eam, si ipsa velit, ac ipse possit, ducere; quia, si vera fait promissio, verus intercessit contractus, qui jam impleri potest; si vero fecte promissit, nihilominus datur obligatio ob impletam conditionem onerosam, sub qua et non aliter consensit infelix puella. Ast ab ea ducenda excusatur corruptor, a) si puella ex circumstantiis facile comprehendere potuit, promissionem non esse sinceram; v. g. quando est valde magna disparitas in nobilitate, divitiis etc.; tum enim sibi imputare debet, quod decepta sit. β) Si ex matrimo-

nio timeantur gravia et diuturna incommoda, vel scandala. γ) Si ipsa postea permittat se ab alio seduci, quia non potest aegre ferre, si frangenti fidem fides frangatur eidem.

Ast longe aliter se habet, ubi *stuprum* virginis obtinet. Qui nefando et execerando hocce flagitio sese foedaverit, tum virgini laesae, tum ejusdem parentibus damna omnia, quibus exinde involvuntur, resarcire debet, vel eam ducendo (nisi obstat ratio graviorum damnorum) vel sufficienter dotando; et si ex stupro proles concepta fuerit, auctor tantae injuriae omnes nutritionis et educationis sumptus sustinere tenetur.

Difficilior res cadit, ubi *adulterium* committitur, quae conjugii innocentium summa injuria inferitur, quae eo major evadit, si proles exinde procreata fuerit. Hic jam prudentia omnium primum suadet illud, ut parti innocenti occultetur crimen. Nam infelix pars innocens gravissimo affligitur moerore, salus domestica et pax naufragatur, amoris conjugali vulnus lethale infligitur; odiumque plerumque exitiale succedit adeo, ut saepenumero matrimonium separetur. Ex ipsa hac conjugii turbatione proba filiorum legitimorum educatio ingens detrimentum patitur, et res familiaris et opes inter conjuges dissipari, vel certe negligi solent. Imo in foro externo proles in matrimonio nata tamdiu legitima praesumitur, donec contrarium probetur, ut mulieri propriam turpitudinem alleganti fides nulla habetur. Quae vero obligatio adulterae, et quae ejusdem complici incumbit, si proles intrusa praeter victum et sustentationem una cum filiis legitimis haereditatem paternam captura sit, vel omnino iis deficientibus in omnia bona successura? Praeterquam quod spiritu poenitentiae acta, erga virum benignam et morigeram et in educandis prolibus sese strenuam exhibeat, rem familiarem exactiori cura administrare, sumptibus, quos pro genio licite faceret, parcere, atque de bonis sibi propriis, si quae habet, ita disponere adlaboret, ut damna omni modo saltem meliori compensentur iis, qui detrimenta patiuntur. Pariter complex seu pater prolis spuriae, quantum absque eriminis manifestatione fieri potest, conferre debet, ut maritus et legitimi haeredes indemnes serventur; v. g. dum testamento nomine sub alio praetextu pecunias mittat, vel per testamentariam dispositionem huius suo officio satisfacere conetur.

Continuatio.

§. 336. Ratione *injustae laesionis vel mutilationis corporis*, *injuria* auctor tum expensas curationis, tum lucrum cessans compensare tenetur. Ubi vero mors sequitur, homicida α) haeredibus qua talibus praestare ea debet, quae ipsi occiso ad dies vitae juxta prudentem aestimationem solvenda fuissent. β) Si uxor, liberi vel parentes occisi exinde necessariis destituuntur, injustas homi-

cida ad ea saltem suppeditanda obligatur, quae defunctus vi vinculi conjugalitatis, parentalis iisdem suppeditare debuisset. γ) Creditoribus occisi eatenus obstringitur, quatenus illis directe nocere voluit ¹⁾.

Si igitur contigerit, ut poenitens in tam enorme crimine, quale est homicidium, prolapsus fuerit, confessario incumbit, ut poenitenti enormitatem criminis exponat, quod sacra Scriptura sanctique Canones adeo detestantur, et contra quod tot comminationes poenasque continent. Inculcet quoque quantopere sanguis, quem effudit, adversus eum vindictam clamet, perinde ac sanguis Abel contra fratrem Cain ²⁾. Quare necessarium esse, ut Dominus contritione et satisfactione debita placetur, ac insuper, quam fieri potest, liberalissime compensetur damnum, quod hinc uxor, liberi; parentes et haeredes occisi perceperint, de quibus omnibus plena instructio est facienda. Et si non plena fieri damni possit restitutio, fiat pro modo facultatum. Quodsi nullas penitus habuerit opes homicida, satisfacere conetur in propria persona sic, ut iis, quibus satisfacere debet, adjumento sit et utilitati in quocumque casu poterit. Si vero non reperiatur quisquam, cui hoc modo satisfactio debita possit fieri, praecipiat illi confessarius, ut magna sollicitudine et cura interfecto satisfaciat. Praecetur Deum pro anima ipsius, et pro salute ipsius saepe Missae Sacrificium offerat, ut aliis piis operibus operam navet. Quae omnia etiam exsequatur, licet haeredibus satisfecerit. — Si poenitens vero contritionis signa sat indubitata exhibeat, absolutione erigi poterit, prout salus poenitentis postulat, vel nunc, vel post aliquod laboriosae poenitentiae tempus danda. Admonendus autem confessarius, quod etiamsi ab homicidii peccato absolvat, tamen nec dispensare possit, nec absolvere ab irregularitate, quam crimine hoc incurrit poenitens, nisi specialem a Summo pontifice facultatem obtinuerit.

Continuatio.

§. 337. Quantum ad *bonam famam et honorem proximi*, non minor adhibeatur cura in imperanda urgendaque illius, quam bonorum restitutione, quia „melius est nomen bonum,“ sicut Sapiens testatur, „quam divitiae multae“ ³⁾. Sed in hoc negotio praecepta sequentia possunt utiliter usurpari:

a) Si poenitens innocentem falso infamarit, sic ut aliquod peccatum aut aliud factum, quod non admiserit, de illo divulgavit, et nominis et aestimationis suae apud alios jacturam fecisset, dicta serio retractare adeo obligatur, ut, qua ratione calumnia divulgata fuit, eadem quoque revocetur. Ad haec detractor tenetur, ut omne

¹⁾ Cfr. legem civilem Austr.; item S. Liguorii Theol. mor. libr. II. Tract. 6. n. 631. — ²⁾ Gen. IV. 10. — ³⁾ Prov. XXII. 1.

damnum compenset, quod proximo his calumniis attulerat. Quod ipsum facere si poenitens detrectaverit, absolute non gaudebit.

b) Quodsi injuste maleque, vera tamen aliquem ignominia notaverit, cum, quae de ipso sparsit, vera quidem fuerint, sed adeo occulta, ut ea patefacere non debuerit, tunc ad palinodiam canendam obstringitur, non quidem fatendo se esse mentitum, sed ut in aliis rebus ipsum praedicet, ejusque naevos excuset, dotes bonas extollat, familiariter cum ipso conversetur etc., operamque det, ut apud quos ei detraxerat, in bona deinceps habeatur existimatione. Praeterea damna, quae alter exinde passus est, quaeque, si minus intenta, aliquo saltem modo praevisa fuerint, modo, quo fieri potest, meliori resarcire charitas jubet.

c) Obligatio restituendae famae tunc cessat, quando aliter ea fieri non possit, nisi summo vitae suae discrimine, aut si majus hinc infamato damnum nasceretur, (veluti si reintegraretur jam semel seipita infamia), et si passus ignominiam traductori, quod adversum se promulgarit, condonare velit; aut denique si calumniis fides adhibita non sit. Verum in casibus ejusmodi confessarius observet, praestare, poenitentem facere plura, quam teneatur, et ad hoc eum instruat; semperque tutiorem in hoc genere partem sequatur.

Obligatio restituendi famam est *personalis*, reparandi autem damna *realis*, inde haec omnino ad haeredes transfertur.

Casus practici.

§. 338. 1. Vir nobili e stirpe oriundus, cui ex matrimonio plures supersunt liberi viduus factus cum famula peccavit, prolemque progenit, quae in vivis adhuc existit. Fatetur illam a se vere esse seductam, ideoque conscientiae dictaminibus ad illam in uxorem accipiendam obligatum se sentit. At vero obversatur ei dubium, num pro diversa educatione, cogitandi sentiendique ratione ipsam inter et memoratam famulam intercedente, felix matrimonium sperari possit, cum ipsa necessariis dotibus instructa non sit, quibus seu bona mater eum in educandi munere adjuvare queat. Modo confessarii est suadere, quid eum, ne officio suo desit, agere oporteat.

Deprehendimus hic sic dictam collisionem officiorum. Ex una parte poenitens seductae satisfacere, et seductionis malas sequelas resarcire tenetur, idque in quantum fieri queat. Jam hoc saepe vix alia ratione, quam ineundo matrimonio potest fieri. Praeterea infantem procreatum educare obligatur, quod officium, quum ad matrem pariter spectet, proliquo jus competat illud a patre et matre simul exigendi, educatio vero communi opera peragenda extra matrimonium feliciter vix cadat, etiam officium in parvulum postulat, ut cum matre vinculum matrimoniale contrahat. Ex altera autem parte,

quod supponimus, infelix conjugium timendum est, quod praesentissimo violandi officii periculo eum objiciet. Praeterea viduo sancta incumbunt officia in liberos ex priori matrimonio procreatos, quae vix non violaret, matre educationis muneri impari eis obrusa. Rebus igitur sic se habentibus merito opinamur, viduum adigi non posse ad matrimonium cum illa ineundum, dum insuper animo ab ea averso est, atque adeo monendum, ut misso matrimonii ineundi vinculo seductae quacunq̄ue alia ratione satisfaciat, proli illegitimae quam optime sustentandae et educandae prospiciat, de cetero vero aliam sibi liberisque magis accommodatam sponsam eligere studeat.

2. Cunigundem virginem Theodorus sub matrimonii promissione juramento interposito facta sollicitavit, ut corporis usum concederet. Voluntati Theodori illa cessit, et grvida effecta est. Successu temporis, prout evenire solet, et antequam matrimonio jungerentur, Theodorus sponsae suae nauseam concepit; interrogat confessorium, an hanc personam ducere teneatur, promittens se proli educationi provisurum.

In hoc casu distinguendum est: Quid jure naturae et Decretalium, quid jure austriaco valeat? Jure naturae et Decretalium ad eam ducendam sine dubio tenetur, et quidem vi promissionis, et vi juramenti. Jure austriaco vi promissionis ad illam ducendam cogi non potest; est tamen obligatus non obstante jure austriaco, vi promissionis juramento interposito firmatae, ex religione et coram Deo ad eam ducendam, nisi ratio graviorum incommodorum obstet.

3. Mulier in confessionali manifestat, se duobus cum viris Tito et Cajo peccasse, et gravidam esse factam, simulque addit certum sibi non esse, per quem; probabilius tamen Cajum patrem proli sibi videri. Obstetrix, quam adjunctis expositis in consilium vocaverat, suasisit ei Titum ceu patrem nominare; inter Cajum enim et obstetricem vinculum quondam intercesserat, ex quo haec optabat, ut ei parceretur. Quamvis poenitens consilii pravitatem intelligeret, nihilominus tamen obsecuta Titum indicavit, qui proinde illegitimam cohabitationem negare non valens, proli sustentationem suscipere debuit. Ideo oritur quaestio, num poenitens isthaec ad restitutionem ei praestandam sit obligata?

Licet poenitens conscientiae dictamen posthabuisset, utpote quae Titum progenitae proli patrem nominaverat, quum dubium, imo minor probabilitas obtineret, restitutionem tamen ex eo eidem non debet. Cum enim peccatori cuilibet omnes omnino peccatorum suorum sequelae imputari possint, cumque Titus, quod supponimus, cum muliere hac ita peccaverit, ut inde revera potuerit evadere praegnans, certe aeque ac Cajus, seu, ut juris consulti ajunt, in solidum ad infantis sustentationem erat obligatus. Hoc ipso igitur, quod eam in se suscipere debuit, nullam laesionem nullamque injuriam est expertus, ubi vero non injuria, ibi nec restitutionis officium.

4. Sempronius, vir nobilis ac dives uxoratus, mulierem famuli sui, qui trium liberorum pater existit, cognovit atque impraegnavit. Haec parturiendo prolem supremam obit diem. Ad quae obligatur adulter? Resp. Minime se adulterum prodere tenetur, quin imo prohibetur id facere ex rationibus supra allatis. Verum obstringitur ad sumtus enutritionis et educationis hujus prolis praestandos pariter ad damna exinde enascentia resarcienda, quatenus proles spuria de haereditate famuli partem sit injuste consecutura. Quid vero ratione mortis parturientis mulieris? Quum mors nonnisi per *accidens* evenerit, et adulter causa efficax illius non fuerit, ex *justitia* ad damna inde oriunda compensanda non tenetur, quamvis *aequitas* et *charitas* suadeat, ut per beneficia resarcire conetur infortunium mulieris morte, cujus ansa et occasio exstitit, enatum.

5. Vidua confessario aperit, se ex adulterio in priori conjugio commisso esse gravidam. Cum inter omnes vigeat persuasio, prolem ex legitimo matrimonio procreatam esse, magistratus eandem unicum nuperrime defuncti haereditatem declararunt, cui quippe praeter fratres et sorores liberi alii superstites non sunt. Jam maritus de uxore forsitan praegnante ob impotentiam suam ne cogitans quidem, saepius dixerat, hanc uxorem solam suorum fore haereditatem; at hujus dicti nec testis, nec aliud validum testimonium extat; hinc cupit a confessario edoceri, quid pro conscientiae dictamine sibi agendum, ne defuncti fratribus, ratione haereditatis ex jure iis competentis, injuriam inferat. — Rebus ita se habentibus poenitens ab officio restitutionis libera est declaranda. Nam pro legum civilium tenore quilibet infans, quem uxor in matrimonio genuit, pro legitimo haberi debet, ideo proli pro foro externo indubium haereditatis jus competit, eoque minus labem suam confiteri et prolem ceu illegitimam designare tenetur, quia praesumptio pro legitima procreatione militans vi legum firmior est, quam cui talis confessio, quae absque alio argumento nec admitti nec credi solet, in detrimentum innocui parvuli derogare quidquam posset. Pro foro vero conscientiae mariti effato, ipsam fore ejus haereditatem, acquiescere potest. Quamquam enim argumentum in jure valens non exstet, certa tamen mulieris persuasio, maritum morientem hoc intendisse, pro interno foro sufficit. Ita salva conscientia haereditatem sibi vindicare atque infanti deinceps cedere potest. Hac ratione obsequitur voluntati defuncti, cui circa bona sua libere disponere licuit, ideoque nec aliis injuriam infert, ad quos haec, si ab intestato decessisset, pervenissent. — Ast forsitan maritus perfidiae conscius, voluntatem suam in aliud mutasset? Huic reponimus: Forsan venia data effatum suum, quo uxorem haereditatem pronuntiavit, non revocasset; asseri aaltem nequit, declarationem illius ipso jure fieri invalidam per delictum commissum. Ratione dubii memorati monenda tamen esset, ut vi charitatis aequitatisque defuncti fratribus, in quantum possit,

beneficam se exhibeat; licet ex officio juris ad restitutionem non teneatur.

Manifestationis officio innodati.

§. 339. Genuina ethices cristianae principia exigunt quandoque, ut homo suum aut alterius peccatum aliis manifestet. Incumbit hoc officium tum, ubi aut a) expressa lex manifestationem exigat, v. g. in terris austriacis manifestatio sociorum criminis perduellionis praecipitur; aut b) si aliorum, aut c) hominis ipsius damnum sive temporale sive spirituale *alio modo* praecaveri nequit, quam hominis flagitiosi nomine ad alios, qui eum a crimine retrahere et impedire queant, delato. Sic e. g. tenetur socius scelestae consociationis ad furta patranda inuitae, socios ad magistratus deferre, si alia non pateat via, eos a criminum patratione retrahendi: tenetur pariter foemina quandoque manifestare hominem, qui eam ad turpia sollicitavit, si apud alias plures idem tentaturus esse praevideatur, nec aliud medium superest idipsum impediendi. Idem valet de puero molitiei debito, adeo, ut, nisi pravum usum habitum parenti, aut fide amico detegat, quorum videlicet sollicita cura et opera eum sanatum iri credendum sit, spes nulla sanationis affulgeat. — Notandum tamen, nunquam expedire, nec licere, ut homo suum crimen ad magistratum deferat, si hujus delationis effectus alius esse nequeat, quam ut puniatur.

Jam si confessarius viderit *poenitentem* hocce officio teneri, a) hujus obligationem poenitentem doceat. Bene tamen caveas, ne quidquam poenitenti imponas, quod aut officio adversum, aut imprudens, aut saltem poenitenti nimis molestum et arduum esset; imo non prius hoc officium injungas, quam ubi revera adesse certo constat, dum effectus ex delatione speratus alia molliori via obtineri non possit. b) Porro confessarius modum indiget, quo manifestationem poenitens exsequatur. c) Denique ipsum manifestationis negotium non facile in se suscipiat, sed nonnisi tum, ubi extrema necessitas urget, ita tamen, ut poenitens extra tribunal sacrum rem denuo exponat, atque, quod tutius est, non solum ore tenus, sed (prout fieri potest), scripto exhibeat, nulla confessionis mentione injecta.

Quatenus ab officio manifestandi, etsi lege publica injuncto, excuset proxima conjunctio, etc. etc. vide S. Lig. theolog. mor. libr. VII. 214—217.

De sollicitatione ad turpia.

§. 340. Cum infandum scelus immanaque sacrilegium committatur, si quis sacerdotum ad sacras confessiones deputatus non solum probitatem vitae ex parte ministri requisitam non habeat, sed insuper sacrosancto Poenitentiae Sacramento abutatur, et malitia

diabolica sollicitando poenitentes ad turpia pro medicina *venena*, et pro pane aspidem eis porrigat in summam animarum perniciem, *Romanorum Pontificum pastoralis sollicitudo* salubria huic malo remedia providere plurimum studuit. Varias de hac re ab illis editas fuere Constitutiones, scilicet a Pio IV., Paulo V., praesertim vero a Gregorio XV. et Benedicto XIV., qui omnes priores confirmavit et ampliavit per suam Constitutionem d. d. 1. Jun. 1741, quae incipit: „*Sacramentum Poenitentiae.*“ Ex hac constitutione, quae norma et regula praesentis materiae est, sequentia huc transfero.

„Mandamus omnibus — locorum Ordinariis, — ut diligenter procedant contra omnes et singulos sacerdotes tam seculares quam regulares, quomodolibet exemptos et Sedi Apostolicae immediate subiectos, — qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediate post confessionem, vel occasione aut praetextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali, vel in alio loco ad confessiones audiendas deputato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam tunc aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint; et quos in aliquo ex huiusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate et circumstantiis severe animadvertant; — concedentes facultatem — procedendi cum testibus etiam singularibus, dummodo praesumptionis indicia et alia adminicula concurrant. Meminerint propterea omnes et singuli sacerdotes ad confessiones audiendas constituti teneri se ac obligari, suos poenitentes, quos noverint ac aliis, ut supra sollicitatos, sedulo monere juxta occurrentium casuum circumstantias de obligatione denunciandi — locorum Ordinariis personam, quae sollicitationem commiserit, etiamsi sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide imperiendam careat, aut sollicitatio inter confessarium et poenitentem mutua fuerit, sive sollicitationi poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluerit, aut sollicitatio a confessario, non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper confessarii, ne poenitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem praedictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti iudici, vel saltem se, quam primum poterunt, delaturos spondeant. Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio vel ira aut alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis aut blanditiis, aut minis aut alio quovis modo incitati tremendo Dei iudicio posthabito et ecclesiae auctoritate contemta, innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulant:

ut igitur tam nefaria audacia et tam detestabile facinus metu magnitudinis poenae cōerceatur, quaecunque persona, quae execrabili huiusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsum innocentes confessarios impie calumniando, vel sceleste procurando, ut id ab aliis fiat, a quocunque sacerdote, quovis privilegio, et autoritate et dignitate munito praeterquam a nobis et nostris successoribus, nisi in fine vitae et excepto mortis periculo spe absolutionis obtinendae, quam nobis et successoribus reservamus, perpetuo careat.“

Haec, quia sat plana esse videntur, uberiori explicatione non egent, hinc nihil aliud addendum censemus, nisi: a) Nihil refert, sollicitatus foemina sit, an vir; nam ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. b) Denuntiatio sacerdotis sollicitantis nostris in locis ad Ordinarium seu Episcopum diriganda est, ubi (sive ore tenus, sive per epistolam id fiat) simul exprimatur necesse est, in quo constiterit sollicitatio, quin tamen poenitens teneatur dicere, se confessario sollicitanti consensum praebuisse. c) Quodsi ex parte sollicitati ratio *vere gravis legique extrinseca* occurrit, denuntiatio equidem differri, non autem ob molestias *consuetas* v. g. verecundiam, commiserationem erga sollicitantem etc. omitti potest. d) Summa prudentia et circumspectio adhibeatur ad discernendum, an revera sollicitatio ad turpia facta fuerit nec ne. Potest enim contingere, ut personae, praesertim feminae, partim ex stupiditate, partim ex vanitate, quaedam verba vel signa confessarii tanquam sollicitationem interpretentur, quibus haec macula nequaquam adhaeret. Quid, quod homines perversi utriusque sexus ex malitia et odio erga aliquem sacerdotem sollicitationem ab ipso factam fingere possint, ut ipsi infamiam aut damnum creent! Est igitur huiusmodi personis, qui sacerdotem de facta ab ipso sollicitatione accusant, *enormitas* criminis, quod per falsam et calumniosam accusationem innocentis confessarii committeretur, vivide repraesentanda, est ipsis magno-pere inculcandum, quod ab hoc gravissimo calumniae peccato a nullo ordinario sacerdote, excepto mortis periculo, sed nonnisi a Romano Pontifice, possent absolvi. e) Si nihilominus suorum verborum veritatem poenitens defendat, et si sanum iudicium confessarii casum juxta praedictam Constitutionem indicandum adesse agnoscat, tunc injungenda est ipsi obligatio, ut reum confessarium ad Episcopum deferat, vel deferri curet. Quodsi poenitens id renuat, absolutionem, sacramentalem tamdiu differre oportet, donec delinquentem indicaverit, vel saltem se, quam primum poterit, id facturum spondeat. Quid vero, si *poenitens* Episcopum adire vel ad eum literas mittere nequeat? Tum utique aliud non superest, quam ut tu poenitentis nomine tristissimum hoc negotium obeas. Instabis autem, ut poenitens totam rei seriem extra confessionem tibi exponat, (appromisso utique secreto naturali) tumque factum optimum erit, ut epistola verbis et nomine poenitentis adornetur. Quod ubi fieri nequit, curabis sal-

tem, ut poenitens ipse nomen sollicitantis singulari chartae bene clausae et obsignatae inscribat, quam deinde literis tuis insertam ad Ordinarium transmittes, quippe cum severe prohibeatur, ne confessarii in peccatorum complices inquirant. ¹⁾ f) Sollicitationes dubiae non sunt denunciandae, quia in dubio quivis praesumendus est bonus, et nemo privandus bona fama, qua fruitur, nisi crimen evictum sit. Interim casus dantur, in quibus sollicitatio non obstante dubio denuncianda est. Et hi casus sunt sequentes: 1) Si tantae rationes prostant, quae sollicitationem factam fuisse, probabiliter evincunt, nulla autem in contrarium appareat; hoc enim in casu jam obtinet certitudo moralis. 2) Si actio ipsa de sollicitatione facta testatur, et dubium tantum in eo versatur, an intentio fuerit mala; quia talis intentio ex communiter contingentibus praesumitur. 3) Si sollicitatio est vera, sed dubium versatur circa personam sollicitantem, quae tamen ab Episcopo facile detegi potest; nam ex una parte iudex procedere potest, quoties delictum est certum; ex altera vero parte innocens non exponitur periculo infamiae, si reus facile inveniri potest. Secus autem, si reus de facili detegi non posset. g) Gravi autem culpa respondet gravis poena. Nam ex Decreto Benedicti XIV, ddo 5. Aug. 1745 sollicitantes, praeter suspensionem ab executione Ordinis et privationem beneficiorum ac dignitatum (quae tamen poenae non incurruntur nisi post sententiam, cum privent jure acquisito) incurrunt etiam perpetuam inhabilitatem ad ipsam Missam celebrandam. Ad hanc tamen inhabilitatem incurrendam requiritur sententia criminis declaratoria. ²⁾

Verbum *sollicitare* aliquando sumitur pro: *pluries instare et requirere*; aliquando pro: *inquietare vel molestare*; verum quoad hanc bullam idem est ac *provocare* seu *allicere*, verbis aut alia ratione incitare ad turpia et inhonesta, quorum nomine per antonomasiam intelliguntur peccata carnis, seu res carnales ac venereae ³⁾.

Constat, decreta haec in nonnullis Episcopatibus non esse usu recepta. Hoc non obstante duo bene notanda sunt. Primum est, quod, etiamsi in tali casu ob defectum promulgationis non obliget lex Ecclesiastica, saepe tamen ad denunciandum obligare possit lex naturalis vel divina; dum videlicet persona sollicitata sine periculo gravis sui incommodi per denunciationem praecavere potest ruinam spiritualem sollicitantis aut aliarum personarum, quae ab hujusmodi scelesto seduci possunt. Secundum est, quod etiamsi ea lex Ecclesiastica recepta non sit, possit tamen recipi a quovis confessario in casu, quo receptio consentanea est legibus charitatis.

¹⁾ S. C. Offic. 21. Aug. 1745. — ²⁾ S. Liguor. Theol. mor. Libr. VI. tract. 4. nr. 705. — ³⁾ Cfr. Reiffenstuh. Theol. moral. Tom. II. p. 693. Ferraris: *Sollicitatio* p. 420. — Uberiorem explicationem praefatae Bullae exhibet liber, cui titulus: Theologia moralis universa R. P. Pauli Gabrielis Antoine S. J. presbyteri et s. Theologiae Doctoris Tom. III. Roma 1766. pag. 168. — Expositio juris pontificii. Auctore Ubaldo Giraldis. Romae 1830. Tom. II. p. 630. — Petri Scavini Theol. mor. Tom. III. p. 332. — Practische Anleitung zur christkath. Seelsorge von Dr. Franz Hayker. 3. Auflage. Wien, 1847. S. 351—388.

Casibus reservatis innexi.

§. 341. Quodsi poenitens de peccato, quod reservatum audit, sese accusat, a) confessarius eum doceat, illud ejus generis esse peccatum, cujus absolvendi gratia Superior, qui illud sibi reservavit, speciatim rogandus sit. b) Exinde arripiat ansam monendi poenitentem de peccati hujus gravitate ac turpitudine, quae vel ex ipsa reservationis lege manifesto constat, quum nonnisi atrociora crimina reservari soleant. Haec instructio inserviat tam contritioni elicienda, quam horrore excitando, quominus in posterum denuo committatur. c) Si confessarius facultate absolvendi a casibus reservatis pollet, juxta regulas communes de absolutione danda, aut non danda procedat. Sin minus declaret poenitenti, adeundum esse vel sacerdotem aliquem, qui facultate hac munitus existit, vel suam offerat operam, quatenus ipsemet petiturus sit pro eo Superiorem, ut sibi facultatem absolvendi concedat. Ne vero manifestationis suspicio poenitentem terreat, statim moneat, id nonnisi tecto ipsius nomine celatisque circumstantiis et adjunctis omnibus fieri, semoto omni vel minimo diffamationis periculo. Hinc remittat poenitentem ad illud tempus, quo facultas haec obtenta fuerit; poenitens vero interim animum ad criminis gravitatem advertens, poenitentiae operibus ad absolutionem consequendam se praeparet. Redux dein juxta mandatum Superioris, ad amussim executioni dandum, absolutionis beneficio donetur.

Censura irretiti.

§. 342. Censurae, utpote quae Ecclesiae auctoritate latae sunt, Ecclesiae absolutione cessant. A *censuris hominis* absolvendi jus residet penes eum, qui eas infixit, aut in ipsius jura successit. Si censura hominis lata sit per sententiam *generalem* nec expresse reservetur, a quovis confessario solvi potest. Quod etiam de suspensione valet. A *censuris juris* non reservatis absolvunt pro foro externo Episcopi ac ab eis delegati, nec non Praelati subditos, pro foro autem interno confessarii approbati poenitentes ad eos accedentes. Sic ab Excommunicatione minori (imo et majori, non reservata, nec notoria) ab Interdicto personali, non reservato, absolvit quilibet confessarius: a Suspensione autem, et Irregularitate ex delicto, solus Episcopus, vel summus Pontifex. Si quis a Censura absolutus fuit extra Sacramentum Poenitentiae, ab eo, qui illam tulit, aut cui eadem est reservata, poterit a quocunque confessario absolvi a peccato, ob quod Censuram incurrit. Quod attinet censuras Sedi Apostolicae reservatas, Episcopis a Concilio Tridentino jus concessum est subditos absolvendi ab occultis iis in foro conscientiae. Vide §. 48. Dum igitur censura Pontifici reservata occurrit, nostris in locis

consultissimum semper est, ut recurratur ad Ordinarium, qui deinde pro casuum diversitate vel ipsemet expetitam absolutionem elargietur, vel eam a summo Pontifice obtinendam curabit. Hinc si casus occultus fuerit, confessarius ipse illum necessariis cum circumstantiis, tecto tamen nomine delinquentis ad ordinarium, vel ad Vicarium ab eo in hunc finem specialiter deputatum deferat, atque facultatem petat, poenitentem injunctis injungendis pro hac vice absolvendi. Urgente mortis periculo, quivis sacerdos a quacunque censura absolvere potest; quando autem reservata sit, oportet, ut absolvendus jure jurando se obliget, fore, ut impedimento cessante Superiori se sistat. Quando sanitati restitutus id negligat, in eandem reincidit censuram, unde absolutio ista ad reincidentiam appellatur. Quando quis alias dispositus timeat, ne censuram incurrerit, neque res claram in lucem commode vindicari possit, absolutio ad cautelam adhibenda est. Pro foro interno secundum hodiernam Ecclesiae consuetudinem absolutioni a peccatis nunquam non praemittitur absolutionis a censuris formula generalis. Ista tamen ad cautelam absolutio in eas tantum censuras influxum exserere potest, quae *juris*, non *hominis* sunt, et quae peccator censurae ignorantia absque negligentia graviori obtinente incurrit ¹⁾.

Forma absolutionis sacramentalis in Excommunicatione: Pronuntiata forma absolutionis ordinaria usque ad verba: „In quantum possum, et tu indiges“ inclusive, manu adhuc elevata addat: „Speciatim vero eadem auctoritate, et (Smi. D. Papae N.) (Reverendiss. D. Episcopi N.) te absolvo a vinculo Excommunicationis, quam incurristi propter N. — Et te restituo Sacramentis, et communioni fidelium.“ Deinde, „ego te absolvo a peccatis etc. Passio Domini etc.“

In Suspensione et interdicto; Ut supra, et „Speciatim vero eadem auctoritate, et (Smi. D. Papae N. —) (Reverendiss. D. Episcopi N.) te absolvo a vinculo Suspensionis, quam incurristi propter N., et restituo te executioni Ordinum“ — vel „a vinculo Interdicti, quod incurristi propter N.“ — Deinde, „ego te etc. Passio Domini etc.“

Forma dispensandi in Irregularitate: Pronuntiata forma absolutionis a censuris et peccatis ordinaria usque ad verba: „Passio Domini“ exclusive, confessarius addat: „Insuper auctoritate mihi concessa a (Smo. D. Papa N. —) (Reverendiss. D. Episcopo N.) dispenso te in irregularitate, quam incurristi propter N. — (et habilem te reddo ad suscipiendos Ordines) (et restituo te execu-

¹⁾ Cfr. Honorat. Tournely Praelect. theolog. Cursus. Tom. IV. p. 350. Coloniae Agrippinae 1751. — Devoti instit. canonic. libr. 4. et Ponget Instit. cath. P. III. sect. 1. c. 5. §. 24. — Der Beichtvater, von dem heil. Alphons Maria Liguori. Aachen 1836, S. 274—288.

tioni ordinum et Officiorum tuorum). In nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus sancti †, Amen. Passio Domini etc. etc.

Voto ligati.

§. 343. Hic non de iis est sermo, qui vota solemnna emiserrunt, sed de illis tantum, qui vota simplicia voverunt, et qui in maximos animi angores coniectos se sentiunt, quod vel omnino exsecuti non sint, vel exsequi non valeant, quae ex illorum mente Deo vovisse ajunt. Qua in re confessarius rogatus, praeter conditiones ad valorem voti requisitas praecipue indagabit, utrum poenitens nonnisi firmum et vivum animi decretum, an vero reapse votum conceperit. Plerumque istud erui potest ex occasione vovendi, et ex indole ipsius actus, de quo quaeritur; tum etiam ex intentione et mente poenitentis, ex persuasione, quam tunc temporis habuit; interdum etiam ratio ipsorum verborum habenda est, quibus usus fuit. Si veri nominis votum intercessit, et actio promissa intervallo temporis physice vel moraliter impossibilis evasit, declaratio facilis est, quatenus obligatio cessat, in quantum et quamdiu talis impossibilitas existit. Verum difficilior res cadit, si nonnisi graves difficultates occurrunt, tunc *dispensatio* petenda est, si confessario pensatis rerum et personarum circumstantiis omnibus et singulis visum fuerit, melius fore, ut dispensatio vel commutatio in aliud opus pium fieret. Exceptis votis simplicibus, scilicet voto ingrediendi religiosum Ordinem, et voto integrae et perpetuae castitatis, et trium peregrinationum non solius devotionis causa, sed ad subsidium ferendum iis, qui inibi sunt Christianis, * Romano Pontifici reservatis, potestatem dispensandi circa vota Episcopi in sua quisque dioecesi habent qui eandem facultatem hinc inde etiam aliis delegare solent; pariter Ordinum religiosorum antistites in subditos suos aequalem potestatem exercent. Ex consuetudine et Episcoporum consensu confessariis circa vota *privata, simplicia*, potestas ea commutandi concessa esse videtur; tutius nihilominus erit, Superioris mentem desuper explorare. Nam circa vota confessariis de jure nihil potestatis convenit, sed solum officium doctoris, cujus est, vota quae juxta probatos Theologos ab initio vi obligandi caeruerint, aut eam postea certe amiserint, pro invalidis declarare, in

*His adde votum perseverantiae in Congregationibus Missionariorum S. Vincentii a Paulo emitti solitum, quod ex monito Benedicti XIV. in Bulla: „Quo magis“ sub die 18. Decembr. 1742. et „Convocatis“ sub die 25. Nov. 1749 solus dissolvere potest Romanus Pontifex, nec non et Superior generalis Congregationis in actu dimissionis e Congregatione. Idem adfirmat S. Alphonsus de Liguorio de voto perseverantiae in Congregatione SS. Redemptoris 1).

1) Prax. Confess. n. 26.

ceteris vero instare, ut religiose impléantur, nisi ex causis coram Deo justis eorum solutio vel commutatio apud illos, qui dispensare vel irritare possunt, quaerenda videretur. „Loquendo de *Commutatione* confessarium monitum esse volo, docet S. Liguorius, ne sit scrupulosus circa causam, quia quodlibet rationabile motivum pro causa haberi potest; sufficiens est, ut ex commutatione voti sit minus periculum transgressionis; nec circa materiam aequaliter subrogandam, etenim non requiritur aequalitas lance libranda, sed sufficit, ut sit aequalis moraliter. Interroget poenitentem, quae opera soleat exercere praeter debita ex praecepto, aut ad quae majorem habeat propensionem, et in ea commutet vota. Commutatio autem securior in omni votorum genere erit frequentia Sacramentorum. Advertat, vota perpetua bene posse commutari in temporalia, dummodo adsit debita proportio; et sic etiam realia possunt commutari in personalia, et contra personalia in realia. — Loquendo autem de *Dispensatione*, ad hanc requiritur causa gravior, nimirum periculum grande transgressionis, magna difficultas executionis, levitas aut imperfecta deliberatio, qua votum emissum est. Nihilominus semper laudabile erit, adjungere hujusmodi dispensationibus aliquam commutationem. Hae autem Dispensationes et Commutationes fieri possunt extra confessionem, modo facultas non sit concessa sub tali conditione, ut in Jubilaeo; sed consilii est, eas facere in confessione” ¹⁾. — Ceterum fidelibus inculcandum, ut nullum gravioris momenti votum faciant, nisi explorato prius consilio et consensu confessarii. Plerumque hujusmodi indeliberata vota concipiuntur vel in magno devotionis ardore, ubi mens humanis infirmitatibus sese superiorem autumat, vel ubi gravi quadam calamitate premitur, dum e. g. aliquis infirmatur, res etiam maxime arduas spondet, dummodo praesens malum declinare possit; ast ubi convaluit, actiones promissae perquam difficiles videntur, mensque frustraneo initae obligationis dolore fatigatur.

Pauca de voti irritatione: Voti irritatio est ejusdem rescissio facta ab eo, qui potestatem habet in voventem vel in ipsam materiam voti. Hoc jus in natura fundatum est ex Angelico Doctore. Sic a) Regularium Superior ea subditorum suorum vota potest facere irrita, quae circa *materiam ipsi subiectam* versantur. (S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 8. ad. 4.) b) Parentes et tutores vota filiorum impuberum irrita facere valent. (Ibid. 2. 2. q. 88. art. 9.) An valet pater et tutor rescindere vota filiorum, qui pubertatem sunt assecuti? Distinguendum, si votorum materia ad domesticum regimen spectet, ea rescindere possunt pater vel tutor, si vero solas ipsorum personas afficiunt, tunc nequeunt a patre vel tutore dissolvi. (Ibid. art. b. ad 2.) c) Maritus vota dissolvere potest, quae sine illius consensu ab uxore fuerunt emissa, si fuerint ejus generis, ut laederetur jus, quod habet, uxore sua, juxta matrimonii regulas, utendi; (I. Cor. VII. 4.) vel vota, quae in familiae suae damnum cederent, aut domesticam disciplinam interverterent.

1) S. Lig. Prax. Conf. n. 26.

De voto simplici Castitatis.

§. 344. Maxima cautio adhibenda est, ne siqui praesertim ju-
miores in confessionali pro emittendo voto integrae et perpetuae ca-
stitatis instant, facile id illis concedatur; sed attentata indole et pro-
bitate illorum permitti potest, ut ad tempus vel adjecta rationabili
conditione votum istud concipiant, ne fors animo postmodum muta-
te in summas molestias conciantur.

Votum simplex Castitatis Summo Pontifici est reservatum,
quando est votum Castitatis integrae et perpetuae; non vero votum
virginitatis, votum non nubendi, aut servandi castitatem ad tempus:
in his enim Episcopi jure ordinario dispensare possunt.

Praeterea ut votum Castitatis integrae et perpetuae sit Sum-
mo Pontifici reservatum, requiritur, ut sit ex natura sua perfectum,
hinc: 1) *Ut sit liberrimum*; nam si ex metu factum sit, v. g. in
periculo naufragii, Episcopus dispensare potest. 2) *Ut sit certum*
et non dubium quoad substantiam. Unde quotiescunque adest du-
bium de ejus valore, an adfuerint in ipso plena deliberatio, suffi-
ciens intentio, et alia ad voti et reservationis rationem necessario
requisita, tunc Pontifici reservatum non est. 3) *Ut sit omnino de-*
terminatum; non alternativum seu distinctivum, cujus altera pars
materiam reservatam non continet; v. g. si quis voveat vel castita-
tem perpetuam vel perpetuum jejunium; in ejusmodi votis Episce-
pus dispensare potest. Denique 4) *ut sit absolutum*; non vero con-
ditionatum, ut si quis voveat castitatem, si a morbo liberabitur. An
adimpleta conditione votum evadat reservatum? controvertunt Do-
ctores. Communior sententia negat, quia hujusmodi votum oritur
ex imperfecto consensu, utpote dependente a futuro eventu condi-
tionis.

Pro praxi sequentia notamus:

1) Cum quis *ante* contractum matrimonium perpetuam casti-
tatem perfecte vovit, tale votum est quidem jure ordinario Summo
Pontifici reservatum; ast etiam Episcopus in simili voto dispensare
potest ratione gravis et urgentis necessitatis et impossibilis recur-
sus ad Papam et cum periculum est in mora, puta dedecoris, scan-
dali aut alterius gravis mali: v. g. si puella deflorata prolesque na-
scenda infamanda sit; maxime si sponsus aut alius delinquens sit
morti jam proximus, et nisi gravidam ducat, nascenda sit proles il-
legitima, vel sint oriturae graves discordiae inter cognatos. Moneat autem confessarius confitentes conjugatos, quibuscum super
voto castitatis dispensatum fuit, ut matrimonium contrahere pos-
sent, — usum unicum legitimum praesentis matrimonii, data illis
dispensatione, concessum ac permissum fuisse adeo, ut soluto ma-

¹⁾ Ferraris Prompta Biblioth., Verbum: Debitum conjugale Art. II. n. 8.

trimonio ad castitatem teneantur, nec possint ad novas nuptias sine nova dispensatione convolare.

Forma dispensandi in voto simplici castitatis. Pronuntiata forma absolutionis ordinaria usque ad: „Passio Domini” inclusive, confessarius addat: „Insuper autoritate mihi concessa a Sanctissimo D. Patre N. dispenso tecum super voto simplici castitatis, quod emisisti, ut eo non obstante matrimonium contrahere (in matrimonio contracto remanere) et illo uti possis. In Nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Passio Domini etc.

Similiter, qui, dispensatione etiam obtenta, durante matrimonio cum alia fornicaretur, ultra peccatum adulterii, sacrilegium quoque committeret.

2) Si unus conjugatorum stante matrimonio vel inscio vel non consentiente altero conjugate, votum castitatis emittat, debitum conjugale exigere ipsi haud licebit, aut illud reddere petenti tenebitur. Et quia hoc votum ex natura sua imperfectum est, dispensabile quoque per episcopum, qui proprie restituit jus petendi debitum conjugale. E contra ubi votum perpetuae castitatis ab uno emittitur altero plene et expresse consentiente et juri suo petendi debitum conjugale renuntiante, vel ubi ambo plene ac libere votum castitatis perpetuae emittant, votum hoc perfectum Summo Pontifici reservatum intelligitur et non nisi in casu gravis et urgentis necessitatis ab Episcopo dispensari potest, quae dispensatio proprie est restitutio in jus petendi debitum conjugale ¹⁾.

3) A voto simplici castitatis distinguitur votum sacri Ordinis — votum ingrediendi ordinem religiosum — votum coelibatus seu votum non nubendi. Quodlibet ex praemissis votis impedit, quominus licite contrahatur matrimonium, quamvis valeat contractum; neque a gravi peccato excusantur sic contrahentes, cum violent in re gravi fidem Deo datam. Adstrictus voto religionis non violat votum praecise per contractum matrimonii initum, sed consummando prima vice matrimonium sive petendo sive reddendo debitum; consummato vero matrimonio usus ejusdem absque dispensatione licitus est; defuncta vero altera parte voto religionis satisfacere tenetur.

Idem valet de voto sacros ordines suscipiendi. Utrumque autem votum tum religionis tum sacri ordinis matrimonio consummato et absque alterius licentia emissum, irritum est, nisi pro tempore soluti matrimonii fuerit factum.

Votum non nubendi seu non ineundi matrimonium violatur per ipsum matrimonii contractum; eo tamen consummato tum petere

¹⁾ Ferraris, Prompta Bibliotheca. V. Votum. Art. III. N. 92. et in Verb.: Debitum conjugale, Art. II. N. 3.

tum reddere debitum, absque dispensatione licet; mortuo tamen altero conjuge aliae nuptiae prohibentur voto.

Casus practici.

§. 345. 1. Anastasia sexdecim annos nata concioni ad professionem religiosam habitae interfuit, et mox promisit perpetuam continentiam, absque ulla tamen determinatione aut reflexione, an se obligare velit sub ratione voti vel non; cum de natura et obligatione voti vix ullam haberet notitiam, licet perbene sciret, ad quid se obligaverit. Elapsis aliquot annis, cum promissionem suam simplicis instar propositi haberet, oblatas sibi acceptat nuptias, haud rata, voto se ligari, quod tamen aliis visum est, moventibus ipsi desuper scrupulum. Quid sentiendum, et anxiae conscientiae consulendum? R. Eo ipso, quod obligatio voti fundetur in voluntate propria, ita ut vovens sit ipsum primum obligans, nemo est ligandus voto, quamdiu dubitat de emissionem, vel intentionem voti. Quare cum *intentio* Anastasiae se non extenderit ad obligationem voti, ad hoc non obligatur ex defectu intentionis etiam implicitae se voti vinculo obstringendi. Et quum merito dubitetur, an ipsa habuerit sufficientem deliberationem, cum talem promissionem emisit, ideo etiam ob defectum prudentis iudicii eam ab obligatione promissi liberam declarare licet; nihilominus tamen ipsi salutare aliquod exercitium pro cautione injungi poterit.

2. Claudia novitia tertii Ordinis S. Francisci non dubitans, se admissum iri ad professionem, secreto ac privatim emisit tria vota hujus Ordinis. Cum autem praeter expectationem dimitteretur ex novitiatu, postea professa est in conventu Ursularum. An soluta est a tribus votis prioris Ordinis? Et num idem dicendum, si maneret in seculo? R. Dum Claudia professionem emisit in conventu Ursularum, penitus soluta est a votis prius emissis. Si in seculo remaneret, non teneretur ad votum paupertatis et obedientiae, utpote utrumque devolutum ad circumstantias observantiae moraliter impossibilis. Votum autem castitatis fundatum in errore, ac proin dubii valoris, et conditioni illigatum, esset dispensabile vel commutabile ab Episcopo.

3. Obligantne vota ante solemnem professionem emissa? R. Per vota solemnia extinguuntur vota prius emissa, quae praejudicant statui religioso; non item, quae non praejudicant. In dubio, an praejudicent, servanda est declaratio Superioris.

4. Dorothea uxor Gilberti periculose decumbens in scio marito fecit votum instituendi peregrinationem sacram ad Marianas Cellas, singulis diebus per annum recitandi quinquies *Pater* et *Ave*, et diebus Mercurii et Sabathi jejunandi per annum, si pristinam valetudinem esset recuperatura. Maritus autem impletionem horum voto-

rum non admittit. An hoc non obstante Dorothea tenetur exsequi vota sua? An maritus tuta conscientia potest se opponere? R. Ejusmodi vota conjugum circa objecta ipsam mutuam conjugum relationem attinentia juxta D. Thomam ¹⁾ consideranda sunt tanquam conditionata; et quam primum maritus eorum executionem prohibet, nulla sunt; nec peccat maritus irritans vota uxoris, cum justa ipsi causa suppetit ea irritandi quod circa votum peregrinandi contingere potest. Idem dicendum de voto jejunandi; si praejudicet juribus conjugalibus mariti. Quod attinet votum recitandi quotidie quinque *Pater et Ave*, id uxor implere tenetur, cum plenam ad hoc potestatem habeat, independentem a marito, qui etiam rationabiliter dissentire non potest. Ceterum quoad duo priora vota, petenda est commutatio eorum a confessario.

5. Baldericus et Columba vivunt pientissime in conjugio, ita ut Baldericus ex solo motivo majoris perfectionis usu matrimonii proptaret omnino abstinere. Potestne inscia uxore ad id se voto obstringere? R. Votum hoc absque uxoris consensu non valet; quia voveri non potest, quod non pendet ex voventis arbitrio; non est autem in arbitrio conjugis denegare debitum conjugale petenti conjugi.

6. Nemo grave crimen commisit, et ex metu incurrendae poenae emittit votum, si evadat poenam. Tenetur hoc votum adimplere? R. Cum hoc votum sit conditionatum, non impleta conditione ad nihil tenetur; aliter dicendum, si vovisset causaliter hoc modo: *ut evadat*.

7. Quidam emisit votum animo violentis tentationibus perturbato. Valetne? R. Non valet, quia taliter voventi et cognitio et libertas deest sufficiens ad contrahendam veram obligationem. In dubio, an vovens habuerit sufficientem deliberationem, aut num votum sit de meliori honore, vel acceptatum a Deo, facienda est commutatio voti a confessario. Ad contrahendam obligationem ex voto juxta communem sententiam sufficit ea deliberatio, quae in re illicita sufficeret ad peccatum mortale.

¹⁾ 2. 2. q. 88. a. 8.

De Confessione generali.

Necessitas et utilitas confessionis generalis.

§. 346. Confessio generalis, ejus usum jam antiquissima testimonia comprobatum reddunt ¹⁾, id importat, ut poenitens statum moralem, qui praecedentibus confessionibus detectus vel detegendus fuerat, rursus confessario explicet. Ea vel totam poenitentis anteactam vitam, vel longiorem partem vitae proxime anteactas complectitur. Haec confessio aliis necessaria et praecipienda, aliis utilis et suadenda, quibusdam vero nociva et vitanda est.

I. Necessaria est, quoties invalidae praecesserunt confessiones, quod ex parte poenitentium tunc locum habet, si hucusque quidquam illorum, quae ad valorem Sacramenti requiruntur, omiserunt; v. g. a) Qui ex malesana verecundia grave aliquod reticuerant peccatum, quod tamen necessario exponendum erat, uti mos est eorum, qui supprimunt silentio quasdam turpitudines in puerili aetate peractas, tametsi recordentur, se ab eo tempore, quo peccarunt, ex pudore remorsum sensisse, nec operatos fuisse male, nisi in occulto, quod timerent ab aliis conspici; argumentum hoc non leve est, veram tunc fuisse malitiam. b) Qui necessario destituebantur dolore et proposito non amplius peccandi, deserendi occasiones proximas, restituendi famam, fortunas, condonandi offensas, aut aliud grave officium exsequendi, aut, quando ea confessi fuerint et promiserint se executuros, verbis non animo promiserunt. c) Qui rescierunt confessarium jurisdictione caruisse, vel peccata ab ipsis exposita non intellexisse. (Hi ultimi nonnisi ad ea, circa quae erratum fuit, peccata repetenda una cum subsequis confessionibus, non item ad confessionem praecedentium tenentur). In his casibus tanta est necessitas faciendi confessionem generalem ad restaurandum valorem particularium, quanta foret obligatio, si nulla unquam praecessisset alia.

II. Sed missa hac necessitate optimum et saluberrimum est consilium, universam vitam suam relegere, atque lustrare, saltem semel per confessionem generalem, utpote quum haec plerumque vel vitae melioris initium constituat, vel ad ultiores in virtute progressus efficacissimum subsidium praebet. Fructus enim hujus operis sunt insignes. a) Reparat defectus et omissiones, si quae in confessionibus ordinariis acciderunt. b) Ad conspectum tot defectuum et peccatorum, in unam confessionem quasi in cumulum collectorum, humiliamur profundius, gemimus amarius, proponimus firmiter, absolvimur securius. c) Magis meliusque pervidemus et

¹⁾ Socrat. hist. eccl. libr. 5. c. 19. — Vit. S. Arid. ap. Greg. Tur. in anal. Mabill.

nosmetipsos et causas ac fontes peccatorum nostrorum, magis quoque et melius perspicimus praedominantem passionem, et efficaciora ad eam impugnandam et perdonandam arripimus media. d) Pariter confessarius de statu nostrae animae uberiores certioresque capit notitiam, nosque securius et aptius dirigere potest in via salutis. e) Amplius meliusque videmus et sentimus magnam Dei bonitatem erga nos, multitudinem et varietatem gratiarum, quas hucusque accepimus, inde plus amoris in Deum, plus grati animi sensus, plus in servitio fervoris non potest non resultare. f) Dein quis non videt, absque tali confessione difficulter obtineri conscientiae tranquillitatem — felicitatem sane inestimabilem relicto alioquin perpetuo remorsu ac dubio, nec sine fundamento, praesertim si crebri relapsus ex defectu debitae ad confessionem dispositionis provenerunt? — g) Postremo quid salubrius ad instituendam novam vivendi rationem? v. g. dum quis statum religiosum vel conjugalem aggreditur, quae securior industria intrepide operandi mortis adventum? Verum a nemine fructus isti percipiuntur, nisi qui rei ipsemet capit experimentum; unde exurgit apud eos consolatio, qui praedicto studio fuerunt confessi. Hac etiam peracta quiete licet vivere, absque cura vel minimum quid repetendi. Ceterum semel facta totius vitae generali confessione, propriae salutis amatoribus suadendum est, ut quotannis, data majoris devotionis occasione, culparum per annum commissarum confessionem deponant ¹⁾.

Poenitens deponens confessionem generalem, in eaque confitens quaedam peccata reservata, de quibus in privatis confessionibus jam fuit absolutus, potest a quolibet confessario approbato absolvi.

III. Duobus vero potissimum hominum generibus confessiones generales permittendae non sunt, utpote nocivae. Primum est vere scrupulorum, quibus ejusmodi confessiones adeo non medentur, ut potius sint tormentum periculosumque praecipitium. Horum enim morbus illis oculorum defluxionibus comparari potest, quae quo saepius fricantur, eo acerbius recrudescent. Cum enim eorum scrupuli non ex ratione, sed ex phantasia incompressa atque ex variis apprehensionibus oriantur, aliter ad tranquillitatem reduci nequeunt, nisi sacerdotali auctoritate iis imperetur, ut directoris spiritualis iudicio firmiter acquiescant, secus agendo non devotionem, sed pertinaciam ostensuri.

Alterum eorum, qui turpem et foedam inter libidines vitam traxere, nam his quoque recordatio et commemoratio vitae praeteritae valde periculosa est; timendum quippe, ne sub specie pietatis et devotionis daemon eos in veteres impudicitiae laqueos involvat,

¹⁾ Cfr. Instr. past. Episc. Irens. an. 1768. Statut. 110 et 111. Tom. X. p. 613. Philoth. P. V. c. I.

ita ut communiter satius sit, ut peracta semel seria harum rerum confessione non amplius meminerint, neque loquantur de iis, nisi generatim et cum horrore et detestatione, ut a movendis sordibus absterneatur ¹⁾).

Modus agendi confessarii in confessionibus generalibus excipiendis.

§. 347. Si poenitens confessionem generalem deponere in animo et desiderio habet, confessarius indagabit a) causam, ob quam ad eam deponendam inducatur, sive utrum ea necessaria videatur, an vero tantum ex devotione illam facturus sit, vel jam una alterave vice generaliter confessus fuerit. Si citra necessitatem et ex devotione tantum se sistit, tanta severitas haud requiritur. Pari modo eum; qui aliquando legitimam confessionem jam deposuit, ex hoc tantum tempore audire sufficit.

b) Dispiciendum est, num jamjam dispositus sit, nec ne; nam si praeparatus non existat, ubi temporis personarumque circumstantiae aliquam moram concedunt, non expedit extemplo, sed tum demum admittere, postquam poenitens aliquamdiu piis exercitiis praeparatus et dispositus fuerit. Praesertim homines gravioribus hucusque vitiis obnoxii plerumque per aliquod tempus praevie disponi debent, non tantum ut conscientiam rite discutiant, sed ut ad sincerum animi dolorem firmumque vitae mellioris propositum excitentur. Hunc in finem praeclare S. Francisci Salesii meditationes faciunt ²⁾). Insuper poenitentibus suadendae sunt preces ad petendum lumen Spiritus sancti, ad impetrandam gratiam defectus et peccata agnoscendi et perfectae contritionis actum eliciendi ac in futurum se emendandi. Ejusmodi preces, quales in libris peccatorum occurrunt, esse possunt Litaniae Omnium Sanctorum, beatæ Virginis Mariae, Psalmi poenitentiales „Miserere mei,” et „De profundis,” orationes et Litaniae de Spiritu sancto. Jejunium quoque et eleemosyna utiliter adhiberi possunt. — Quod attinet conscientiae examen a poeniteute instituendum, neque in omnibus eadem exactitudo requiritur, merae infirmitates et peccata nonnisi venialia praeteriri *possunt*, utpote quibus scrutandis conscientia perplexa redderetur. Insuper non expedit, ut poenitens in peccata, quae contra castitatem commisit, adeo singillatim inquiret, sed sufficit, ut

¹⁾ Sturmlerner Friedr. Ist die Generalbeicht bei dem heutigen Sittenverderbniss so nothwendig und nützlich? Augsburg 1809. Spiegel der Busse, oder kurze Anleitung zur Generalbeichte. Von Aloys Schlör, Doctor der Theologie und Weltpriester. Wien 1839. Von demselben: Der christliche Büsser. Gratz 1844. — ²⁾ Philoth. P. 1. c. 19. et seq.

illa quoad substantiam et adjuncta necessaria confiteatur, quin omnes obscenitates, quae absque ulteriori declaratione satis intelliguntur, minutim explicet.

Attamen saepe contingit, ut confessio generalis necessaria vel certe perutilis poenitenti videatur, ubi tamen poenitens alio tempore redire nequit, aut saltem timendum est, ne poenitens praeparationis gratia dimissus non redeat, — quemadmodum fera semel a venatore vulnerata neque strata semper est fugacior, — tunc aliud non restat, quam ut confessarius ipse illum pro viribus disponat.

Dum vero confessarius ad audiendam confessionem generalem pro sacro tribunali sedet: *α*) poenitentem taliter excipiat, prout semetipsum excipi vellet. Etiam si fors rudis et agrestis sit, vel intempestive veniat, caveat tamen, ne ullam oris frontisque duritiam, aut aliquod indicium fastidientis animi illi ostendat. Potius tum verbis tum vultu serenitate atque amica compassione illum ad fiduciam et omnimodam sinceritatem hortetur, sua obsequia offerat eumque proposita spe solatii summi, quod inde percepturus sit, ad ordinandum tantum negotium alacrem reddat.

β) Antequam poenitens anteactam vitam exponat, de iis se accusare jubeatur, quae ab ultima confessione commisit, ut nimirum sciatur, utrum poenitens ex praesenti sua dispositione absolutione sit dignus, an v. g. adhuc sit consuetudinarius, vel in occasione proxima existat, quo in casu confessio generalis differenda foret; et ne peccata in aliis confessionibus exposita cum recens commissis confundantur.

γ) Dein poenitens doceatur, omnia peccata quoad speciem, numerum et circumstantias declarare, totumque statum moralem exponere. Suaviter inprimis induendus est, ut praepremis de illis se accuset, quibus maxime angitur, vel quorum accusatio prae reliquis molesta accidit. Etenim his expositis cor poenitentis multum relevari, et reliqua confessio facilius reddi solet.

δ) Ultima quaestio erit, num nihil ipsi occurrat, quo ejus conscientia adhuc gravetur. Quod si nihil superesse videatur, hortari oportet, ne in vitam praeteritam curiosius indagare pergat, si vero ultro peccati gravis, quod oblitus est, recordetur, postmodum id simpliciter in proxima confessione exponat, addendo, se de illo in confessione generali non cogitasse.

Continuatio.

§. 348. Non minor sollicitudo adhibeatur, ut cor poenitentis pro diversis ejus indigentis ad veram *contritionem*, humilitatem, ad spem et fiduciam in Deum, et ad filialem grati animi sensum atque optatam tranquillitatem componatur. Hunc in finem jam in ipsa confessione per breves interjectiones poenitentem nunc ad peccato-

rum gravitatem, simul vero ad divinam misericordiam attentum reddere, nunc ad sinceritatem et fiduciam hortari, nunc officia sua docere, nunc solari potest, absit vero, ut, dum peccata valde atrociam confiteatur, illum vel durius increpes, vel horrorem et fastidium ostendas.

Postea sedulo curandum est, ut animus poenitentis non solum pie conteratur, verum etiam firmissima emendationis decreta accipiat; quapropter eum instruere oportet, qua ratione tum Deo tum hominibus, quos forte laeserat, satisfacere, quamque vivendi rationem tenere, seu quae declinare pericula, quae subsidia adhibere debeat, ne conscientiam nunc expurgata novis sordibus contaminetur.

Adhortatio post confessionem generalem eo magis subjungenda est, cum nunquam fere melius animus poenitentis dispositus sit ad confessarii adhortationem accipiendam, quam hoc tempore, quo animus per dolorem de peccatis amoremque ob beneficium remissionis conceptum emollitus, omnem facile figuram, quam confessarius imprimere voluerit, recipiat. Maxime vero conducet, unum alterumve ex explicatis vitium seligere, atque ad illud debellandum tam exhortari efficaciter, tum aptis remediis armisque poenitentem instruere.

Satisfactionis opera per aliquot dies vel hebdomades, si expedire visum fuerit, injungi poterunt. Juvabit quoque poenitentem monere, ut impositam poenitentiam non tantum cum magna humilitate animique aequitate accipiat, sed et cum pari promptitudine, fervore et devotione impleat. Quibus finitis Deo gratiae agenda forent pro dono conversionis, dicto hymno: „Te Deum laudamus,” vel alia oratione, vel Psalmo convenienti.

Ubi confessio dicto modo peracta fuerit, omnis de facta remissione sollicitudo cum magna in divinam benignitatem fiducia deponatur, et poenitens exemplum S. Pauli sequens, omnium, quae retro sunt, peccatorum in confessione explicatorum oblitus, ad anteriora i. e. novae vitae instituendae studium se convertat, et de praeteritis nihil nisi dolorem, pudorem et fervorem retineat. Quae omnia ut tanto accuratius et promptius observentur a poenitente, proderit saluberrimam adhortationem S. Francisci Salesii ipsi proponere: „Hoc unum hic te rogo, ne ullo inani timore turberis aut anxieris. Scorpio, qui nos ferit, dum ferit, venenatus est, at in oleum liquatus praestans est adversum proprium morsum et aculeum antidotum ac remedium. Peccatum non aliter probrosum et infame est, nisi dum admittitur, at in confessionem et poenitentiam jam conversum honorabile et salutare est. Contritio quippe et confessio tam sunt salubres tamque bene redolentes, ut peccati turpitudinem eradant, et illius foetorem tollant. Simon leprosus Mariam Magdalenam dicebat esse peccatricem, at non sic Salvator, nec jam de commissis peccatis, sed tantum de unguento, quod effudit, deque magnitudine

charitatis ejus loquitur. Si vere humiles simus, infinite peccatum nobis displicebit, quod Deus per ipsum offendatur, at ejusdem accusatio suavis nobis erit et jucunda, quod per ipsam Deus honoretur. Alleviamentum aliquod in morbo est, malum, quo premeris, medico minutim delegere et aperire. Cum ergo ante Patrem tuum spiritua-lem veneris, in monte Calvariae agere et sub Jesu Christi crucifixi pedibus consistere fingito, cujus pretiosus sanguis undique effluit et exuberat, ut te ab iniquitatibus tuis emundet ac lavet. Nam tametsi ipsissimus Salvatoris Jesu sanguis non sit; est tamen sanguinis ejus effusi meritum, qui poenitentes circa confessionalia abundan- tissime irrigat, lavat et respergit. Bene igitur ac sincere cor tuum adaperi, ut sic peccata per confessionem eodem egredi facias: nam quantum illic agrediuntur, tantum pretiosum passionis divinae meri- tum illuc subingredietur, quo benedictione id repleat. Verum sim- pliciter, candide et sincere animi tui statum declara et detege, et ubi semel rite confessionem peregeris, conscientiam tuam *quieta et tranquilla*. Hoc facto attende sedulo ad monita et praescripta servi et vicarii Dei, et dic in corde tuo: „Loquere Domine, quoniam audit servus tuus.” Et sane Deum in eo loquentem audis et auscul- tas, cum Ipse vicariis suis dicat: „Qui vos audit, me audit” ¹⁾.

Agenda administrato Poenitentiae Sacramento.

§. 349. Expositis jam principiis in administratione Sacramenti Poenitentiae servandis, exiguum nunc restat, ut dicamus, quid ad- ministrato Sacramento finitaque confessione confessarius agere debeat.

Post confessiones poenitentium auditas confessarius aliquan- tisper ad orandum se componat, ac primo Deo gratias agat pro dono sibi collato, quo videlicet pro ejus amore laboris tantillum subire potuerit, sine cujus auxilio nil potuisset. Deinde divinae suae Majestati exiguum illud verbi sui semen commendat, quod in ani- mas sibi confessorum jactavit, oretque suam omnipotentiam, ut in- crementum det, cum illud sola Majestas ipsius possit, ne labor suus sit irritus. Neque tantum hac vice, sed in posterum quoque, prae- sertim vero eodem die, sacerdos habeat in oratione commendatos suos poenitentes, eos potissimum, quos magis egerere noverit. Eorum vulnera Deo proponat obsecretque, ut illa ipse omnipotens medicus et misericors Samaritanus curare dignetur, gratiamque largiri, ne in ejusmodi miseriam denuo relabantur. Haec summa sit orationis illius, ad cujus intentionem scopumque ejusmodi verba proferet,

¹⁾ Philoth. P. I. c. 19.

qualia sibi affectus desideriumque suggerent. Hac igitur ratione, si oratione ordiatur et concludat, omnia ad gloriam Dei aget, ut agendum jubet Apostolus, ac sperare poterit laborem suum divinae Majestati acceptum, proximoque fructuosum et salutarem fore ¹⁾. —

Reflectat seque examinet, num quid omiserit vel neglexerit ad munus suum pertinens. Quid si errasse se deprehendat, doleat, proponatque, prout necessarium videbitur, seriam emendationem ^{*}); si nihil occurrat, divinae bonitati gratias agat.

^{*} „Qua ratione tenetur confessarius defectus in Poenitentiae Sacramento a se admissos reparare? In hac quaestione triplex est casus distinguendus. Utrum nimirum defectus contigerit in re essentiali, ita ut absolutio non valuerit? — An vero in re gravi quidem, sed non essentiali, qui proinde defectus absolutionem non facit irritam? — Num demum in materia restitutionis faciendae? In omnibus tribus casibus, utrum defectus factus sit ex culpa, vel sine culpa confessarii. Dicimus jam, si defectus contigit in re essentiali, cum culpa confessarii, tenetur (petita prius a poenitente licentia, saltem extra tribunal Poenitentiae de hac re loquendi) eundem defectum corrigere etiam cum gravi sui incommodo. Si vero contingit defectus in re essentiali sine culpa confessarii, non tenetur juxta plures hunc defectum reparare cum gravi sua incommoditate, excepto solum mortis periculo. In hoc enim cum gravi etiam sua incommoditate hunc defectum teneretur submovere. Si defectus factus est in materia gravi, ast non essentiali, cum culpa confessarii, non tenetur quidem confessarius eum reparare cum gravi sui incommodo; tenetur tamen coram Deo de hac negligentia poenitere. Minus adhuc ad hoc astringitur cum gravi sui incommodo, quando sine sua culpa hic defectus contigit²⁾. In determinanda obligatione confessarii, qui errorem admisit, illud quoque probe considerandum est, utrum mere negative se habuerit, v. g. non monendo etc. etc.; an ut causa positiva in damnum poenitentis vel tertii influxerit. Quoad defectus confessarii in materia restitutionis faciendae admissos, vide supra de Restitutione.

Conetur oblivisci omnium auditorum in confessione et surda aure recurrentes species molesteque allatrantes pertransilire. Et secreti tenacissimus, ut, neque in genere quidem de auditis in confessione unquam loquatur, nisi cum summa circumspectione, erga omnes poenitentes lenem et facilem se exhibeat, sic ut affectus cum nomine consentiat, cum ejus, quem confitentem audierit, *spiritualis pater* nominetur.

Epilogus ad Lectores, Sacerdotes et Confessarios juniores.

§. 350. Ego vero ad vos conversus quibus librum hunc proxime scripsi, Sacerdotes, illud primum rogo et obsecro; nolite credere, informationem vestram pro hoc ut gravissimo ita et saluberrimo sacro Ministerio jam esse absolutam; nolite inquam studium dimitte-

¹⁾ I. Cor. X. 31. — ²⁾ Cfr. Tobenz: Instit. theolog. moralis Part. III. p. 119. — Petri Scavini Theol. mor. Tom. III. p. 329.

re, quo animas pretiosissimo Sanguine Christi redemptas dirigatis in viam salutis aeternae. Plura sane continentur libello isthoc, quae si relegeritis, adminiculo erunt scientiae in hunc usum comparandae. Praeter continuatum Theol. dogm. et moralis nec non SS. Canonum et Decretorum Ecclesiae studium legite atque relegite SS. Scripturam, quam sacerdotes Ecclesia in ipsa Ordinatione die ac nocte meditari jubet, sicut Apostolus jussit Timotheum et cujus in officio divino et reliqua Liturgia eis haud modicam partem ruminandam quotidie offert. Legistis plura quoque ascetica huc illuc inserta, tum poenitentium tum vestri ipsorum sanctificationi excitandae, alendae ac inflammandae utilia. Nolite ea parvi faciendo praetermittere. Falleris fili, falleris, si te putas invenire apud mundi magistros scientiam, quam soli discipuli Christi, id est mundi contemptores, Dei munere assequuntur; non enim hanc lectio docet sed unctio; non litera sed Spiritus; non eruditio sed exercitatio in mandatis Dei.

Mementote, orationem esse debere, dulcissimam atque ordinariam omnium quidem, sed praesertim Sacerdotis et Confessarii occupationem, utpote qui vi muneris sui Deo repraesentare tenetur necessitates, miseriasque non solum suas, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate ¹⁾, sed populi etiam infirmitates, cum vices illius agat, de quo scriptum est: Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit²⁾. Ut autem Deum tot hominum peccatis offensum placare valeatis, perspicuum est, quod non solum orare Deum, verum et ipsi placere debeatis; nam ut ait S. Bernardus: „Si non places, non placas; si non placas, cur Sacerdos?“

Cum ecclesiasticis, qui Christo et Ecclesiae sincera dilectione ac obedientia cohaerent, si corpore non licet cohabitare, saltem frequenter convenite, conferte et Spiritu semper coniungimini. Spiritu sanctis sacerdotibus is quoque coniungitur, qui Sanctorum exempla legit et praesentia habet; in quibus juvat unum prae aliis ceu praecipuum ducem sibi eligere puta S. Franciscum de Sales aut Vincentium a Paula.

In casibus rebusque incertis cum viris vere doctis et prudentibus, quia vero piis et obedientibus, assidui estote. Qui id dignatur, is pastoralis prudentiae ne Alpha quidem didicit, cum omnis prudentiae actus primus consultatio sit.

In omnibus vero et super omnia in dilectione Christi manete, unde omnis vestra salus et virtus s. ministerii ortum habet; in dilectione Christi, dilectissimi, ne coronam amittatis, in finem usque perseverate. Quae quia quolibet peccato et omni mundana affectione labefactatur, ordinate secundum Deum vestra negotia, et eis, quae ad

¹⁾ Hebr. v. 2. — ²⁾ Isaias c. 53. v. 4.

Spiritum fovendum faciunt, certissimum tempus quotidie adsignate. Maculas contractas, nisi gravissima causa impedierit, singulis saltem mensibus aqua secundi Baptismatis abluite, et post haec nullus certe annus praeterfluat, quin ad aliquot dies in secretiorem solitudinem recedatis.

Adeo homini necessarium est pulveres indies adhaerentes aliquando diligentius expurgare, affectuum ordinem redintegrare, spiritus fervorem resuscitare. Quod sanctissimi lique summis et innumeris negotiis occupati viri sibi certissime quotannis agendum iudicarunt, nolite quaeso, ceu superfluum vobis contemnere aut inani occupationum praetextu negligere. Ita vero in solitudinem introite, quasi illa ipsa sit, per quam ceu efficacissimum medicamentum divina Sapientia homines in morte purgare et sanctificare pro aeternitate consuevit et sic in ea renovamini et inflammamini, ut quidquid vitae superfuert, vobis et vestris ad perfectiorem sanctificationem abundet; cum autem venerit ille, quem sincere et constanter dilexistis, Princeps Pastorum, confidentes et laeti Ei occurrere ab eoque inter Beatorum choros recepti mereamini cantare Canticum Aeternitatis: „Alleluja: quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus et exultemus et demus gloriam Ei: Sedenti in throno et Agno benedictio et honor et gloria et potestas in saecula saeculorum. Amen.”

Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi repleat nos omnes Spiritu ac lumine suo! Det nobis gratiam suam et pacem! Una omnium sit lingua ad Eum honorificandum, sicut omnium debet esse cor unum ad Eum amandum.

Appendix I.

De Matrimonio.*

§. 1. **M**atrimonium est conjunctio maris et foeminae ad propagationem humani generis et mutuam adiutorium Dei voluntate ordinata: quod cum in ipsis ejus primordiis indissolubile esset institutum et eam accepisset legem, ut conjuges duo essent in carne una, a Christo Domino ad pristinam dignitatem reductum et in sacramentum novae legis evectum est.

Foederis conjugalis naturae et sanctificati

§. 2. **S**ponsalia sunt conventio, qua mas et foemina sibi matrimonii inter eos ineundi fidem dant.

Sponsalia.

§. 3. **S**ponsalia valide iniri nequeunt, nisi per voluntatis declarationem libere ac debita cum deliberatione factam ab iis, qui matrimonium inter se valide ac licite contrahere possunt. Impuberum nomine inita impuberes ad matrimonium contrahendum haud obligant, nisi, postquam ad pubertatem pervenerint, rata eadem habuerint.

Validitatis eorum conditiones.

§. 4. **S**ponsalia, licet jurejurando firmata sint, mutuo tamen consensu dissolvi possunt.

Mutuo consensu solvi possunt.

§. 5. **S**ub paterna potestate constitutorum sponsalia solvenda sunt, quoties parentes juste contradicant.

Quatenus abque mutuo consensu solvantur.

§. 6. **Q**uando una pars fidem sponso debitam violaverit, altera promissis stare non amplius tenetur. Quodsi post sponsalia inita talis intercedat mutatio, ut merito supponatur, hoc obtinente rerum statu haud eventurum fuisse, ut ad sponsalitia pacta procederetur, horum obligatio pro ea cessat parte, in qua ejusmodi mutatio haud contigit. Casu, quo talia rerum adjuncta jam sponsalium initorum tempore locum habuere, parti, cui ignota tunc fuerunt, jus competit a sponsalibus resiliendi.

*Desumpta haec sunt ex Instructione pro judiciis ecclesiasticis Imperii Austriaci quoad causas matrimoniales; et constituunt hujus Instructionis Titulum primum.

§. 7. Sponsi obligatione, quam sibi imposuerunt, non impediuntur, quin religionem ingrediantur aut Deo in statu clericali militent. Professione religiosa aut ordinis sacri susceptione sponsalia dissolvuntur.

§. 8. Matrimonio, quod una pars cum tertia quadam persona contrahit, sponsalia quidem dissolvuntur, salyū tamen permanet jus, quod alteri parti quoad damnum resarciendum pro re nata competit.

Ad damnum resarciendum obligatio.

§. 9. A sponsalibus absque legitima causa resiliens, nec non qui legitimam resiliendi causam vel celaverit, vel sua culpa adduxerit, tenetur ad resarciendum alteri pro personarum et rerum adjunctis damnum, quod resiliendo ipsi inferitur.

§. 10. Obligatio standi promissis per contractum sponsalium datis tunc quoque cessat, quando omnibus perpensis circumstantiis supponendum merito sit, matrimonium a sponsis contrahendum infustum fore. Quodsi autem circumstantiae, quibus suppositio ista innititur, culpa unius partis exortae sint, haec alteri damnum, quod ipsi frustratis justis ejus expectationibus illatum est, pro viribus resarcire tenetur.

Ad matrimonium valide contrahendum necessaria.

§. 11. Causa efficiens matrimonii est consensus mutuus, in quantum a personis ad contrahendum habilibus respective forma praescripta declaratur.

§. 12. Ad conjunctionem, quae vere matrimonium sit, ineundum inhabiles sunt omnes et ii tantum, quos lex divina et ecclesiastica inhabiles pronuntiat.

Impedimenta dirimentia:

1) Defectus aptitudinis ad consentiendum
2) Error in persona.

§. 13. Amentes, furiosi, infantes, et quicumque impares sunt, talem, qualem rei natura exigit, consensum praestando, matrimonium contrahere nequeunt.

§. 14. Ne consensus detur et matrimonium contrahatur, impedit error, qui versatur circa personam futuri conjugis, aut qui in personam redundat. In personam redundat error in ea tantum qualitate, qua sola futuri conjugis persona determinatur.

3) Error circa conditionem servilem.

§. 15. Quodsi contingeret, ut liber contrahat cum servo vel serva, quos liberos putet, irritum foret matrimonium.

4) Impotentia ad debitum conjugale praestandum.

§. 16. Impotentia debitum conjugale praestandi matrimonium antecedens et insanabilis, ne matrimonium valide contrahatur, impedit.

) Impubertas.

§. 17. Quum pueri, qui decimum quartum; et puellae, quae duodecimum aetatis annum nondum absolverint, de regula neque physice ad matrimonium apti, neque ii sint, qui matrimonii contrahendi vim, prout decet, intelligant, de jure ad matrimonium inhabiles censentur. Quodsi autem unquam eveniret, ut hac aetate minores et physica et morali ad matrimonium aptitudine pollerent, nihilominus, nisi desuper ab Episcopo dioecesano vel ab ipsa Apostolica Sede sententiam declaratoriam obtinuerint, matrimonio jungi non possent.

§. 18. Consensus, ad quem exprimendum quis a quocunque ^{6) Vis et} per malum magnum et inevitabile injuste ipsi vel illatum vel intentatum compellitur, ad matrimonii vinculum necendum haud sufficit.

§. 19. Mulier, quae matrimonium ineundi causa rapta fuerit, ^{7) Raptus} cum raptore, quamdiu in ejus potestate manserit, matrimonium valide contrahere nequit. Rapta censenda est mulier, quae violentia ipsi illata vel abducitur, vel in loco, ad quem dolo allecta est, detinetur; nec non ea, quae a viro, cui ante facinus rite desponsata haud fuit, ipsa licet consentiente, insciis tamen vel invitis parentibus seu tutoribus abducitur.

§. 20. Matrimonii vinculum eodem junctos ad aliud matrimonium ^{8) Ligamentum} contrahendum inhabiles reddit.

§. 21. Vinculum matrimonii valide contracti sed nondum consummati per solemnem religionis professionem alterius conjugis vel Summi Pontificis dispensatione dirimitur. Matrimonium a Christianis contractum, postquam consummatum fuerit, non nisi morte solvi potest.

§. 22. Quodsi Christiani non catholici autement, matrimonii vinculum solvi posse, Ecclesia errantes deplorat, verum pati nequit, ut error legis suae sanctitatem contaminet. Inter Catholicum et Christianum non catholicum, qui conjugem superstitem habet, matrimonium consistere nequit, licet tribunal, apud quod causae matrimoniales Christianorum non catholicorum tractari solent, separationem quoad vinculum pronuntiaverit.

§. 23. Quum per sacramentum baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur, matrimonium ab infidelibus contractum conjugibus ad Christum conversis firmum manet, non obstantibus impedimentis ecclesiastica lege institutis. Quodsi autem altero tantum conjugum converso alter in infidelitate persistens cum eodem cohabitare interpellatione neglecta omnino renuat aut cohabitare nolit absque contumelia creatoris, eidem petenti concedendum est, ut ad novas convolet nuptias; quibus rite celebratis vinculum conjugii in infidelitate contracti dirimitur.

§. 24. Clerici in majoribus constituti et regulares, qui vota ^{9) Ordinis} solemnium emiserunt, ad matrimonium ineundum habiles non sunt. In ^{votum} quantum vota simplicia in congregatione regulari emissa cum per exceptionem sortiantur effectum, ut matrimonium irritent, secundum statuta ordinum a Sede Apostolica approbata dijudicandum est.

§. 25. Inter baptizatos et eos, qui regenerationis sacramentum haud susceperunt, matrimonium consistere nequit. ^{10) Cultu baptizati non baptizati}

§. 26. Qui in linea recta aut in quarto vel proximiori quodam ^{11) Consanguinitas} lineae transversae gradu consanguinei sunt, validum inter se matrimonium contrahere non possunt, neque refert, an consanguinitas ex copula licita vel illicita exorta sit.

- 12) Cognatio spiritualis.** §. 27. Cognatio spiritualis, quae ex baptismo et confirmatione oritur, dirimit matrimonium inter sacramenti dispensatorem et baptizatum vel confirmatum, nec non baptizati vel confirmati parentes, inter patrinum quoque et baptizatum vel confirmatum, nec non baptizati vel confirmati parentes.
- 13) Cognatio affinitasque civilis.** §. 28. Adoptio, qualis arrogationi seu adoptioni perfectae juris Romani quoad essentialia respondet, secundum nunc vigentem Ecclesiae praxin, etiam postquam dissoluta fuerit, matrimonium dirimit inter adoptantem adoptatumque et ab adoptato descendentes sub paterna ejus potestate adoptionis tempore constitutos, nec non inter adoptantem adoptatique uxorem et adoptatum vicissim adoptantisque uxorem. Praeterea quamdiu adoptio perdurat, inter adoptatum et adoptantis liberos carnales, legitimos, sub potestate paterna constitutos matrimonium consistere nequit.
- Adoptio juris Austriaci.** §. 29. Adoptio juris Austriaci intra praefatos terminos matrimonium dirimit, quoties adoptatus paternae adoptantis potestati subjiatur vel in ejusdem domum filiorumfamilias ad instar cohabitaturus recipiatur. Quodsi autem neque paternae adoptantis potestati subjiatur neque in ejusdem domum cohabitaturus recipiatur, adoptio juris Austriaci imperfectae aequiparanda est et nullum matrimonii impedimentum involvit.
- 14) Affinitas ex copula licita.** §. 30. Matrimonium consummatum inter unam partem et alterius quartum usque inclusive gradum consanguineos affinitatem parit, qua irritatur matrimonium inter eosdem initum.
- 15) Affinitas ex copula illicita.** §. 31. Concubitus extra matrimonium habitus dirimit matrimonium contrahendum inter unam partem et alterius consanguineos in primo vel secundo gradu.
- Affinitas superveniens.** §. 32. Conjux, qui cum alterius consanguineis in primo vel secundo gradu copula carnali culpose jungitur, privatur jure debitum conjugale petendi, donec dispensationem obtinuerit.
- 16) Justitia publicae honestatis ex matrimonio rato non consummato.** §. 33. Matrimonium ratum, non consummatum, conjugem, qui supervixerit, aut in saeculo remanserit, inhabilem reddit ad matrimonium ineundum cum alterius consanguineis quartum usque inclusive gradum.
- ex matrimonio invalide contracto non consummato.** §. 34. Matrimonium invalide contractum non consummatum, nisi propter defectum consensus nullum sit, impedit, ne conjugium subsistat inter unam partem et alterius consanguineos quartum usque inclusive gradum.
- ex sponsalibus.** §. 35. Sponsalia valide et pure inita obstant, ne sponsorum alter cum alterius consanguineis in primo gradu matrimonium contrahat. Idem operantur sponsalia sub honesta conditione contracta, postquam eadem purificata fuerit.
- 17) Adulterium.** §. 36. Inter eos, qui adulterio se polluerunt, matrimonium valide contrahi nequit, quando altero adhuc vivente conjugate matrimonii ineundi fidem sibi dederint vel matrimonium de facto inire

attentaverint, aut quando vel una tantum pars ea intentione, ut cum altera matrimonio jungi queat, in mortem conjugis, cujus jura adulterio violavit, machinata fuerit effectu secuto.

§. 37. Conjugicidium inter conjugem ejusdem reum et personam, cum qua ad crimen patrandum conspiravit, matrimonium invalidum efficit, quando vel una tantum pars facinus ea intentione perpetraverit, ut cum altera matrimonium inire possit.

18) Conjugidium.

§. 38. Ad matrimonium valide ineundum requiritur, ut contra-hentes coram parochi proprio utriusque vel unius partis aut alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus consensum declarent. In iis tamen Imperii partibus, pro quibus Sancta Sedes instructionem dd. 30. April. 1841 edidit, absentia parochi catholici quoad matrimonia inter Catholicos et Christianos non catholicos ad ipsa irritanda non sufficit.

19) Claustritas.

§. 39. Proprius nupturientium parochus est is, in cujus parochia verum aut quasi domicilium habent.

Domicilium verum et quasi domicilium

§. 40. Domicilium verum ibi locorum est, ubi quis habitationem suam vel unice vel principaliter figit, ita, ut peregrinari dicatur, quando ibi non commoretur. Quamdiu hoc in loco habitationem sibi vel familiae suae destinata retinet, absentia longior licet, per se sumta, non sufficit ad efficiendam domicilii veri translationem. Ubi quis duraturam figere sedem haud quidem intendit, verumtamen talem habitat in finem, ad quem assequendum longior commoratio requiritur, ibi quasi domicilium habet.

§. 41. Uxor, ubi maritus; minorenes, ubi parentes, nutritii, tutor, verum habent domicilium. Locus, ubi e. gr. uxor servitia praestat, aut minorens studiorum ergo commoratur vel persona militaris stativa habet, ipsorum quasi domicilium reputandus est. Quinam minorens censendus vel minorensibus quoad relationes juridicas aequiparandus sit, juxta legem Austriacam dijudicandum venit.

§. 42. Officiales publici nec non ii, qui ad servitia quaecunque publica in dies vitae assumti sunt, domicilium verum eo habent in loco, ubi ad muneris servitiive sui ordinarii partes explendas habitant. Quando alio in loco ad extraordinarium deputantur ministerium, quod pro sua natura longiorem postulat moram, ibi quasi domicilium acquirunt.

§. 43. Qui hominis privati, societatis aut instituti cujusdam servitiis se mancipat, quasi domicilium acquirit in loco, ubi ad servitia haecce praestanda habitat. Haud ea tamen sint oportet, quae continuam habitationis mutationem inferant. Neque ratione servitiiorum, quorum quis tenore herum quoad habitationem sequi debet, loco, quo herus domicilium non habet, domicilium acquiri potest.

§. 44. Casu, quo quis extra locum domicilii veri in aliis adhuc parochiis domus ejus usibus destinatas instructasque possideat,

in illo tantum horum locorum quasi domicilium habet, ubi vel quovis anno per notabile tempus commorari solet, vel tempore, quo locum qua domicilium asserit, per sex ad minimum septimanas habitat.

§. 45. Eorum, qui neque verum, neque quasi domicilium habent, parochus proprius is est, in cujus parochia commorantur.

Competens personarum militarium parochus.

§. 46. Proprius personarum ad militiam vagam pertinentium parochus est capellanus et respective superior castrensis juxta tenorem facultatum a Sancta Sede concessarum. Qui militiae stabili annumerantur, parochum domicilii adeant oportet.

licentia tacite concessa et mere praesumpta.

§. 47. Quod licentia matrimonio assistendi ab eo, cui competit (§. 38), tacite collata sit, foederis conjugalisi valori haud obest; attamen absque urgentissima quadam necessitate copulationem non peragat, cui a parochio vel ab Ordinario ipso facultas expresse haud facta sit. Licentia mere praesumpta non sufficit; neque juvat, quod delegandi jus habens de ea requisitus reapse eam concessurus fuisset, aut rem postmodum ratam habeat.

subdelegandi jus.

§. 48. Qui licentiam matrimonio assistendi pro universitate casuum accepit, eam pro singulis casibus alii sacerdoti concedere potest. Qui licentiam istam pro singulo casu accepit, jure subdelegandi caret, nisi expresse ipsi collatum sit.

decisio de parochi competentia.

§. 49. Quando ex quacunque ratione dubium emergat, cuinam animarum curatori jus matrimonio assistendi competat, res ad Episcopum deferenda ac ejus decisio vel ordinatio exspectanda est.

matrimonium per procuratorem contractum.

§. 50. Consensus declaratio per procuratorem facta valida est, quando hanc in rem ei mandatum speciale, personam futuri conjugis sufficienter determinans, collatum, neque tempore forsan, quo mandantis nomine matrimonium contractum sit, revocatum jam fuerit. Parochus tamen matrimonium per procuratorem ineundum nullatenus admittat, nisi Episcopus facultatem expresse concesserit.

o) Conditio.

§. 51. An consensus sub conditione datus causa efficiens matrimonii sit, a conditionis impletione dependet.

§. 52. Quando conditio versetur circa futurum contingens vel non contingens, matrimonium suspenditur, usque dum conditio impleatur. Quod si non impleatur, consensus dati effectus cessat. Quando consensus alligatur conditioni de praesenti vel de praeterito, matrimonium validum est vel non, prout conditio impleta jam sit, vel non.

§. 53. Irritus esset consensus, qui alligaretur conditioni substantiae matrimonii expugnanti. Conditiones impossibile quidpiam aut immorale, quod matrimonii substantiae haud repugnat, continentibus pro non adjectis habendae sunt.

§. 54. Qui ante conditionem impletam matrimonium consummat, eo ipso conditioni nuntium mittit.

§. 55. Ut consensus sub conditione detur, non nisi de expressa Episcopi licentia admitti potest. Conditiones, quae in consensus declaratione haud exprimuntur, pro non appositis habendae sunt.

§. 56. Ecclesia matrimoniorum et decori et puritati omni ex Impedimentis parte provisura, nec tamen consultum ducens, ut impedimentorum impedient dirimentium numerus nimis augeatur, de matrimonio constitutiones edidit, pro quibus obedientiam postulat, quarum tamen transgressio matrimonii nullitatem minime involvit.

§. 57. In quantum et quamdiu sponsalia obligationem ad matrimonium contrahendum inducunt, illicitas reddunt nuptias, quas- 1) Sponsal
cunque sponsorum alter cum tertia quadam persona contrahit.

§. 58. Vota simplicia obedientiae, paupertatis et castitatis in religiosa quadam congregatione emissa, nec non votum simplex 2) Votum s
perpetuae castitatis, religionis, ordinis sacri et coelibatus eisdem plex.
ligatos haud sinunt matrimonium licite contrahere.

§. 59. A prima Dominica Adventus usque ad festum Epiphaniae Domini inclusive, et a feria quarta Cinerum usque ad Dominicam in albis inclusive prohibitum est, nuptias celebrare. 3) Tempus
cratum.

§. 60. Matrimonium, antequam contrahatur, a paroco sponsi ac sponsae tribus diebus dominicis vel festivis inter missarum solemniam publice denuntiandum et omnis, cui impedimentum aliquod notum, ad revelandum istud monendus est. Persona nupturientium expresso utriusque nomine baptismali, cognomine, loco nativitatis, aetate, conditione ac domicilio accurate determinetur. 4) Bannus n
tialis.

§. 61. Si sponsus vel sponsa non tantum verum, sed etiam quasi domicilium habet, trina proclamatio tam a paroco veri, quam a paroco quasi domicilii eorum instituenda est. Quando autem contingat, ut persona quaedam praeter domicilium verum plus quam unum habeat quasi domicilium, sufficit, ut matrimonium a paroco veri ejusdem domicilii ac ab uno parochorum, in quorum territorio quasi domicilium habet, rite denuntietur.

§. 62. Si sponsus vel sponsa in nulla parochiarum, ubi secundum regulas antefatas proclamatio fieri debet, per sex saltem septimanas habitet, proclamatio instituatur praeterea in Ecclesia parochiali ejus loci, ubi persona, de qua agitur, ultimo per sex saltem hebdomadas habitaverit. Peculiaribus rerum adjunctis, ne id commode fiat, obstantibus, ea de re ad Episcopum referendum est.

§. 63. Apud eos, qui neque verum habent domicilium, neque in loco quasi domicilii per anni ad minimum tempus jam commorantur, proclamationes etiam, ubi jura indigenatum in communitate civili habentium eis competunt, et quando ejusmodi jura nullibi eis competant, quantum fieri possit, etiam in parochia loci eorum natalis instituendae sunt. Nupturiente non tantum vero, sed etiam quasi domicilio carente, proclamatio fiat tam in parochia, ubi tunc temporis commoratur, quam in loco, ubi jura indigenatum in communi-

tate civili habentium ei competunt, aut quodsi nullibi iisdem gaudeat, quantum fieri possit, in parochia loci natalis.

§. 64. Iterandae sunt proclamationes, quando intra sex post eas peractas menses matrimonium non contrahatur, vel et minori elapso tempore renovationem Episcopus imperet.

§. 65. Antequam proclamationes rite institutae fuerint, matrimonium licite contrahi nequit.

1) Disparitas
cultus inter
Christianum et
apostatam nec
non inter Chri-
stianum catho-
licum et non
catholicum.
5) Interdictum
Ecclesiae.

Parentum con-
sensus.

Prohibitiones
legis Austriae.

Quatenus nu-
turbantes ad
copulationes
admittendi.

Documenta ne-
cessaria.

§. 66. Ecclesia detestatur fidelium cum apostatis conjugia; improbat quoque matrimonia inter Catholicos et Christianos non catholicos et ab ipsis ineundis suos dehortatur.

§. 67. Quando fundata adsit suspicio, nupturientibus impedimentum quoddam obstare, aut timendum veniat, nuptias magnis litibus vel scandalis, aliisve malis ansam praebituras, sacrorum Antistiti jus competit et respective obligatio incumbit, matrimonii celebrationem interdicere. Quamdiu interdictum ab eodem sublatum non sit, matrimonium contrahere illicitum est.

§. 68. Etiam in nectendo matrimonii vinculo memores sunt filii familias Domini dicentis: Honora patrem tuum et matrem tuam! Praeterea prona est ad praepropera consilia juvenus, nisi maturioris aetatis experientia regatur, et conjugia absque debita deliberatione inita uberem malorum continent fomitem. Quocirca illicita sunt matrimonia, quae parentibus justis ex causis assensum denegantibus contrahuntur.

§. 69. Sanctum est Christiano, potestati civili praestare obedientiam, ad quam Dominus ipse nos per Apostolum suum instituit. Eo districtius eas observet necesse est constitutiones civiles, quae ad ordinem moralem conservandum accurate concurrunt. Quamvis igitur potestas civilis, quin validum inter Christianos matrimonium contrahatur, sanctionibus suis impedire minime possit, civi tamen Austriaco haud licet, negligere praescriptiones, quas lex Austriaca de civilibus matrimonii effectibus statuit.

§. 70. Ad matrimonii celebrationem contracturi tunc tantum admitti debent, quando conjunctioni eorum nullum, quantum sciri possit, obstet impedimentum et cuncta praestiterint, quae Ecclesiae leges ad matrimonia invalida aut illicita excludendum praescribunt.

In specie ipsis incumbit, proclamationes rite peractas esse comprobare nec non liberi status testimonium exhibere; et nisi aetas et origo eorum ex libris parochialibus colligi possit, litteras baptismales afferre. Quodsi nupturiens testimonium sibi baptismale parare plane non valeret, parochus ad Episcopum recurreret. Supra memoratas legis Austriae praescriptiones quod attinet, magno agendum studio, ut a matrimonium contracturis exacte observentur. Quod si contingat, ut parochi monita nihil proficiant, res ad Episcopum deferenda. Hoc ipsum fiat, si alia quacunque ex causa difficultates vel dubia enascantur.

§. 71. Caveatur oportet, ne exteri aliter, quam servatis omnibus, quae ad matrimonium rite celebrandum requiruntur, matrimonium contrahere permittantur. In quantum parochus hoc in negotio procedere possit, quin ipsum curiae episcopali dijudicandum proposuerit, Episcopus pro rerum adjunctis constituet.

Exterori
matrimon

§. 72. Procurandum est, ut avertantur matrimonia eorum, qui annum quidem decimum quartum et respective duodecimum absolventur, ast nondum attigerunt aetatem, qua pro terrae gentisque ratione aptitudo ad matrimonium debita cum deliberatione ineundum et maturitas physica adesse solet.

Matrimo:
praematu

§. 73. Copulationem eorum, qui nec verum, nec quasi domicilium habent, peragere non licet, antequam Episcopus ipse licentiam concesserit.

Copulatio
pturienti
domicilio
rentliu

§. 74. Quum matrimonium novi foederis sit sacramentum et ejus vinculo se devincientibus sanctas gravissimasque imponat obligationes, qui elementa fidei Christianae ignorant, ad nuptias admitti nequeunt; immo antequam de Deo ejusque mandatis saltem scitum absolute necessaria didicerint, nec ad proclamanda ipsorum matrimonia parochi procedant.

Instructio
ligiosa

§. 75. Decet, ut sponsi, priusquam in facie Ecclesiae foedere mortem usque duraturo jungantur, poenitentiae sacramento cor mundum et corpus Domini nostri devote suscipiant. Nec ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo cohabitent. De hisce ac omnibus, quae conferre possunt, ut matrimonium pie ac decore celebretur, statuta et laudabiles consuetudines cujusque dioecesis fideliter observandae sunt.

S. Sacram:
rum susce

§. 76. Parochus, cui copulationem peragere competit, tenetur, matrimonium contractum cum omnibus rerum adjunctis, quae ad probationem efficiendam necessaria vel utilia sunt, libro nuptiali parochiae suae propria manu inscribere. Distincte igitur exprimantur: Nomen baptismale, cognomen, aetas, religio, habitatio et conditio conjugum; insuper, an prius jam matrimonio juncti fuerint; nec non, porro nomen, religio, et conditio parentum et testium, dies, quo, sacerdos, coram quo matrimonium inierunt. Quodsi difficultates emergerint, modus, quo sublatae fuerint, indicandus venit.

Libri nup
gestio

§. 77. Quodsi parochus sacerdotem quemdam deleget ad copulandum sponso in loco, ubi neuter eorum domicilium habet, incumbit ipsi, rem in libro copulatorum parochiae suae annotare. Parochus loci, ubi matrimonium contrahitur, actum modo superius exposito libro copulatorum parochiae suae propria manu inscribere et addere simul debet, a quonam parochi delegatio concessa sit. Posterior tenetur pariter, copulationem peractam, de qua spatio octo dierum certior reddendus est, libro copulatorum parochiae ipsius inferre.

§. 78. Casu, quo civis Austriacus petit, ut matrimonium ab eo in exteris terris in initio libro copulatorum parochiae, ubi nunc domicilium fixit, inseratur, parochus libellum supplicem simul cum probationibus de conjugio rite inito allatis Episcopo proponet ac ejusdem expectabit mandata.

dispensatio
impedi-
entis ma-
rimonii

§. 79. Ea matrimonii impedimenta, quae juris canonici sanctionibus innituntur, dispensatione legitime obtenta et conditionibus, quae forsitan adjunctae sint, adimpletis pro singulis cessant casibus. In impedimentis dirimentibus proprio jure dispensare solius Apostolicae Sedis est, cui reservatum quoque, in voto castitatis simpliciter sed perpetuo, nec non in disparitate cultus inter Catholicos et Christianos non catholicos dispensationem indulgere.

impedimenta,
quibus dis-
pensatio faci-
conceden-
da.

§. 80. Episcopi cum canonicae non deficiant rationes, faciles erunt in utendo facultatibus a Sancta Sede concessis, sequentia quoad impedimenta.

1. In tertio et quarto gradu consanguinitatis et affinitatis ex copula licita.
2. In cognatione spiritali.
3. In affinitate ex copula illicita, nisi timendum sit, ne ex immundis commerciis nupturientes consanguinitate in linea recta juncti sint.
4. In tertio et quarto gradu justitiae publicae honestatis ex matrimonio rato non consummato.
5. In justitia publicae honestatis proveniente ex matrimonio invalide contracto et non consummato, aut ex sponsalibus.

ad cetero-
dispensa-
nem tenen-
da.

§. 81. Cetera quod attinet impedimenta dirimentia, unanimi conatu agendum est, ut efficax eorum vigor aut asseratur aut restituatur. Ubi matrimonia inter consanguineos proximiores inita frequentiora occurrunt, corrumpunt intima familiarum commercia, utpote cupidinem pravam ejusque suspicionem excitantia.

dispensatio in
no nuptiall.

§. 82. Dispensatio ab omnibus tribus proclamationibus non nisi urgentissimis in casibus, a secunda vero et tertia proclamatione non nisi ex causis consideratu dignis et sufficienter probatis concedenda est.

§. 83. Quum contingere possit, ut instans mortis periculum dilationem longiorem impossibilem reddat, Episcopi in quovis districtu pro ratione locorum unum pluresve sacerdotes delegabunt, qui tali eveniente casu ipsorum nomine ab omnibus tribus proclamationibus dispensent.

§. 84. Si duae personae, quae conjugio se junctas falso asserunt et in loco domicilii passim pro conjugibus habentur, matrimonium inter se contrahere optant, dispensatio ab omnibus tribus proclamationibus ipsis absque gravissima causa deneganda non est. Sedulo tamen examinetur, an ipsas peraeque pro conjugibus haberi veritate undequaque nitatur.

§. 85. Nupturientes, quibus proclamationes penitus indulgentur, nunquam non tenentur, coram parcho, cui copulationem peragere competit, jurejurando firmare, quod ipsis nullum impedimentum conjunctioni suae obstans notum sit.

§. 86. In libello supplici, quo dispensatio petitur, impedimentum cum omnibus adjunctis, a quibus ejusdem qualitas dependet, clare exponendum est; insuper rationum momenta, quibus petitio fulcitur, necessariis allegationibus instruantur. Episcopus de factis, quibus ejus decisio vel relatio Sanctae Sedi proponenda innitatur oportet, investigationes necessarias habebit.

Supplic.
dispens.
concedet
bell

§. 87. Quodsi impedimentum occultum, nec ipsius propositio prudenter timenda sit, ad conscientiae consulendum dispensatio suppresso conjugum nomine etiam per confessarium seu aliam idoneam personam peti ac impetrari potest. Hujusmodi tamen dispensatio in foro externo nullatenus suffragatur: quocirca quando impedimentum praeter expectationem publicum fieret, ne matrimonium coram iudice humano in discrimen adducatur, dispensationem pro foro externo valituram servatis servandis petere oporteret.

Dispen.
pro foro
scient

§. 88. Si copulatio forma debita peracta propter impedimentum matrimonio obstans invalida fuit, dispensatione obtenta matrimonii convalidatio institui debet.

Matrin
convali

§. 89. Dispensatione pro foro conscientiae tantum concessa ad matrimonium convalidandum sufficit, ut ambae partes consensum absque parcho et testibus renovent.

pro foro
scienti

§. 90. Obtenta dispensatione, quae pro foro externo valet, consensus invalide copulatorum coram parcho, in cujus parochia domicilium habent, et duobus testibus renovetur oportet. Parochus nunquam non convalidationem peractam libro copulatorum inserere debet, quando autem conjunctio invalida in alia parochia contracta fuerit, res hujus praeterea loci parcho communicanda est, ut ipse convalidationem peractam inscriptioni, quae de matrimonio invalido facta sit, diligenter adjungat.

pro foro
no.

§. 91. Proclamationes tali casu haud repetantur; copulatio a parcho privatim et coram fideis testibus peragatur. Exceptio fieri potest, quando impedimentum loco, quo convalidatio instituenda veniat, notorium sit.

§. 92. Impedimento absque dispensatione mutatione facti sublato, conjugibus injungendum est, ut consensus declarationem coram parcho et duobus testibus iterent, nisi forsan, quod nuptiarum celebratarum tempore impedimentum obtinuerit, et omnino occultum nec ullum rei probandae sit. periculum: tunc enim concedi potest, ut consensum inter se renovent.

impedim
mutation
subla

§. 93. Matrimonium, quod consensus fictus irritum reddit, consensu ab eo, qui fecte egerat, vere praestito convalidatum censetur oportet. Idem obtinet de matrimonio, cui error seu vis

in impedi
vis met
nec noi
ris et c
sus fict

metusque obstitit, quamprimum pars, quae errori aut violentiae injustae suberat, recognito errore aut libertate plene recuperata verbo factove assensum suppleverit. Nihilominus ad omne de consensu praestito dubium sequestrandum his quoque in casibus consultum est, ut conjuges consensum coram parocho et duobus testibus renoveant: igitur hoc ut fiat, agendum erit, nisi obversetur prudens scandalorum vel matrimonii in discrimen adducendi metus.

§. 94. Convalidatione peracta matrimonium quoad effectus civiles ita considerandum venit, ac si ab initio valide contractum esset. Idem de effectibus ecclesiasticis obtinet, quando vel una tantum pars nuptiarum celebratarum tempore ignorantia facti aut juris detenta fuerit. Alias ad dispensationis remedium confugiendum erit.

Ad §. 18. De impedimento vis et metus. „In impedimento vis et metus nunquam non de coactu agitur, qui voluntarium non excludit, sed ex sua potius natura actum involvit voluntatis de malo minori seligendo decernentis. Ad matrimonium valide ineundum non requiritur, ut contrahenti exoptata sit res; nec ideo irritum, quia una pars ita animo affecta erat, ut matrimonium non inlisset, si ad malum, quod intolerabile ipsi videretur, effugiendum alia patuisset via. Ponamus casum, puellam quamdam a noverca, quae propriis liberis augendis studeat ac ad iracundiam prona sit, pessime haberi, nec auxilium ferre patrem uxoris, amore devinctum. Hanc desponsaturus est vir dives, attamen aetate proventus. Durissimum ipsi, sub novercae legibus vivere, sed et durum, nubere viro, quem non amat. Dum inter duo mala dubia haereat, novercae artibus magno quodam et plane injusto praejudicio afficitur. Ea de re expostulat; attamen nil proficit, imo mulier in furorem acta eam verberibus ultra modum contundit. Hisce permota cum sene contrahit: etenim, quamvis conjugale ejus consortium declinare vellet, novercae tamen contumeliis liberari mavult. Virginis voluntas ad consensum praestandum determinata est malo magno et injuste ipsi inflicto, nihilominus validum est foedus conjugale: nam nihil omnium, quae perpessa, ipsi ad consensum extorquendum illatum est. Ecclesiae impedimentum vis et metus statuentis haud ea est mens, ut impediatur, ne quis animum ad nuptiis consentiendum mali minoris ratione convertat, sed id solummodo cavet, ne malo gravi ad consensum extorquendum injuste vel intentato vel illato matrimoniorum libertas pessumdari possit. Itaque ut impedimenti hujus vis et natura penitus intelligatur, ad libertatis coarctationem, quam necessitas ex duobus malis unum seligendi infert, haud exclusive respiciendum, sed injuriae simul ei, cui consensus extortus est, irrogata ratio diligenter habenda est. His ita compositis, qua judicandorum norma teneatur oportet, quod in matrimonio ex gravi metu contracto, qui metum incussit, resilire non possit. Valida sunt, quae pro hac sententia militant, rationum momenta.

1. Eam amplecti, commendat aequitas: nam intolerabile foret, virum, qui mulierem auxilii inopem gravi et injusta vi ad matrimonio consentiendum coëgit, eam libidine expleta repellere posse, quamvis consensum postea suppleat.
2. Consentit finis legi propositus. Impedimentum vis et metus institutum est, ut matrimoniorum libertas, quantum fieri possit, salva praestetur et vis injusta ad animum expugnandum adhibita effectum quoad obliga-

tionem conscientiae imponendam careat; minime autem patrocinator ei, qui ipse in plena libertate constitutus alterius libertatem gravissima illata injuria violavit.

3. Accedit expressa legis jussio: quippe Decretal. IV. 7, 1. de viro, qui uxore vivente aliam rei insciam sibi copulaverat et prima mortua a secunda recedere nitebatur, haec statuta sunt: „Quia praefata mulier erat inscia, quod ille aliam haberet uxorem viventem, nec dignum est, ut praedictus vir, qui scienter contra canones venerat, lucrum de suo dolo reportet, consultationi tuae taliter respondemus, quod nisi mulier divortium petat, ad petitionem viri non sunt aliquatenus separandi.“ Injusta vi oppresso major quam falsis assertionibus deluso injuria irrogatur; igitur neque qui metum incussit, de suo facto lucrum reportet.
4. Apud omnes passim constat, contractus metu gravi et injusto, extortos in conscientia obligare eum, qui metum intulit, si metum passus stare eodem velit.

Ei, qui metum incussit, quoad resiliendi facultatem aequiparandus est, quo conscio metus incussus est, etenim injuriae inferendae consensit et fructus ejus percepit. Quid autem si eveniret, ut una pars vis alteri illatae prorsus ignara extiterit? Quum talis vere ac libere consenserit, nec ei injuria irrogetur, quando altera pars aliquantum post id idem praestet, quod eam in ipsa nuptiarum solemnitate praestitisse crediderit, videtur, quod nec hocce in casu matrimonium irritari possit, quando pars metum perpessa consensum suppleat. Objici potest, consulendum esse ei, qui consensum exprimens arbitratus sit, se cum muliere eum libere in matrimonium seligente contrahere, neque de matrimonio cogitavisset, quodsi compertum habuisset, eam ad ipsi nubendum gravi metu compulsam fuisse. Attamen error circa animi affectus versans non est is, qui matrimonium irritet. Praeterea juris canonici et theologiae moralis doctores, paucis exceptis, omnes affirmant, quando fidei quis vel metum passus matrimonium contraxerit, sufficere, quod is ipse tantum consensum suum ponat, et hanc sententiam communem et veriorem esse, S. Alphonsus (theol. moral. lib. VI. n. 1114.) docet. Igitur nec casu superius allato parti, quae a metu immunis fuerit, resiliere non licet, quodsi metum passus consensum suppleat.

Verum non tantum injuriam passo providendum, sed etiam cavendum, ne vinculi conjugaliter firmitas detrimentum capiat: in quo nostris praesertim temporibus summo studio allaborandum est. Multi sunt, quibus matrimonii catholici lex in vitae dies duratura gravissimum videtur jugum neque matrimonium ita dictum civile tot nactum esset laudatores, nisi licentiae patrocinium a lege civili sperarent. Ubi recta via ad vinculi solutionem perveniri non potest, ambagines tentant. In impedimento vis et metus rei summa pendet ab actu interno, de quo plerumque in utramque partem disputari potest: unde ad ipsum confugere solent, qui sub praetextu nullitatis matrimonii vinculum dirimere anhelant. In omnium adhuc ore est facilitas, qua non obstantibus summorum Pontificum et inprimis Benedicti XIV. constitutionibus et expostulationibus in Poloniae regno matrimoniorum fides sub nullitatis obtentu rescindi consueverit. Haud raro clandestinitatis impedimento abusi sunt; plerumque tamen ad vim metumque confugerunt. Ecclesiae quam maxime interest, ut ejusmodi scandalis aditus praecludatur, neque desunt remedia, quae canonicis sanctionibus apprimere consentiunt.

Inconcussus stat, quod, quamdiu metus gravis et injuste incussus perduret, qui ejus ope ad consensum praestandum adactus sit, matrimonium accusare possit. Quamprimum autem in libertatem plenam vindicatus fuerit, vel judicem adeat et de injuria, quam perpessus est, conqueratur, vel matrimoniali pacto consentiat. Immunda sunt eorum, qui matrimonio

vero haud juncti sunt, commercia: unde quamprimum fieri possit, aut rescindantur aut in melius mutantur. Is quoque sanctionum canonicarum manifestus est sensus; quippe Decretal. IV. 1, 28. mulieribus matrimonium propter vim metumque accusaturis haec statuitur conditio, ut mox (ac libertatem recuperaverint) a maritis aufugiant. Hoc idem eruitur ex Decretal. IV. 1, 21. et glossa textum adumbratura distichon addit:

Effuge cum poteris, ne consensusse puteris;

Nam si perstiteris, illius uxor eris.

Imo IV. 18, 2. disertis verbis enuntiat, quod adversus matrimonium audiri non debet, quae legitimum annum attingens, quum potuit, minime reclamavit. Ex allatis patet, juxta canonica statuta praesumptionem esse juris, et de jure, quod consensum suppleverit, quae cum potuerit haud reclamaverit. Nec immerito; etenim ecclesia impedimentum vis et metus instituens libertati contrahentium ita consulit, ut omnem quoque matrimonii honestatem polluendi vel vinculum infirmandi ansam penitus semotam vellet. His ita compositis nec audiendus est, qui occasione reclamandi per longius tempus neglecta matrimonio exceptionem opponat, se nescivisse, quod vis et metus, foedus matrimoniale irritet. Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; sed canonum expresse statuentium, mulierem, quae cum potuerit, haud reclamaverit, non amplius audiendam esse, ne unus quidem vel addit vel innuit restrictionem: „nisi matrimonium vi metuque irritari nesciverit“ imo eam excludi contextus abunde docet. Ignorantia facti, non juris excusat. Praeterea de re agitur, cujus perfecta ignorantia occurrere vix potest. Etenim quod injustam vim perpessus eo ipso injuria afficiatur, et omnis, qui injuria affectus, judicem compellare possit, pertinet ad jus, quod natura omnia animalia docuit. Licet mulier vi metuque gravi injuste oppressa haud explicitè sciat, sibi matrimonium accusandi copiam esse, ignorare tamen nequit, jus ipsi competere, injuriae irrogatae remedia actione instituta quaerendi. Addendum, quod admissa hoc in capite ignorantiae juris exceptione, neque sapientissimae legis ad collusiones perversas ac pessima scandala praecavenda sufficiant; etenim nisi quis juris canonici doctor sit, eum de impedimento vis et metus recte ac plene edoctum fuisse, probari non poterit.

Ceterum non negandum, nonnullos optimae notae auctores tenuisse sententiam, quod ad matrimonium propter vim metumque irritum convalidandum necesse sit, ut metum passus ipsum invalide initum esse sciat; sed eos Sanchesii permovit auctoritas. Attamen quamvis Sanchez magni acuminis et insignis doctrinae laude defraudandus haud sit et amplissimis de matrimonio tractatibus juri matrimoniali accuratius pertractando plurimum contribuerit, vicissim tamen manifestum est, virum alias egregium veram matrimonii naturam haud intellexisse: quippe lib. VII. disput. 3. disertis verbis profert: „Ceterum absque dubio dicendum est, posse principem saecularem ex genere et natura suae potestatis matrimonii impedimenta dirimentia fidelibus sibi subditis ex justa causa suis legibus indicere eo pacto, quo id Pontifex summus potest, nisi sibi hanc potestatem reservasset.“ Quantum haec a veritate aberrent, nemo non videt; ipsa matrimonii natura ita est composita, ut non admittat impedimenta dirimentia potestatis civilis lege fidelibus indicta, neque si principes saeculares ex genere et natura potestatis suae eadem statuendi jure gauderent, unquam obtineretur, ut ab eis statuendis absterent. Porro Sanchez astruit, contractum civilem materiam sacramenti esse; quo dato quae anno 1781 de matrimonio decreta fuere, vix reprobari poterunt, nam se de matrimonio solummodo, quatenus contractus civilis sit, statuturum legislator protestatus est. Igitur mirandum non est, virum doctissimum etiam de impedimento vis et metus, quod om-

nium difficillimum est, uno aliove in capite acutius quam verius disputavisse.

Ut matrimonii vinculum dissoluturis vis metusque praetextus praeripiatur, perutile imo vix non necessarium est, tempus constituere, intra cuius terminos libertatem adeptus matrimonium adcauset, nec eo elapso audiat. Glossa ad Decret. caus. l. qu. 1, v. 3. „mensem“ unius mensis voluntariam cohabitationem ad matrimonii convalidationem sufficere censet. Alii ex Decretal. IV. 1. 21. deducendum esse autumant, unum annum cum dimidio requiri. Attamen hoc ipso canone accuratius ventilato statuendum potius, jure matrimonium adcausandi excidere, qui postquam metus, qualis ad matrimonium irritandum sufficit, cessaverit vel debitum conjugale scienter (nam posset arbitrari, se cum alia quadam persona rem habere), praestiterit, vel etiam, quin circumstantia haec probari queat, conjugale vitae consortium per sex menses pacifice continuaverit: quippe haec sunt ipsissima textus verba: „Ad id, quod per tuas litteras intimasti de quadam parochiana tua, quam suus vitricus cuidam Teutonico matrimonialiter copulavit, taliter respondemus, quod, quamvis undecim annos habens ab initio invita fuisset ei tradita et renitens, tamen, quia postmodum per annum et dimidium sibi cohabitans consensisse videtur, ad ipsum est cogenda redire. Nec de cetero recipiendi sunt testes, si quos memorata mulier ad probandum, quod non consenserit in eundem, nominaverat producendos, cum mora tanti temporis hujusmodi probationem excludat.“ Decretal. IV. 1, 21. Puella, de qua canon loquitur, cum marito invita et renitens traderetur, non nisi undecim annos habuerat, nec antequam pubertatem attigisset, consensum supplere potuerat. Quia autem per annum et dimidium, igitur per sex post pubertatem expletam menses viro cohabitaverat, eam ad matrimonium propter vim metusque accusandum admitti non posse decernitur.

Appendix II.

De Facultatibus Episcopis a Sacra Sede Apostolica concedi solitis.

A) Facultates sic dictae quinquennales a Sacra Congregatione de propaganda Fide dari solitae.

1. Absolvendi ab haeresi, et apostasia a fide, et a schismate quoscunque, etiam ecclesiasticos, tam saeculares, quam regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi sanctum Officium exercetur, nisi in locis Missionum, in quibus impune grassantur haereses, deliquerint: nec illos, qui judicialiter abjuraverint, nisi ibi nati sint, ubi impune grassantur haereses, et post judicialem abjuratorem illuc reversi in haeresin fuerint relapsi, et hos in foro conscientiae tantum.

2. Tenendi, et legendi, non tamen aliis concedendi, praeterquam, ad tempus tamen, iis Sacerdotibus, quos praecipue idoneos, atque honestos esse sciunt, libros prohibitos, exceptis operibus Dupuy, Volney, M. Reghellini, Pigault, le Brun, De Potter, Bentham, J. A. Dulaure, Fêtes et Courtisanes de la Grèce, Nouvelle di Casti, et aliis operibus de obscœnis, et contra Religionem ex professo tractantibus.

3. Dispensandi in 3. et 4. simplici, et mixto tantum, nedum cum pauperibus sed etiam cum nobiles et divites in contrahendis; in contractis vero cum haereticis conversis etiam in 2. simplici et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum, et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

4. Dispensandi super impedimento publicae honestatis et iustitiae ex sponsalibus proveniente.

5. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, ac restituendi Jus petendi debitum amissum.

6. Dispensandi in impedimento cognitionis spiritualis, praeter levantem et levatum.

7. Hae vero dispensationes Matrimoniales, videlicet 3., 4., 5. et 6. non concedantur, nisi cum clausula, dummodo mulier rapta non fuerit, et si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat; et in Dispensationibus hujusmodi declaretur expresse, illas concedi tanquam a sedis apostolicae delegato, ad quem effectum etiam tenor hujusmodi facultatum inseratur, cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae, alias nullae sint.

8. Dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto tantum provenientibus, excepta ea, quae ex homicidio voluntario contrahitur.

9. Dispensandi, et commutandi vota simplicia in alia pia opera, exceptis votis castitatis, et religionis.

10. Absolvendi ab omnibus casibus reservatis, etiam in bulla „Coenae” contentis, in locis tamen, ubi impune grassantur haereses.

11. Delegandi simplicibus sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta, et alia utensilia ad Sacrificium missae necessaria ubi non intervenit sacra unctio, et reconciliandi Ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta, et in casu necessitatis etiam aqua non benedicta ab Episcopo.

12. Conferendi ordines extra tempora, et non servatis interstitiis usque ad sacerdotium inclusive.

13. Dispensandi super defectu aetatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad sacerdotium, si alias idonei fuerint.

14. Conficiendi olea cum quinque saltem Sacerdotibus, non tamen extra diem coenae Domini, nisi necessitas aliud urgeat.

15. Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima missa non sumpserit ablutionem: per unam horam ante auroram, et aliam post meridiem, sine ministro: sub dio et sub terra, in loco tamen decenti: etiamsi altare sit fractum, vel sine reliquiis Sanctorum: et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus, et excommunicatis, si aliter celebrari non possit. Caveat vero, ne praedicta facultate, seu dispensatione celebrandi bis in die aliter, quam ex gravissimis causis et rarissime utatur, in quo graviter ipsius conscientia oneratur. Quod si hanc eandem facultatem alteri sacerdoti juxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas ea utendi alicui, qui a sancta sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, serio ipsius conscientiae injungitur, ut paucis dumtaxat, iisque maturioris prudentiae ac zeli, qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, et ad breve tempus eandem communicet, aut respective causas approbet.

16. Deferendi sanctissimum Sacramentum occulte ad Infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii.

17. Induendi se vestibus saecularibus, si aliter vel transire ad loca eorum curae commissa, vel in eis permanere non poterit.

18. Recitandi rosarium, vel alias preces, si breviarium secum deferre non poterunt, vel divinum officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant.

19. Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnis, ovorum, et lacticiniorum tempore jejuniorum et quadragesimae.

20. Communicandi has facultates in totum, vel in partem, prout opus esse secundum ejus conscientiam judicaverit, sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus, et praesertim tempore sui obitus, ut Sede vacante sit, qui possit supplere, donec Sedes Apostolica certior facta, quod quamprimum fieri debet per delegatos, aut unum ex eis alio modo provideat.

21. Et praedictae facultates gratis, et sine ulla mercede exerceantur, et pro tempore ad quinquennium tantum concessae intelligantur.

22. Utendi eisdem facultatibus in locis tantum ejus spirituali ditioni subjectis.

*Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis
de Propaganda Fide.*

B. Facultates a Sacra Poenitentiaria dari solitae.

Vobis — in Christo Patri — *ad quinquennium duraturas*
infrascriptas communicamus facultates, quibus pro Foro Conscien-

tiae per vos, sive per vestrum Vicarium in Spiritualibus Generalem, dummodo in Sacro Presbyteratus Ordine sit constitutus etiam extra Sacramentalem Confessionem pro Grege vobis commissa et infra fines vestrae Dioecesis tantum, atque de speciali, in unoquoque casu exprimenda, Sedis Apostolicae Auctoritate vobis delegata, uti valeatis; easque Canonico Poenitentiario nec non vicariis Foraneis pro Foro pariter Conscientiae, sed in actu Sacramentalis Confessionis duntaxat, etiam habitualiter, si vobis placuerit: aliis vero Confessariis cum ad vos, sive ad praedictum vicarium generalem in casibus particularibus Poenitentium recursum habuerint pro exposito casu impertiri possitis, nisi ob peculiare casus aliquibus Confessariis a vobis specialiter subdelegandis, per tempus arbitrio vestro statuendum, illas communicare iudicabitur.

I. Absolvendi ab Excommunicatione ob manus violentas injectas in Clericos, aut Presbyteros, vel in Regulares, dummodo non fuerit sequuta mors vel mutilatio, seu lethale vulnus, aut ossium fractio; et dummodo Casus ad Forum externum deducti non fuerint; injunctis injungendis, et praesertim ut parti laesae competenter satisfiat.

II. Absolvendi a Censuris contra Duellantes inflictis, in Casibus duntaxat ad Forum externum non deductis: Injuncta gravi poenitentia salutari, et aliis injunctis, quae fuerint de jure injungenda.

III. Absolvendi quoscunque Poenitentes sive viros, sive mulieres (exceptis Haereticis publicis, sive publice Dogmatizantibus) a quibusvis Sententiis, Censuris et Poenis Ecclesiasticis incursis ob Haereses tam nemine audiente vel advertente, quam coram aliis externatas, ob Infidelitatem, et Catholicae Fidei abjuramentum privative admissas, Sortilegia ac Maleficia etiam cum sociis patrata, nec non ob Daemonis invocationem cum pacto donandi Animam, eique praestitam Idololatriam, ac Superstitiones exercitas, ac demum ob quaecunque insinuata falsa Dogmata, postquam tamen Poenitens Complices, si quos habeat, prout de jure denunciaverit; et quatenus ob justas causas nequeat ante absolutionem denunciare, facta a Poenitente seria promissione denunciationem peragendi, cum primum, et meliori modo, quo fieri poterit; et postquam in singulis Casibus coram Absolvente haereses secreta abjuraverit, et pactum cum maledicto Daemone inquit expresse revocaverit, tradita eidem Absolventi syngrapha forsitan exarata, aliisque mediis superstitiosis, ad omnia comburenda, seu destruenda: Injuncta pro modo excessuum Gravi Poenitentia salutari cum frequentia Sacramentorum et obligatione, se retractandi apud personas, coram quibus haereses manifestavit, et reparandi illata scandala.

IV. Absolvendi a Censuris incursis ob violationem Clausurae Regularium utriusque sexus, dummodo non fuerit cum intentione ad malum finem, etiam effectu non sequuto, et dummodo casus non

fuerint ad Forum externum deducti, cum congrua Poenitentia salutari. Et insuper absolventi Mulieres tantum a Censuris, et poenis ecclesiasticis, ob violationem ad malum finem Clausurae virorum Religiosorum incursis, dummodo tamen Casus occulti remaneant, injuncta gravi Poenitentia salutari, cum prohibitione accedendi ad Ecclesiam et Conventum, seu Coenobium dictorum Religiosorum, durante occasione peccandi.

V. Absolventi a Censuris ob retentionem, et lectionem librorum prohibitorum incursis, postquam tamen Poenitens libros prohibitos, quos in sua potestate retineat, prout de jure, consignaverit, seu consignare fecerit, cum congrua salutari Poenitentia.

VI. Absolventi a casu Sedi Apostolicae reservato ob accepta munera a Regularibus utriusque sexus; injuncta poenitentia, et quando agitur de muneribus infra valorem decem scutorum, aliqua eleemosyna Absolventis judicio taxanda et caute eroganda, cum primum poterit, in beneficium Religionis, cui facienda esset restitutio; dummodo tamen non constet, quod illa fuerint de Bonis propriis Religionis, quatenus vero accepta munera vel fuerint ultra valorem scutorum decem, vel constet, fuisse de Bonis propriis Religionis, facta prius restitutione, quam si de praesenti adimplere nequeat, praestita in manibus Absolventis obligatione restituendi intra terminum ejus arbitrio praefiniendum, alias sub reincidentia.

VII. Absolventi Religiosos cujuscunque ordinis (etiam Moniales per Confessarios tamen pro ipsis a vobis approbatos vel specialiter deputandos) non solum a praemissis, sed etiam a Casibus et Censuris in sua Religione reservatis.

VIII. Dispensandi ad petendum debitum Conjugale cum Transgressore voti Castitatis, qui Matrimonium cum dicto voto contraxerit: hujusmodi Poenitentem monendo ipsum ad idem votum servandum teneri, tam extra licitum Matrimonii usum, quam si Marito, seu Uxori respective supervixerit.

IX. Dispensandi cum Incestuoso, sive Incestuosa, ad petendum debitum Conjugale, cujus jus amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum Consanguinea vel Consanguineo, sive in primo, sive in primo et secundo, sive in secundo gradu suae Uxoris, seu respectivi Mariti: remota occasione peccandi: et injuncta gravi poenitentia salutari et Confessione Sacramentali quolibet mense per tempus arbitrio Dispensantis statuendum.

X. Dispensandi super occulto Impedimento primi, nec non primi et secundi, ac secundi tantum gradus affinitatis ex illicita carnali copula provenientis, quando agatur de matrimonio cum dicto impedimento jam contracto: Et quatenus agatur de copula cum sua putatae Uxoris matre, dummodo illa secuta fuerit post ejusdem putatae Uxoris nativitatem, et non aliter: monito Poenitente de necessaria secreta renovatione consensus cum sua putata Uxore, aut suo

putato Marito, certiorato, seu certiorata, de nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut ipsius Poenitentis delictum nusquam detegatur; Remota occasione peccandi, ac injuncta gravi Poenitentia salutari, et Confessione Sacramentali semel in mense per tempus Dispensantis arbitrio statuendum.

Item. Dispensandi super dicto occulto Impedimento, seu Impedimenti Affinitatis ex copula illicita etiam in Matrimoniis contrahendis, quando tamen omnia parata sint ad Nuptias, nec matrimonium absque periculo gravis Scandali differri possit usque dum ab Apostolica Sede obtineri possit Dispensatio; Remota semper occasione peccandi, et firma manente conditione, quod copula cum Matre Mulieris hujus nativitatem non antecedit. Injuncta in quolibet casu poenitentia salutari.

XI. Dispensandi super occulto Criminis impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de Matrimonio jam contracto: Monitis putatis conjugibus de necessaria consensus secreta renovatione; ac injuncta gravi Poenitentia salutari, et Confessione Sacramentali semel quolibet mense per tempus Dispensantis arbitrio statuendum.

XII. Dispensandi super Impedimento Tertii, seu Tertii et Quarti, vel Quarti simplicis Gradus, sive Graduum Consanguinitatis, vel Affinitatis, super quo seu quibus obtenta fuerit Dispensatio ab Apostolica Sede, et in Litteris hujusmodi Dispensationis reticita fuerit incestuosa copula, quae tamen occulta remaneat. Ac etiam Dispensandi, seu revalidandi ejusmodi Litteras irritas, ac nullas redditas ex Incestu, sive post petitam Dispensationem, sive post illius expeditionem, et ante respectivam executionem patrato, ac iterato usque ad eandem executionem, in casibus semper occultis, sive agatur de Matrimonio contrahendo, sive de jam contracto: monitis in matrimonio contracto putatis Conjugibus de necessaria mutui Consensus secreta renovatione; Injuncta in singulis casibus congrua Poenitentia salutari.

XIII. Praeterea absolvendi a Censuris, et Poenis Ecclesiasticis eos, qui Sectis vetitis, Massonicis, aut Carbonariis aliisque similibus nomen dederunt, aut favorem praestiterunt, postquam tamen a respectiva secta se omnino separaverint, eamque abjuraverint, libros, manuscripta, ac signa sectam respicientia, si quae retineant, in manibus Absolventis consignaverint ad ordinarium quamprimum caute transmittenda, veraeque poenitentiae signa exhibuerint; firma obligatione denunciandi sectae socios ac magistros, prout de jure, et quoad Carbonarios, eos omnes, de quibus in §. „Praecipimus” Bullae „Ecclesiam a Jesu Christo” a fel. rec. Pio VII. editae, et a Papa Leone XII. confirmatae. Injuncta pro modo culparum gravi poenitentia salutari, cum frequentia sacramentalis confessionis; Aliisque injunctis de jure injungendis.

